


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [1] - -


PUBLIC DOMAIN

[T-A 468] Leibn. Marg. 210:
5

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [2] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [3] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [4] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [5] - -

PUBLIC DOMAIN


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [6] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [7] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [8] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [9] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

DVO POSTREMI APOLOGIÆ LIBRI.


QVIBVS PRÆTER DEFENSIONEM Familiæ Dominicanæ & Scholæ Thomisticæ, & plures Dogmatum & morum juris, factique quæstiones, Addita sunt, compendium Pij V. vitæ, & supplementum Bartholomæi à Martyribus ex Lusitanâ Historiâ, quo Gallica confirmatur, & Responsio ad nouas Launoij objectiones.

Authore R. P. VINCENTIO BARONIO, *Ordinis Prædicat. Conuentus Tholosani S. Thomæ Aquinatis.*

PARISIIS,
Sumptibus SIMEONIS PIGET, viâ Iacobæâ, sub signo Prudentiæ.

M. DC. LXVI.
Cum Priuilegio Regis & Approbatione.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [11] - -
PUBLIC DOMAIN



Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard* - Euroskala Offset
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

LIBER QVARTVS.

Defensio Morum Dominicana Familiæ contra calumnias V. Diatribæ, & trium sequentium, pagina 1.

SECTIO PRIMA.

Contra V. Diatribam quâ Gerras, Ineptias, Nugas, Ignorantias congerit in Dominicanos, 2

ARTICVLVS PRIMVS.

Refelluntur summatim quæ tota Diatriba continentur, 2

ART. II. *Vindiciæ singulorum quos calumniatur,* 5

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Quæ Dominicanis imperite & inepte dicta falsò imputantur, -

§. II. *Vindiciæ nostrorum Concionatorum, quos carpit Theophilus,* 10

§. III. *Vindiciæ nouem Scriptorum è Dominicanis,* 18

ART. III. *Refelluntur duo vltima argumenta, quibus Theophilus probat ineptias & ignorantias Dominicanorum,* 29

§. I. *Refellitur primum argumentum ex testimoniis quatuor virorum eruditorum,* 30

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [13] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

§. II. *Refellitur prima coniectura Theophili ex controuersia de Christi sanguine*, 33
§. III. *Reliquæ Theophili Coniecturæ refelluntur*, 38

SECTIO SECVNDA.

Dominicani vindicantur à calumniis falsi, & impostura ex Diatriba sexta, 44
ART. I. *Refellitur generatim tota Diatriba expræiudicata de mendacio opinione*, 45
§. I. *Depulsio calumniæ mendacij à doctrina nostræ Scholæ*, 45
§. II. *Trium Dominicanorum exemplo calumnia mendacij depellitur*, 48
ART. II. *Triplex calumniarum genus à Theophilo in Dominicanos vsurpatum, & depulsio primi, nempe falsi*, 52
§. I. *Calumniæ quibus nos accusat falsi Theophilus*, 53
§. II. *Vindicantur à falsi Calumnia nominatim Ioannes Annius, Ioannes de Montesono, Reginaldus, & alij*, 58
§. III. *Depellitur Calumnia de corruptis, aut subjectis D. Thomæ Libris ijs quibus de Conceptione agitur*, 63
ART. III. *Secunda Calumnia de Inquisitorum iniquis Iudiciis depellitur*, 77
ART. IV. *Profligatur vltima omnium impostura de miraculis & Reuelationibus confictis*, 84.
§. I. *Vindiciæ Ioannis Vincentini & Hieronymi Sauoranolæ*, 85
§. II. *Octo eiusdem generis Calumniæ refelluntur*, 91
§. VLT. *Fusior confutatio calumniæ de miraculis*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [14] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

Pio V. suppositis, verorum breui relatione, 97

SECTIO TERTIA.

Vindicantur Dominicani à maledicentia contra septimam Diatribam. 101

Præfatio omnino legenda.

ART. I. *Vindicantur antiqui Dominicani à maledicentia, & calumnia,* 103

ART. II. *Defensio Grauinæ, Bzouij, & Combefisij,* 106

ARR. III. *Responsio ad postremam Diatribæ partem,* 112

SECTIO QVARTA.

Vindicantur Dominicani ab ambitu honorum & liuore in bonos, contra Diatribam octauam, 114

ART. I. *Dominicani ad ambitu remoti semper studuerunt de omnibus bene mereri,* 115

§. I. *Dominicanorum à dignitatibus fuga pluribus exemplis confirmata,* 116

§. II. *Summa Epistolæ Humberti ad Albertum Magnum quâ hæc calumnia depellitur,* 118

§. III. *Leuiores aliquot eiusdem generis calumniæ refelluntur,* 120

ART. II. *Studium Dominicanorum benemerendi de omnibus,* 121

§. I. *Aliquot exempla Dominicanorum in alios charitatis,* 122

§. II. *Dominicani etiam de Societate benemeriti, & de insigni quorumdam humanitate,* 125

§. III. *Charitas Dominicanorum in omnes, pluribus extraneorum testimoniis comprobata,* 127

ART. II. *Referuntur & expenduntur calumniæ in contrarium objectæ,* 136

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [15] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

§. I. *Lullij & Petrarchæ causa discutitur,* 137
§. II. *Dominicani in Thomam Vualdensem quid egerint?* 141
§. III. *Examinatur D. Bernardi controuersia,* 145
§. IV. *De Tostato, Pico, Viues, Reuclino,* 149
ART. III. *De Quibusdam Iesuitis & duobus aliis, quos à Dominicanis exagitatos dicunt Raynaudus & Charterius,* 153
§. I. *De Diuo Ignatio,* 154
§. II. *De Lessio & Molina,* 156
§. III. *De Bellarmino, & Delrio,* 161
§. IV. *De Francisco Suario,* 164
§. V. *De tribus aliis adductis à Carterio, Valentiâ, Vasque, & Fasolo,* 169
§. VI. *De Ioanne Fero Minorita, & Ferdinando Mascarenas Syluensi Episcopo,* 173
ART. III. *Examen aliorum à Congregatione indicis damnatorum,* 178
§. II. *De Ioanne Baptista Poza, & de Theophilo Raynaudo speciatim,* 184
ART. IV. *Absoluitur responsio ad expostulationes Carterij, & ad totam Diatribam,* 191
§. VLT. *Nonnulla in Dominicanos ex Petro à S. Romualdo refelluntur,* 196

LIBER QVINTVS.

DEfensio iurium, & officiorum aduersus nonam & decimam Diatribam, 203
SECT. I. *Nona Diatribæ Examen,* 203

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [16] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

ART. I. *Falsæ censurarum, quibus libri recentiorum notantur, causæ, ex Theophilo refelluntur, & vera aperitur,* 203

ART. II. *Eximuntur Dominicani suspicione inuidiæ in Patres Societatis collatione vtriusque instituti,* 207

§. I. *Primum caput inuidiæ à nostrâ ignorantiâ,* 209

§. II. *Perstringuntur alia duo inuidiæ capita, ex nostra superstitione & barbarie,* 223

§. III. *De Missionibus,* 215

§. IV. *De Dominicanis Principum præceptoribus, aut qui illis à consiliis & confessionibus fuere,* 235

ART. III. *Fusior rerum gestarum ab vtroque Ordine comparatio,* 244

§. I. *Singularia quædam decora Familiæ Dominicanæ,* 244

§. II. *Nouennium administratæ à 3. Summis Pontificibus Dominicanis Ecclesiæ,* 253

§. IV. *Trias Pontificum ex Dominicana Familia,* 258

§. I. *Horum Pontificum Sanctitas & Sapientia verum est germen Dominicani instituti,* 260

§. II. *Pontificiæ horum Dominicanorum res gestæ & virtutes ad Cœnobiticas & institutionem domesticam reuocantur,* 268

§. III. *De rerum à Pio V. gestarum magnitudine,* 281

§. IV. *De Bartholomæi à Martyribus Historiâ gallicè editâ aliorum, nostrumque Iudicium,* 296

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [17] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

§. v. *Rigidiora multa prudenter omissa, aut mitigata in Historia Gallicâ, ex Lusitanâ referuntur,* 298
§. vlt. *Cœnobiticæ virtutis Bartholomæi cum Pontificiâ cognatio,* 303
ART. v. *Altera comparatio de re litteraria cum extraneis,* 308
§. i. *De progressu scientiarum ex Constantinopoli & Pompeiopoli captis,* 308
§. ii. *Exclusis Heterodoxis, instituitur comparatio cum Catholicorum peritis,* 311
ART. vlt. *Responsio ad postremas accusationes.* 319
§. i. *Contentionum quas suscitauit Theophilus, prætextus & depulsio,* 320
§. ii. *Atrox calumnia Theophili de nostris Magistris Generalibus depellitur,* 322
§. iii. *Recens Dominicanæ gloriæ monumentum & postremum ad inuidiæ causas depellendas responsum,* 326

SECTIO VLTIMA.

Examen Decimæ Diatribæ, 329
ART i. *Concilium Petri de abdicandis Familiæ Dominicæ officiis euertitur, primum à variis præiudiciis,* 329
ART. ii. *Operosius Consilium Petri expenditur & euertitur,* 334
§. i. *Nouis argumentis refelluntur causæ, quibus censet Theophilus Officia à Dominicanis amouenda,* 334
§. ii. *De serie Magistrorum Sacri Palatij generatim; ac nominatim de penultimo, seu sexagesimo quinto,* 140

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [18] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

§. III. *Secretior causa detegitur, & improbatur*, 346

ART. vlt. *Vindiciæ Fratris Dominicani Ottomanni*, 350

§. 1. *Dubitandi in vtramque partem, & certa in hac controuersiâ inquirendæ veritatis ratio, ac indubitata argumenta*, 352

§. II. *Refelluntur præcipuæ obiectiones apertâ, & altius repetitâ Sultanæ, & filij ex Gyneceo Byzunthino Mecham ad Sepulchrum Mahometi nauigationis causâ*, 357

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [19] - -
PUBLIC DOMAIN

Errata Graviora.

PAgina 16. l. 14. *lege* adeo. pag. 74. l. 14. *leg.* ſanctiſſimos. pag 75. l. vlt. *leg.* primarias pag. 111. l. 15. *leg.* ipſamet. pag. 120. l. penult. *dele* non. pag. 167. l. 8. *leg.* ipſum. pag 178. l. 14. *leg.* permittunt. *ibid.* l. 13. *leg.* vt prone. pag. 187. l. 23 *leg.* non. pag. 20 l. 25. pro regno. *leg* hominibus. pag. 202. l. 15. *dele* vt. *ibid.* l. 37. *leg.* officiis colendos præbuiſſent. pag 300. l. 10. *leg.* Timoris. pag. 303. l. 2. *leg.* vir. pag. 307. l. 5. *leg.* cibo.

LIBER

LIBER QVARTVS.

DEFENSIO MORVM DOMINICANÆ FAMILIÆ contra calumnias V. Diatribæ, & trium ſequentium.

CVM è lucubrationibus Theophili, quas in aliorum dedecus plurimas edidit, prima omnium illo genere ſatyrarum, quæ grauiora parit ſcandala, ſit hæc, quam refellimus, de immunitate Cyriacorum; certe ex huius operis quas diſtinximus partibus, quarta hæc quæ mores noſtrorum hominum carpit, plus vna cæteris veneni habet, & vix potes paginam, vel lineam legere, quin tibi horrorem incutiat & ſtuporem.

Sicut ad probitatem & bonam famam plus vna virtus moralis confert, quam reliquæ animi & corporis dotes, ita viris ſapientibus potior eſt & antiquior. Parum aut nihil curant æmulorum accuſationes de ſcientiæ, eloquentiæ, militaris fortitudinis opinione detrahentium. At ſi nugaces, inuidi, bonorum oſores audiant, & illos vbique verbo & ſcripto his vitiis obnoxios prædices, mortem ſibi illatam condonabunt, qua illos ab infamia, & à linguæ tuæ flagello liberabis. Nec ſolum illis quibus detrahis, acerbior eſt hæc morum reprehenſio, ſed etiam tibi multo magis pudenda. Opinionum cenſuram etiam iniquiorem multa excuſant, nempe propriæ ſententiæ

defenſio, ſuſpicio errorum, & quæ inde naſcuntur malorum timor, illa auertendi ſollicitus. Sed quis ferat, aut patiatur detractorem, qui verbo, ſcripto euulget, non ſolum occulta, quæ charitas præcipit ſilere, & ipſamet operit multitudinem peccatorum; ſed incerta, quæ nulla ratio patitur pro compertis dare: nec ſolum incerta, ſed falſa quæque de moribus, pro veriſſimis refert; grauiſſimis viris gerras, & nugas; ſapientiſſimis falſa dictaque ſtultiſſima; veridicis mendacia; de omnibus bene merendi ſtudioſis, liuorem in bonos, odium in omnes obiicit, & imponit. Hic vnus labor, & fructus Theophili Diatriba 5. & tribus ſequentibus. Et cum breuiorem, quo deterior eſt, oporteret eſſe calumniam, viſum eſt longiùs per quatuor Diatribas, hanc omnium iniquiſſimam eſſe proſequendam.

SECTIO PRIMA.

Contra V. Diatribam quâ Gerras, Ineptias, Nugas, Ignorantias congerit in Dominicanos.

ARTICVLVS PRIMVS.

Refelluntur ſummatim quæ tota Diatriba continentur.

PLACVIT tibi Petre, opus Dramicum tuo libello conficere, quod Tragicomediam proſa ſcriptam iure appellauero. Totus tuus liber, perpetua fabula, & fictio eſt, ſic mixta, vt neſcias, an atrociora ſint, aut magis ridicula, quæ ſcribis: ita agis ſtrenuè, vt ad riſum ſimul & ad lachrimas excites, nec minus bilem, quam ſplenem moueas, ideo te Tragicomedum voco. Superioribus quatuor Diatribis tragica voce locutus es, ſed nullo iudicio: nam cum gradatim à leuioribus ad grauiora deberes aſcendere, tu contra ordine præpoſtero, aut nullo, videris præceps potius ruere, quam per gradus deſcendere. Prima Diatriba nos contra Deum impios, deinde ingratos in Summos Pontifices, tertia ſanctorum cultui

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [22] - 2
PUBLIC DOMAIN

iniurioſos, vel inimicos; quarta denique parum ſolidæ doctrinæ nos eſſe conatus es probare; ſed dum de accuſationis grauitate ita ſenſim remittis, monſtras apertè, te contra tuam conſcientiam falſis criminibus nos grauare. Præter hanc anomalam gradationem, tranſitionem facis, à ſeriis, & atrocibus ad ridicula. Verum licet ſis ad hiſtrioniam comparatus, & illo officio per totam vitam functus, adeo tamen rudis & indocilis es, vt videaris eius leges ignorare.

Scio te maximam ſupellectilem ſcurrilitatum paraſſe, & collectanea feciſſe ampliſſima, forte vt colloquia cum tuis, aut extraneis huiuſmodi ſalibus condires, vt tempus ſcholæ his ſermocinationibus falleres, & tuos diſcipulos, doceres Democritum agere. Diſſimillimus es magiſtro, qui mihi ex tuis contigit, religioſiſſimo, qui magis ad pietatem, verbo & exemplo, quam ad litteras nos formabat, & omnibus lectionibus monita ſalutaria immiſcebat, vnde perinde nos, ac Nouitios imbuebat & ideo in Nouitiatus Rectorem aſſumptus eſt. At te Petre, iurarem, nunquam illi officio fuiſſe admotum: docuiſſes enim tuos Nouitios, quæ toto tuo libello, & maximè hac quinta Diatriba agis, non flere ſua peccata, ſed omnia ridere.

Verum vt iam monui, malè tragicæ parti Comicam aſſuiſti. Scis operis dramici eam conſtitutam legem, vt licentiam fingendi vſurpes, nihil tamen dicas, quod improbabile ſit, & à veriſimili recedat. Si frequentiùs Officia Ciceronis legiſſes, quam Apuleii Aſinum, aut Moriam Eraſmi, docuiſſet te, Theatrum, & Comediam ſuum decorum habere, non minus, quam ſeriam partem vitæ humanæ; illudque Tullius in eo conſtituit, vt verba cuique accommodes, iuxta ſuum ingenium aut ſtatum. Si Lyſandrum dolosè, & mendaciter, ſi Vlyſſem cautè; ſi Neronem aut Syllam tyrannicè agentes, *& oderint dum metuant*, inclamantes inducas, totum theatrum tibi applaudet, quia hæ actiones, & hæc verba perſonæ conueniunt. At ſi ſancto Ludouico, vel ſancto Edoardo, dolos, mendacia, verba tyrannica affingas, exſibilaberis ab omnibus, quia ab illorum Regum animo diſſentit perſona mendacis & tyranni, quam imponeres.

Tota tua quinta Diatriba, Petre, perpetuum est contra hanc legem decori, & probabilis comœdiæ quam scribis peccatum. Ita ineptus es ad omnia, vt nec virum, grauem, nec mimum, & scurram agere scias. Extraxisti ex tuo promptuario ridicula, in locos communes à te digesta, quæ aliis exciderunt: neque enim volo hanc gloriam decerpas, quam maximè ambis, hæc omnia tuo marte, te inuenisse: scrutatus es, quæ in tuis scriniis ad similes casus paraueras, vt huiusmodi ridicula Dominicanis accommodares. Sed vbique peccasti contra comœdiæ decorum & legem. Nec mirum te longe recessisse ab huiusmodi regulis exactioribus, quas fortè numquam obseruasti, nec attendisti, quandoquidem à tui libri scopo, & ab ipsiusmet Diatribæ titulo aberrasti.

Quid enim tota hac satyra tibi probandum & conficiendum proposuisti? Nempe libros Dominicanorum iniusta à censuris immunitate gaudere. Quodnam argumentum huic Diatribæ ascripsisti? Nullæne libris Cyriacorum essent nugæ, & gerræ. Ergo de libris tibi agendum. Ergo libri erant accusandi gerrarum, & ipsæ nugæ quæ in ipsis extant, tibi in medium erant proferendæ. Tu vero non solum, honesti, grauitatis, pudoris, sed ipsiusmet tui libri finis, & huius Diatribæ tituli oblitus, libris prætermissis, ad alia excurris, à Masino, à Serronio, à Pandulphio, à Richardio, à Candido, à Marino imperitè & stultè dicta, nullo teste, refers, te auctore inuenta. Si inter tot commenta, & insomnia verbum aliquod de libris excidit, ipsimet libri, & auctores Dominicani à te conficti sunt; aut si de libris eorumque auctoribus constet, vel nullum locum citas, conscius nihil habere gerrarum, sed seria & sana; aut verba corrumpis, & ridicula de tuo addis: aut ignorantiæ, & ineptiarum damnas dicta pia & erudita, quæ piis & sapientibus probantur: vel si minus nostri sæculi Aristarchis placerent, imputanda erant, vitio superiorum temporum, quibus politiores litteræ iacebant. Nihil sane affert Theophilus, quod his animaduersionibus, veluti spongia non sit deletum, & frustra viderer ad singula respondere, nisi supereſſent multa dicenda in laudem illorum, quos fœdissime criminatur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [24] - 4
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vindiciæ singulorum, quos calumniatur.

QVAMVIS minima pars Diatribæ respondeat titulo de libris, de quibus erat accusatio: placet tamen singula expendere, & ad certa capita in gratiam Lectorum reuocare, quorum primum sit eorum.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Quæ à Dominicanis imperite & inepte dicta referuntur.

POSSEM repellere quæ à pagina 102. vsque ad 110. habes, hoc vno verbo, imponis imprudentissime, neque tibi referenti fides est habenda. Duo genera hominum lex prohibet in testes admitti, nempe Histriones, & Falsarios; hos quidem quod fidem videantur eiurasse periurio, & mendacio quorum fuerint compertí: illos vero quod perpetua nugacitate fidem corruperint. Innumera refers Theophile, te solo Authore & teste, sed teipsum intestabilem effecisti, perpetua detrahendi, & nugandi licentia, quam ita hoc libro, & hac tua Diatriba vsurpasti, vt aliis locis, & libris præisto, & præ hac Diatriba videaris Catonem egisse.

Nisi ignorares Eliseum Masini à Bononia, Inquisitorem Genuensem fuisse virum grauissimum, & Authorem illius libri, cui titulus *Sacro Arsenale*, quod vel Manuale, vel promptuarium est omnium, qui negotia Inquisitionis tractant, non poteras non desipere cum scripsisti sub eius nomine delitescere Arcadici pecuarij stoliditatem, (hi enim sunt tuæ Rhetoricæ flores;) & addidisti, cum pro schola Matheseos præligendus liber propositus fuisset, cui titulus, *Euclidis Geometria Practica*; iussisse eradi vocem hanc *Geometria*, quod terminaretur in ia, sicut Necromantia, & aliæ Magiæ species. Adiungis vbi librum vidisset figuris mathematicis notatũ, exclamasse attonitum. *En magicas delineationes, non fiet, quod petitis.* Non seruasti Petre, Comediæ decoA iij

rum Induxisti Ciceronem vt asinum rudentem, aut D. Ludouicum tyrannica verba proferentem. Quis non rideat tuam insaniam, aut in illam excandescat, cum imponis, quæ Tyro grammaticæ non fecisset, viro quem Tribunalia Inquisitionum tanquam Magistrum venerantur.

Ferunt, Menandrum Comœdiæ facile principem, rogatum repræsentare quam promiserat, respondisse, comœdiam paratam esse, sed illi verba esse accommodanda, id est iam mente conceperat opus, sed nondum scripto dederat. Tu vero Petre, iam diu praueras multa ridicula, & stulta, incerto Authore, quale est illud quod refers pag. 103. illius, qui iussit expungi tanquam verba antichristiana, *sic fata est*, quasi resiperent fatum ethnicorum; & qualia sunt fere omnia, quæ refers vsque ad paginam 110. Sed respondere poteras, hæc omnia in tuis scriniis indiuiduo vago afficta, tuorum inimicorum alicui esse accommodanda: & id præstas contra, vt iam sæpè monui, omnem fidem & contra comœdiæ leges.

Quis enim credat Patrem Serronium perdoctum Theologiæ Professorem, & Ecclesiasten, primo ad Episcopatum Arausicanum, deinde ad Mimatensem, & grauissimis Regni Galliæ negotiis, iudicio Regis sapientissimi admotum, ita desipuisse, sicuti fingis, vt visis, Scorpione, Virgine, & Leone, ad conspectum eius imaginis infremuerit, quod Deipara inter bestias collocata fuisset: sed dum huiusmodi sacrilegiis in Illustrissimum Præsulem id est Christi vnctum, & qui est ex illorum numero, de quibus seuerè indicit Deus, *Nolite tangere Christos meos*, timendum tibi est ne ipse ad Bestias deuorandus damneris, aut illis annumerere omnium iudicio, qui sapientissimum Serronium nouerunt, & qui meminere annis proximè præteritis Burdigalæ, cum nomine Cardinalis Mazarini, Thesibus præesset apud tuos Patres disputatis, cum omnium stupore astantium, repetiisse quæcumque hinc inde inter Doctores proposita fuere argumenta & responsa. Vnde à quodam Senatore Burdigalensi dictum, si eo pretio redimeretur munus Mecœnatis, paucos Serronio similes, & illi officio obeundo pares fore.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [26] - 6
PUBLIC DOMAIN

Nisi omnibus notus esset Pater Magister Hyacinthus Pandulphius, cuius recentem adhuc mortem dolemus; nisi ciuitate Romana teste, è Regno Neapolitano, vbi & studiorum Regentis munere, & grauissimis negotiis fungebatur, eminentissimus Cardinalis Medices in Confessarium & Theologum aduocasset; nisi omnes à minimo vsque ad maximum eius pietatem, & scientiam perspectam haberent, potuisses sperare Petre, te fucum facturum tuis calumniis, dum asseris illum è conclusionibus edendis eradi iussisse nomen *Marchio*, eo quod censeret esse in casu dandi, & pertinere ad Titulum Cardinalis, cui conclusiones dicatæ erant.

Quam absona, & absurda sunt ista tua inuenta Theophile? Omnibus profecto legentibus stomachum moues, quia omnino insulsa & inuerisimilia refers. Hoc vnum scio Pandulphium dum socium Magistri sacri Palatii ageret, negasse tibi licentiam edendi Romæ tuum libellum *de sobria alterius sexus frequentatione*, quod vir emunctæ naris subodoratus esset aliquid more tuo fœtidum & vindictam redolens apposuisse. Quid si vidisset primam illius libri inscriptionem, quam sub Guillelmi Postelli & Ioannæ Amicæ nominibus fabulam, in aliorum cognominum dedecus ludebas? Hinc ergo tuus in Pandulphium liuor, qui modo erupit. Sed meminisse debueras Candidum Riccardum, & Pandulphium fuisse adeo integræ famæ, & compertæ sapientiæ, vt si quis de illis obloqueretur, infamiam sibi, nullum vero illis dedecus crearet.

De Patre Monstro, seu Riccardio ad stuporem sapientissimo fingis impossibilia: sed tua libido nos traducendi nullo fræno cohiberi potest; nec etiam tuo proprio damno. Non curas patere alienis ictibus, nec te nudare, dummodo nos ferias. Rides Patrem Riccardium, quod tomo sex paginarum scripserit de Concilio Tridentino, & quod dictum ad Imperatorem, *Constantine Fidem petis, dum Athanasium insequeris*, petitionem fidei interpretatus fuerit postulationem initiationis in Christianam fidem. Sed prima censura malè Criticum egisti, & altera peius Comicum. Monui te in mentiendo sicut in latrocinando suum esse decorum, tu sine arte, & regula id tentas; cum viro ob ingenium, & eruditionem

nomine Monstro vix credendam de Grammaticæ Tyrone imperitiam affingis. Plurimi illum magis impetu & extemporanea eloquentia, quam meditata scriptione censent valuisse. At sicut equi generosam indolem, virosque animo pares, non minus Magistris suis approbant, dum ad nutum illorum sese repentè cohibent, in medio cursu, quam cum citissime & longissime illum prosequuntur; ita Patri Ricardio, cum inuidi viuacissimum & subtilissimum ingenium concederent, in illo nonnulli desiderassent iudicium, nisi hac prolusione sibi par ingenio non deesse manifestum fecisset, cum ad initium Historiæ Concilij Tridentini hæsit, & ab ea longius prosequenda, vel absoluenda, abstinuit. Ita enim eius labor vel conatus multis placuit, vt malint huiusmodi Historiam sex foliis Riccardi, quam pluribus Tomis aliorum extare aut legi.

Cæterum meminisse debueras Theophile, quam demisso animo, ne dicam seruili Riccardum dum viueret, & tu Romæ degeres reuerebare, in quem nunc ita impotenter inueheris; vt omnes agnoscant, te minutos Canes imitari qui Leoni mortuo illudunt & insultant, cuius viui nec aspectum, nec rugitum, sustinere poterant. Et ne dubium sit quo spectent hæc tua; ipsemet post laceratum Ricardum declarasti his verbis pag. 107. *En quos orbis habet doctrina arbitros, & librorum in Ecclesia Catholica recognitores, quorum iudiciis stent aut cadant lucubrationes peritorum, ad eos Æacos, nulli innocentiam debentes, vndequaque delatæ; qui quidquid per ignorantiam, aut subitum æstum dixerint, irretractabiliter est exequendum.*

Quis condignè reputet quot & quanta his paucis verbis, nedum in priuatorum hominum, quos iniquissimè discerpis, sed in publicum totius Ecclesiæ bonum peccaueris; quam hæreticis irridendam & conculcandam præbes, quod tuos libellos damnarit ad arbitrium hominum, quos tu Arcadicos pecuarios vocas, quos vt nugaces & ridiculos traducis; & quidquid isti, inquis, per ignorantiam protulerint, iubent exequendum: Nam vt addis maiores surdi sunt ad omnes reclamationes, quarum contra censuras Martyrij per pestem, eximit sonus in omnem terram, & in fines orbis terræ peruenit. Hinc

genuinum infigis in Candidum, quem inter Romanos scriptorum Mastigas, nomine Candidum reipsa Nigrum vis, à quo mones esse cauendum. Sed quid mali admisit? Repulit, inquis, Baptistam Giatinum Theologum insignem, quod nollet subscribere huic propositioni, *Filium in diuinis esse Patri Æterno similem in natura.* Ad has accusationes duo Respondeo: primo confictam à te hanc fabulam de contentione inter Candidum & Giatinum, vt ipsemet hac de re quæsitus asseuerauit. Addo potuisse Giatinum sine Arianismi periculo assentire illi propositioni, quæ sensum habet Catholicum & à Theologis passim vsurpatur.

Sed longè acerbius more tuo excipis Patrem Magistrum Ordinis Marinum & quem alibi, *caprum ducem gregis*, alio loco *Opilionem Arcadicum* vocas, hic nouo titulo donas. Vis præ ruditate sacræ latinitatis alterum piscem esse, nomine Colaum. Qua vero de causa in illum sæuis? Quod Ioannis Sancij damnarit sententiam, qua asserebat communicare fas esse sexta feria Parasceues, quod prohibitum putabat canonibus de celebratione sacramentorum, & inde excurris in plura argumenta, & exempla pro communione sextæ feriæ Parasceues.

Ad hæc duo etiam Respondeo: omnino à te confictam hanc narrationem, nec quicquam à Patre Marino contra Sancium fuisse pronunciatum: sed tu in speciem mouisti litem Patri Marino, vt obliquè damnares Decretum sacræ Congregationis datum nono Maij 1606. relatum à Diana quo prohibet communionem sexta feria citra priuilegium aut necessitatem, & iubet seruari morem Ecclesiæ vniuersalis ne eo die ministretur Eucharistiæ sacramentum nisi infirmis. Sed non dubito quin huiusmodi decretum reponas, inter Anomala pietatis. Ne vllum falsi genus obmitteres confingere de quolibet rerum genere, vbi tot & tanta imperite & stulta dicta de nobis aut à nobis addis pag. 117. factum ridiculum quod mimice narras, quemdam hospitem diuertisse ad Conuentum Dominicanorum in Hispania, & iussum fingere morbum à Priore, incœnatum lecto componi, recipere viaticum, & se parare ad Extremam vnctionem: sed veritus ne eam tractationem conse-

querentur mors, & inferiæ, nocte concubia aufugisse.

Dum ista lego apud te, miseret me tui Theophile, quod ea rabie odij in nos actus sis, vt sacerdos Theologus vlciscendi causa in istis nugis confingendis & scribendis totus sis. Vicem etiam meam doleo, quod ad illas refellendas me coegeris: sed cum huiusmodi gerris video te delectari, reputo te centenario paulo minorem, longe debilioris esse iudicij Patrisfamilias filio adolescentiore, qui extorta à patre sua portione, abiit in regionem longinquam, bona sua dilapidauit, & præ inopia ac fame porcis præfectus, illorum siliquis inhiabat. Agnoscis in illo iuuene tui imaginem & exemplum, quod superasti. Quid enim à Sacerdote & Theologo depontano magis alienum quam huiusmodi fabularum commenta & narrationes? Mirum est quam velis videri delicatæ conscientiæ, cum consulto ais te reticere nomen illius conuentus, in quo cusa est hæc fabula; cum Reuerendissimi Serronij, aliorumque virorum illustrium nomina euulges cum scandalo publico & cum infamia: vis fictam pietatem addere vitio audaciæ, vt cum Camelum deglutieris, pulicem colares. Sed de his satis, & heu nimium: nunc ad aliud gerrarum transeamus genus.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Vindiciæ nostrorum Concionatorum, quos carpit Theophilus.

PRimum actum tuæ comœdiæ excussimus: accedimus ad secundum, quo aliqua leuius dicta à nostris concionatoribus colligis. Videris Henrici Stephani apologiam pro Herodoto, imitari: poteras tamen addere alterum Authorem, tibi majori cognationis vinculo coniunctum, scilicet Marcum Antonium de Dominis Apostatam & nostri sæculi cothurnum, qui cum omnes Religiones voluerit conciliare, omnes euertit. Is de se narrat, aliquando rus petiisse, comportatis omnibus, quos potuit colligere superiorum temporum concionatoribus, vt illorum ineptias rideret.

Henrico Stephano, & Marco Antonio famosissimis

hæreticis, aut verius Atheis accedere voluisti, quasi tertius mastix: at si placuisset tuum libellum augere, poteras ex Raulino, Oliuerio Maillardo, & Bernardino de Bustis elegantiores gemmas, quam ex nostris colligere. Sed solum Dominicanis bellum indixisti. Poteram primò dicere, aliqua si minus grauiter à nostris dicta, illius sæculi vitia fuisse; potuissem addere ex concionatoribus qui supersunt grauiores ex nostris esse, quales sunt Humbertus de Romanis, Petrus Ieremias, sanctus Vincentius Ferrerius, Taulerus, & alij plures multo solidiores, quam ferret ratio temporis. Nec longè absunt à grauitate SS. Patrum.

Sed à te Petre frustra sperem vel æquitatem iudicij, vel commiserationem mali communis, aut temporum infœlicitatis. Hoc solum vix tibi condonare possum, quod cum vitium hoc, (si vitium appelles) tibi, aut omnino occultandum, aut excusandum esset; tu contrà auxisti in maius, & interdum confinxisti; vt quæ de Gabriele Bareleta refers: ille enim dixit, tribus Christum Samaritanæ innotuisse, scilicet veste, loquela, & circumcisione, quæ erat populi Iudaici quasi character, sicut ille qui Christianorum animis signaculum Baptismi imprimitur: & licet vterque diuersis causis sit occultus, circumcisionis pro honestate, & baptismi, ratione subiecti, scilicet animæ cui inest, spiritualis, inaspectabilis; tamen vterque aliquo signo fit manifestus, apud Iudæos, & Christianos, sicut Turcarum circumcisio Cydare alba. Hæc est genuina mens Barcletæ, sed animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, & ideo fingis, quæ pudor nobis præcipit tacere, vt in Bareletam possis exclamare, *Proh effrontem Chamum, non minus hac in parte ineptum, quam impium, & impudoratum.* Sed videris ne hæc probra in te cadant, qui verbum, quod poteras modestissimè interpretari, ad sensum carnalem, homo animalis arripuisti. Imo de tuo addidisti, quod non habet Bareleta, *videndo Christum*, quo verbo totum venenum latet. Sed de his supersedeo.

In aliis quæ refers à Bareleta asserta, fateor minus recte, & grauiter ipsum locutum fuisse: sed condonandum illius sæculi ruditati, quod his similia admitte-

tebat in concionatoribus, etiam tunc temporis insignibus, ac etiam parendum Barlettæ facetiis & salibus nimis indulgenti, sed cæteroqui insigni Theologo, & profundam Theologiam suis concionibus admiscenti. Comparatio à Ioanne de Lausanna instituta de Christo patiente, & assato igne charitatis, si vera sunt, quæ dicis, nam librum non vidi, non adeo inepta dicenda est vt tu asseris, nec aberat à stylo scripturæ & sanctorum Patrum, quæ passim Christum agno occiso cocto, & comedendo tanquam figuræ præstantissimæ compararunt: Et re vera nihil mali habet illa collatio Iacobi, nisi quod de tuo addidisti, citrio malo aureo adiuncto, cuius succum per compressionem affundis supra corpus Christi Domini homo cupediarum, vnde etiam circa mysteria sacrosancta vis ludere, & Iacobum de Lausanna ridere: is fuit Episcopus Lausanensis & Doctor Parisiensis.

Alphonsus à Castro, cuius sæpius contra Dominicanos captat verba & interdum etiam mentem diuinat, omnino dissentit à Theophili de Ioanne Lausana iudicio; tanti enim quas traducit vt ridiculas huius viri concliones edendas curauit Alphonsus, hæc præfatus: si res ipsas inspicias, inuenies scio quod laudes, quod legere delectet, eligere placeat, vt tandem electum semines in terram, quæ afferat fructum aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum: est enim Author ipse quod mitor adeo in parabolis frequens, vt ex industria saluatorem ipsum imitari videatur, quem in parabolis locutum fuisse Euangelium prædicat.

Quæ refers ex Sancio à Porta de interpretatione verbi Aue & salutationis Angelicæ, non video adeo inepta esse, vt tu dicis, eo magis, quo dignius à Sancio dicta esse, quam tu refers, credibile est, consueuisti omnium in his, quæ de nostris refers, multa relinquere, quæ ab illis dicuntur, vt inepta repræsentes, quæ in suis authoribus perlecta, ab omni ineptia sunt remotissima. Sermonem istum Sancij non vidi; cum tamen Sancius asserat, sermonem suum gratum fuisse Summo Pontifici, & propterea se à Summo Pontifice creatum fuisse Magistrum sacri Palatij. Credendum est, Sancij dicta nec inepta, nec indocta fuisse; & suam etiam defensionem

repetere potest à pluribus Sanctorum Patrum exemplis, qui Pythagoræorum, vel Hebræorum more mysteria numeris, aut verbis inclusa diligentissime scrutati sunt. Certe non censeo, his esse magis digna, quæ ab nominum literis desumuntur, & ab anagrammatibus, quibus plerique etiam tuorum minè delectantur. Alia quæ de Sancio affers, videnda essent, nam tibi nulla fides.

Hæc habuisti Theophile, quæ de nostrorum concionatorum ineptiis, vt loqueris, obiiceres. Verum ego habeo multò grauiora, quæ tibi reponam: in primis, si hanc, quæ in concionibus inualuit à multis annis, barbariem, & infantiam, ipse, vel tui ab Ecclesia depulissent, triumphum tibi erigeres prostratæ ignorantiæ. Sed hanc laudem, aut iactationem eripuerunt tibi, qui antecesserunt ex nostris viri grauissimi & eloquentissimi, quales fuerunt Granatensis, Forerius, Lanuza, aliique innumeri, qui Sanctorum Patrum grauitatem, & eloquentiam reuocarunt, quos deinde secuti sunt plures, & è Societate vnum vidi Ioannem Osorium methodo, & vtilitate laudandum.

Sed vix me possum continere, quin nomine Ecclesiæ conquerar, nouam corruptelam in conciones inductam forte antiqua simplicitate, & infantia, quam in nostris carpis peiorem, quia eiuratis omnibus humanæ, & Ecclesiasticæ eloquentiæ legibus, quas Quintilianus, quas Cicero, quas Erasmus ipse in suo Ecclesiaste non reprehendendo, quas Granatensis noster præscripsere, vni student nouitati conceptuum, quos ex scriptura, ex SS. Patribus contra apertam illorum mentem, summa vi & obtorto collo trahunt, quibus nihil infructuosius ad mores, nihil frigidius ad ciendos affectus, nihil ineptius etiam ad sensum communem, qui doctioribus mouent risum, & solis imperitis admirationem. Hodie non quæritur quid accommodate dici possit ad persuadendum, vel instituendum populum, sed quid noui, quod in nullius vnquam imaginationem venerit. Conciones hodiernæ constant cogitationibus nescio quibus, aut potius insomniis, nullo ordine, nulla methodo, nullo fine, nisi vt noua & inaudita, aut subtilia scilicet, & futilia dicantur. Obstupesco sæpius cum Quintiliani de

Seneca iudicium lego: reprehendit in hoc Authore, quæ si noſtris concionatoribus contingerent, omnium iudicia raperent.

Arguit Quintilianus Senecam, quod eloquentiam corrumpat dulcibus vitiis, quibus iuuentus allicitur, quod frequentioribus ſententiis frangat rerum pondera. Quid de Baeza quid de Celada, quid de aliis huius ſæculi ſcriptoribus, quos ſibi Magiſtros concionatores eligunt, diceret Quintilianus? Cum eorum laudes ſummæ non accedant, ne dicam ad dotes, ad grauitatem, ad eloquentiam Senecæ, ſed nec ad ipſamet vitia, quæ in illo reprehendit Quintilianus?

Non ſatis viſa eſt latè patere Scriptura nouis iſtis eloquentiæ Eccleſiaſticæ nuperis Magiſtris ad nouas cogitationes cudendas: idem fere iuris dedere omnibus ſanctis Patribus, nec ſolum illorum verba, ſed etiam ſyllabas aucupantur, vt nouum aliquem ſenſum extrahant. Qui iſtis artibus innutriti fuerunt, non ſolum cogitationes nouas ex Scriptura, aut Patribus extrahunt, ſed potius ex nihilo creant. Et cum iudicium de vera eloquentia ad conciones apta habeant corruptiſſimum, magis ad illorum guſtum ſunt Ennodius, Sidonius, Appolinaris, Caſſiodorus, viri quidem moribus ſancti, ſenſibus profundi; ſed, ita affectati ſtyli, vt dicas ſub Gothorum regno ſcripſiſſe. Hos maxime lectitant, hos imitantur verbis tumentibus, & tinnulis, vt dum illos lego, videar mihi videre homines, qui abiecto more incedendi ſolito, extremis digitis pedum, quo altiores ſint, affectatâ grauitate gradiuntur.

Quandoquidem ad concionandi rationem & methodum, ſenſim nos deduxit veterum noſtrorum concionatorum aduerſus Petri Sarcaſmos defenſio; iis quæ habendis aut ſcribendis concionibus tum veteri, tum recenti methodo diximus, placet vnum aut alterum addere: primum ad commendationem veterum quos lacerat Petrus plurimum facere exemplum modernorum, qui ſaltem apud nos, ex ipſis imitantur illam perpetuam ſermonum in partes, & harum ſubinde in alias diuiſionem apud nos receptam, à qua multum abhorrent qui ex aliis nationibus conciones edunt; quia vt

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [34] - 14
PUBLIC DOMAIN

plurimum materias tantum congerunt variasque cogitiones, vix certi alicuius argumenti, aut ordinis habita ratione.

Sed vtrinque, vt solet, in extrema vitia impingitur. Quis enim probet nimis sollicitam, & semper in easdem partitiones quasi aliquod carmen scriberetur recurrentem concionem? Nam vt egregie Granatensis sua Rhetorica Christiana obseruat, nulla methodus dicendi vitiosior est ea cui licet præstantissimæ Orator quasi ad saxum adhæresci. Idque sugillat Horatius de arte Poëtica exemplo Cytharædi: *Ridetur corda qui semper oberrat eadem*: affectatum nihil probari potest: nam vt egregiè Seneca: *Nonne etiam qui accurate loquitur, idem & putidè loquitur?*

At quis ab hoc vitio excusset partitiones solemnes, & perpetuas in nouem partes, quæ rarius à Concione quam à corpore humano manuum in decem digitos fissura absint? Quarum vix vllum apud Oratores aut SS. PP. Græcos, vel Latinos veræ eloquentiæ parentes vestigium extet: & si exemplis tutari se velint; nullum suppetat nisi concionatorum à duobus, aut tribus sæculis, quibus videbatur fere extincta eloquentia, ad Constantinopolitanum vsque excidium, à quo tempore opera Græcorum, quos hæc clades in Italiam deiecerat, aliquantulum ars Oratoria respirauit. Optimos itaque morum & Sacræ Doctrinæ, sed pessimos eloquentiæ Magistros sibi deligunt, qui huiusmodi partitionum Authores sequuntur,

Nec illa ab antiquis Patribus & Oratoribus adeò enormis exerratio contingere potest citra veræ eloquentiæ grauissimam noxam: Nam memini nescio quo loco, me apud Tullium legere, hoc distare Oratoriam artem à Poëtica, quod illa vno genere contineatur, ista verò ad plura diuersissima pateat: Hinc discrimen illud obseruat Tullius Poëtæ nomen & laudem posse quem assequi, licet Homero dissimilis esse velit, si ab Epico carmine abstineat, & Odas cum Pindaro, Elegos cum Callimacho, Comœdias cum Menandro, Tragœdias cum Sophocle scribat. Verum Oratoris partes nemo implebit, nisi ad Demosthenis similitudinem accedat. Quia vno genere continetur tota hæc ars, quæ in Demosthe-

ue eminet. Vt inde agnoscas à veræ eloquentiæ eos abduci studio,& laude excidere ,qui id sibi perpetuo indicunt, quod scriptorum , qui ab Eloquentia maximè commendantur, nullus vsurparit. Fortè Externi maximè Hispani vt id vitium effugiant , & dissimiles sint Gallis , vix vllam adhibent partitionem : multa congerunt nihil distinguunt. Verum nescio qua parte grauius peccetur, vel nimis sollicitâ eademque partium Concionis diuisione , vel nulla partitione adhibitâ.

Præter hoc extremum vitium aliud habent Hispani, à quo longius absunt nostri, vt meras argutias perpetuò captent,& ita subtilitatibus capiantur , vt videantur solida fugere , & fastidire. Illud miror quî fieri possit ex eadem gente ~~à Deo~~ differre scriptores asceticos (quales sunt Diua Theresia Ioannes à Cruce, Granatensis Rodrigues , Aponte, alijque innumeri,) à scriptoribus concionum. Nihil solidius , altius, salubrius ad componendos mores, vel diuinius & efficacius ad ciendos affectus libris spiritualibus qui ex Hispania prodeunt nihil istis dissimilius , nihil frigidius ad pietatem, aut ineptius nonnullorum Concionibus quæ inde ad nos perueniunt. Vt ad nostros redeam,non dubito oratoriæ perinde ac reliquis artibus imitandam naturam esse , quæ licet corpus humanum aliaque nobiliora opificia multiplici organorum facultatum suppellectile componat & instruat : tamen distinctionem partium ad incolumitatem , magis quam ad decus instituram , videtur occultare & inducta carne,artuum neruorumque colligationem , veluti quodam fuco & velo tegere & obuoluere. Ita plane orationem instar corporis humani infinitis dabo partibus conficiendam , sic tamen vt sicut de concentu vocum,ait Seneca,distinctio confusa omnium exter,lateat singulorum; à quo genere compositionis quod natura commendat,longissime absunt nostri concionatores anxia illa , & vbique eadem similium aut dissimilium Concionis partium compage & ostentatione. Quasi non alia sint quæ ad venustatem, & vires orationis , vti etiam corporis conducant. Adde hunc perpetuum Orationis in tres & harum quamlibet in totidem partes distinctionem , non vnam, sed tres

rationes

orationes conficere, quælibet ſuum exordium, ſuas peroorationes cum habeat, prima fere vires debilitat, altera exhaurit; vt ad finem langueat oratio, cum maiori vocis & animi contentione agendum eſſet.

Ab octoginta annis Author Gallus longè celeberrimus ſcripſit, hoc ſibi Galliam videri differre ab Italia, quod Cauſidicos meliores & diſertiores concionatoribus habeat. Secùs aliis nationibus contigiſſe. An id etiam nunc obtinuerit nolim iudicare. Hinc fortè Patrum noſtrorum ætate olim dictum circumfertur, Hiſpaniam omnibus numeris abſolutum Concionatorem (in Granatenſi ni fallor,) habuiſſe, Italiam audire & poſſidere, Galliam expectare: an aduenerit, alij iudicent & ſtatuant. Id mihi compertum, perpetuum eiuſdem methodi tenorem in omnes Conciones inductum, non admodum conferre, imo fortè obeſſe ad perfectum Oratoris Chriſtiani exemplar inſtituendum: Nam cum diuerſa ſint Concionum argumenta, quæ proinde varias formas & diuiſiones exigant, quiſquis ad vnam diſſerendi & partiendi rationem omnia reuocat, vim rebus infert quadam ſui diffidentia: quia cum ſe imparem ſentiat ſingulis pro ſua quibuſcunque ratione tractandis rebus, omnes ſuo modulo metitur, ideſt ſuis viribus & legibus accommodat; quia ſequi quo ducunt, vel non poteſt, vel non audet. Ne videar ſuperſtitibus qui adhuc conciones habent aut ſcribunt adulari, de his qui viuere deſierunt; vnum dicam, omnium in hoc genere optimos mihi viſos qui Apoſtolica majeſtate res diuinas pro Concionibus tractarunt, ſcilicet Philippum Coſpeanum, & eos qui ex tanti Magiſtri ſchola prodierunt.

Iſta fortè liberius; ſed bono animo dicta ſunt, & ſtudio in partem Eccleſiaſtici miniſterij longè præſtantiſſimam à multis pejus habitam, quam ab illis qui diſtinctionum tricis implicant & inuoluunt. Iſta etiam à me extorſit defenſio veterum Concionatorum, quos noui è noſtris imitatione dignos cenſent: & qui ab illorum ſimplicitate & diſtinctionibus recedunt, forte in grauiora vitia delabuntur.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Vindiciæ nouem Scriptorum è Dominicanis.

E Noſtris ſcriptoribus, quos ineptiarum, nugarum, & ignorantiarum arguit Theophilus, præter Concionatores iam defenſos, nouem omnino ſuperſunt, quos vt ignaros, & ridiculos traducit, quibus debeo vindicias, & hoc paragrapho perſoluam. Hi vero Alanus de Rupe, & Andreas Cappeſteinnus ex Ieſuita factus Dominicanus, ambo eiuſdem impietatis notati; Thomas Vvallens, & eius adiutor Nicolaus Triuet, librorum Diui Auguſtini de Ciuitate Dei interpretes, quorum ait multis ignorantiis, ineptiis, gerris, anilitatibus, figmentis ita fartum Commentarium, vt videatur perpetua ſomniantis exerratio. Quintus eſt Godofridus Viterbienſis, quem ſuffragio Bernardi de Luxemburgo accenſet Dominicanis, quamlibet diſſentiant Trithemius, qui Preſbyterum eſſe aſſerit, & Poſſeuinus addit, Aulæ Imperialis Sacellanum fuiſſe.

Ab his diſcedit Theophilus vt in nos congerat, quibus Godofridi opus titulo Pantheon libris 22. contentum ait fartum, inepta commenta, quale eſt illud de paruula Chriſti veſte è cœlo ſubmiſſa, & creſcente cum ipſo ſemper: ſed Godofridum ſequitur Bernardus à Luxemburgo, cui Catalogo hæreticorum omnem abrogat fidem, contentus illi ſemel habuiſſe, dum putat Godofrido augeri numerum ſcriptorum, qui ſuis ineptiis Ordinem dehoneſtarunt. Septimus eſt Paulus Griſaldus, cui duas ignorantiſſimas exerrationes, quæ cadere non potuerunt niſi in Aſinum bipedem obijcit; primò quod in columna hæreticorum deſcripſerit Methodium, Iſidorum, & plures è Sanctis Patribus. Secundò quod Sanctum Methodium collocet poſt Anaſtaſium Sinaïtam, & Paulum Diaconum ante Proclum, & Theophylactum. In carnificinam octauus inducitur Bzouius. Reorum agmen tandem concludit Dominicus à Soto.

Tribus omnino accuſationum generibus hos nouem aggreditur. Quibuſdam obijcit atrocia vt Alano, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [38] - 18
PUBLIC DOMAIN

Coppestein ; Bzouio falsa ; aliis leuia , & pleraque etiam falsa , aut si quæ vera sint omnino futilia : ita vt cum totis viribus velit nostros Authores quasi ridendos , aut execrandos traducere , seipsum præbeat nobis quidem miserandum , aliis seuerioribus intestabilem , quod Theologus , Religiosus , Senex ausus sit commiscisci adeo atrocia , vel adeo leuia consectari. Sed paucis eius vel ineptias, vel calumnias depellamus. Alanum de Rupe , & socium eiusdem criminis Coppestein accusat , quod in Rosario Christi,& Mariæ,asseruerint Virginem recitasse Rosarium , & tanquam Orationem directam ad seipsam prout spectatur secundùm esse Ideale ab æterno absconditum in Deo.

Nonnulli ad hanc accusationem reponendum censebant Coppestein mutatâ togâ , non sensa mutasse , & ex priori conuictu illi adhæsisse huiusmodi Anomala, quæ tu voces pietatis. Sed nihil opus eo confugere,cum accusatio tota falsis constet,& ideo ex his Authoribus,nec verba refers,nec locum vllum designas , nisi generatim Rosarium Mariæ ; conscius te calumniari , quia nihil vterque Autor nisi solidum & pium habet,etiamsi ad Theologiæ rigorem expendas. Alanus enim asserit sibi reuelatum, Deiparam conscium virtutis , quæ inerat Salutationi Angelicæ , quam ipse vocat Annunciationem Dominicam,deuotius eam recitasse , & secundum humanitatem coluisse Mariam , secundum esse Diuinum gratiæ , & gloriæ.

Addit etiam Apostolis compertam fuisse virtutem , quæ inerat illis verbis , quibus Angelus Virginem compellauerat vt Dei Matrem & gratia plenam , & dum ipsa esset adhuc in terra superstes hac oratione vsos , quam referebant ad Mariam,sub esse gratiæ præsentis & futuræ gloriæ , ac prouidentiæ diuinæ prout ab æterno eam habuit existentem. Quæro à te Theophile , cur esse Idealis meministi tantum, quod oblique insinuat Alanus , & subticuisti esse gratiæ & gloriæ , sub quo respectu nulli nisi hæretico dubium esse potest Deiparam coli debuisse , etiam à seipsa & precibus adiri potuisse ab aliis ? Sed commodum tibi erat locum Alani dimidiare , aut tertiare , vt posses *Asinitatem* obijcere viro sancto , quem Trithemius testatur *in Diuinis Scripturis*

eruditum, in declamandis, concionibus ad populum, excellentissimæ opinionis, vita & conuersatione Deo deuotum, & Beatæ Virginis cultorem præcipuum, à qua singulari dono supernæ consolationis meruerit recreari, cui etiam Deipara magistra sua, pene familiaris, plurima ore proprio reuelauit. Sed Theophile, nihil tibi sanctum, nihil sacrum.

Quæ Godofrido Viterbiensiimputas, (cuius nobis gratiam facis vt nos eius ineptiis graues:) leuia sunt, & mixta falsis. Mirum est te ausum vlli improperare titulum sui operis, quod imperitè contendis vocatum Pantheon, cum ipsemet peccaueris ex ignorantia linguæ Græcæ, tuæ satyræ inscriptione, cum Dominicanos vocaueris Cyriacos, quod nomen ad Dominicos potest deriuari, ad Dominicanos nunquam. Nec æquior es, dum eius opinionem & versus de veste Christi, infantiæ, & ineptiæ arguis. Certè elegantiores sunt versus quam ferebat ratio illius temporis: sic enim habet.

Mittitur è cœlis puero dignissima vestis
Hæc inconsutilis, mira colore fuit.
Hanc Pater è cœlis misit, non fœmina neuit
Longa fuitque breuis, puero crescentequecreuit.

Certe non commeruit Godofridus his versibus, adeo acerbe à te haberi, nec illud in Dominicanos dedecus redundat, sed in Theophilum tota hæc accusatio resilit, quod rem piam vitio vertat, quod in recensendis authoribus non aliam regulam sequatur, quam carpendi libidinem.

Bernardus à Luxemburgo priori editione fere prætermissus fuit, eiusque dicta indefensa reliqui, quod non habuissem copiam librorum eius: sed illum egregiè tutatur alius Apologista, vti & Thomam Vvallens, de quibus cum meliora habeas apud ipsum, hæc pauca ab ipso magna ex parte accipe: Partim falsa, partim futilia sunt, quæ ex catalogo hæreticorum ab Alphonso à Castro illi obiicis, & nihil prorsus affers, quod facillimam non habeat explicationem: quale est illud, quod Catalogo hæreticorum inscripserit Præpositum, Porretanum Catholicos, & ex Mahometanis Auicennam, & Auerroem. Esto errauerit Bernardus, quid inde? Estne adeo grande piaculum in Catalogo scriptorum dormitasse

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [40] - 20
PUBLIC DOMAIN

aliquando, & leuissimos illos errores admisisse, qui non carent excusatione? Nam quoad Præpositum, & Porretanum attinet, certum est malè de Trinitate sensisse, & in Concilio Rhemensi agente D. Bernardo eorum damnatum errorem, ipsosque resipuisse. Si vero licuit D. Hieronymo scriptoribus Ecclesiasticis accensere Philonem, & Iosephum Iudæos, quod de Christo hic honorifice, ille de Christianorum Alexandriæ in Ægypto sancta conuersatione scripserit: Quid mirum à Bernardo annumeratos Auicennam & Auerroem inter hæreticos, qui impiè de Trinitate senserunt, aliaque fidei mysteria impugnarunt?

Non minus ridicula, quam imperita est reprehensio ethymologiæ vulpis à volante pede, nam habetur apud Calepinum satis accuratum Authorem, desumpta ex Varrone omnium Latinorum doctissimo. Iniustior est tertia censura de origine hæresis Anthropomorphitarum, quam dicit Bernardus natam sub Berengario Imperatore, & primum à Theophilo Alexandrino, deinde à Cassiano impugnatam. Si submoueas errorem typographi, qui seruatis iisdem litteris numeralibus inuertit ordinem, & loco anni 945. apposuit 549. cætera omnia verissima sunt, licet non satis exactè distincta à Bernardo, cuius proinde magis posset Theophilus diligentiam desiderare, quam fidem & peritiam.

Triplex enim est distinguendus huius hæresis status; primò in Syria natæ, Audæo Authore sub Syricio Pontifice, & Theodosio seniore imperante anno 385. & à Theophilo Alexandrino impugnatæ. Secundus status est eiusdem hæresis in Ægypto renascentis anno 402. Honorio, & Arcadio Imperatoribus, Anastasio summo Pontifice, & tum à Cassiano fuit profligata. Tandem anno 945. recruduit in Paduana Prouincia sub Berengario Imperatore, aut potius Tyranno, quem Otho legitimus Cæsar superauit: & hæc hæresis zelo Bracherij Episcopi extincta est. Ex quibus constat verissima esse quæcumque de hac historia refert Bernardus si Typographi mendum corrigas. Nec iustius damnatur ignorantiæ, quod fateatur se nescire, quinam sint hæretici, qui Arnaldistæ vocantur: quia re vera nulli sunt hoc nomine censendi, cum Arnaldus non fuerit hæresiarcha, sed

Abailardi discipulus damnatus ad suspendium, & ad ignem. Nec etiam peccauit recensita hæresi Gabaonitarum, id est Caianitarum qui corrupto nomine, vulgi sermone Gabaonitæ dicebantur: & hoc vocabulo recenset Bernardus tanquam apud omnes recepto. Quid ergo peccauit vt ludibrium deberet Alphonso?

Sed ipsemet Castro, qui Bernardo in eodem scriptionis genere cum ipso versato, ideſt in hæreticorum erroribus recensendis, ex æmulatione, vt solet iniquior, vitio vertit hæreticis accensisse Auerroem, & Auicennam Mahumetanos, ipse quid longe inexcusabilius admisit castigatum merito ab Inquisitionis Hispanæ Expurgatorio, dum Catalogo hæreticorum inscripsit nomen Cajetani Catholicissimi Cardinalis, & de totâ Ecclesiâ optimè meriti. Huius adeo præposteri iudicij causa in promptu est, quod à Castro Franciscanus, & subinde Scoto addictus acerrimum Diui Thomæ vindicem aduersus Scoti insectationes, non æquis oculis inspexerit: Neque atrocem iniuriam necesse est pluribus depellere, post vindicias Inquisitionis Hispanæ, quæ majoris in Cajetanum æquitatis, vti est authoritatis in fidei iudiciis hæc pronunciat, Expurgatorij fol. 37. Ex Alphonsi à Castro indice operis de hæresibus ex quacumque editione, expunge ex numero, & Catalogo Hæreticorum Thomam Caietanum, qui potius inter summi ingenij viros pietate præclaros, atque optimè de Ecclesiâ Catholica meritos numerandus est.

Nescio an hac, quam inscribit Theophilus de nugis Dominicanorum Diatriba, sibi imitandum proposuerit elegantem supra sæculi quo vixit, barbariem, & sapientissimum Ioannem Salisburgensem, qui egregium opus composuit de nugis Curialium: sed Deum immortalem. Quã longè à nobilissimi scriptoris vestigiis aberrauit: nescias dum de nugis vterque agit, an solidior, veracior, & sanctior sit vnus; an futilior, iniustior, & magis fallax, aut nugatior sit alter, vt dum de nugis Dominicanorum titulo tenus agit, suas reipsa obtrudat.

Exemplo sit accusatio Pauli Grisaldi, quem vt iam monui, duplicis ignorantissimæ exerrationis grauat, cum hac nota; *Griseam Grisaldi peritiam*, in ratione temporum, quod Methodium collocarit post Anastasium,

licet illi multis annis supparem.

Debeo plurimum nugis Theophili, quod mihi insignem Theologum, nequidem nomine notum manifestarit, addito illustri testimonio Posseuini, qui me docuit Grisaldum Perusinum sui Ordinis Prouincialem, edidisse decisiones fidei Catholicæ ex sacrarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, Conciliorum, Scholasticorum fontibus, ac Sanctorum gestis deductas, & in vnum Alphabetico ordine collectas, Venetiis semel, & iterum editas. Quid mali Theophile, Grisaldus admisit, aut quem puerilem Anachronismum, quod ordinem non temporum, sed Alphabeti secutus litteram A, primam posuerit, & longe post litteram M. ac proinde Anastasium licet ætate posteriorem, Methodio anteposuerit? Quis tuam hîc vel hallucinationem, vel fraudem excuset, seu tuam nugacitatem, vel improbitatem: Neque enim ausim dicere quo nomine sit appellanda; vel enim sciebas Grisaldum se toto suo opere addixisse ordini Alphabetico, vel ignorabas: si ad hoc secundam confugias, qua ratione audaciam, & temeritatem excusabis, quod Authorem tibi prorsus ignotum graues exerrationibus ignorantissimis; quæ non nisi in *Asinum bipedem cadunt?* si vero primum asseras, qua ratione mendacium adeo graue, adeo apertam fraudem excusabis? Sed nolo te vrgere; si tibi vel minimum conscientiæ, & pudoris superst, non potest tibi grauior pœna hac culpa imponi.

Nec sincerior es, Theophile, Bzouij, quam Grisaldi censura. Duo illi obiicis, quorum vnum leuissimum est; alterum atrox & graue, sed vtrumque falsum. Refers primò in Opusculo de sanctis Medicis, S. Ioannem Mansur mutasse in Ioannem Mesuè, Saracenum, & Pharmacopolam. Secundo Historiam Concilij Tridentini à Paulo Suaui scriptam suis voluminibus adiunxisse. Bzouij defensionem, qua Nicolaus Iansenius strenuè defunctus est, non suscipio: quæ tamen obiicis futilia sunt aut falsa. Opusculum de sanctis Medicis nunquam videre licuit, & facilis fuit Typographi lapsus propter nominis similitudinem, si vera sunt quæ dicis, nam tua dicta semper sunt suspecta.

Historiam autem Pauli Seruitæ in suos Annales voluisse

transcribere, vix crediderim multis de causis. Primò quia Bzouius sciebat, historiam illam fuisse editam à Marco Antonio de Dominis, qui in Angliam confugerat, post Apostasiam à Fide, à dignitate Archiepiscopali, & à Societate; nec poterat illum latere Authoris infamia. Et cum liber notus, ac diuulgatus esset, imo & damnatus, non est credibile Bzouium historiam illam in suos Annales voluisse transferre. Deinde tot, ac tanta sunt in ea historia contra Summos Pontifices, contra Romanam Ecclesiam, vt non potuerit Bzouius ita cæcutire quin venenum, quod vndequaque erumpit, non annotaret. Quidquid tandem sit, laudanda est Bzouij cautela, quod nouam operis recognitionem postularit, vt malo, si quod erat ex negligentia natum, consuleretur. Neque simile est de Rangolij viri docti, & Religiosi libro, quia isti inhæsit Vermilij, seu Petri Martyris venenum, quod ab Annalibus Bzouij fuit amotum diligentia vt dicis, sapientissimi Domini Hilarionis Rancati. Quare ergo Rangolij damnas censuram, & optas Bzouij, cum vnus prodierit emendatus, alteri defuerit paris charitatis, aut prudentiæ correptor?

Quæ ad longum refers de F. Thoma Vvallens, & Nicolai Triuet commentario in opus Augustini de ciuitate, & vocas ignorantias, ineptias, gerras, & anilitates. Hæc inquam omnia à doctis probantur, & eodem sensu habentur apud Ambrosium Calepinum, in Theatro vitæ humanæ, & in Dictionario historico, quorum omnium operum periti sunt Authores, ideo in hoc non immorabor. Sed si vellem paria reponere, multa occurrerent ex tuis Authoribus, aut ex vno solo Ludouico Alcazare in commentariis Apocalypsis per sexdecim annos elaboratis, quorum pene pudet Cornelium à Lapide, & vellet solidiora, de quibus sapientissimus Procancellarius Verrius ab vno è Patre docto rogatus, quid de illo opere censeret, respondit vir modestissimus, Authorem profundissimè somniasse, sed absit vt tuum vitium imiter, vt tacenda, aut pudenda euulgem.

Mirum sane est Theophile, te ita per contemptum, & acerbe excipere Thomam Vvallens, virum quem non solum boni omnes semper laudarunt; sed ipsimet inimici, omniumque potentissimus Ludouicus Bauarus ad-

miratus est. Audi quid de illo Tyrinus ex tuis, interpres Scripturæ doctissimus. *Thomas Vvallens. Anglus Angelico Doctori non dissimilis, siue acumen spectes, siue eruditionem, & professionem eiusdem Familiæ Predicatorum.* His dotibus à Tyrino sine inuidia & impensè laudatis, adde duas nihilo minores superioribus, nempe inuictam animi constantiam, & propensissimum ad humaniores litteras sæculo etiam barbaro instaurandas studium, & affectum. Iam supra monui eum esse, qui imitatus Paulum Apostolum in faciem restitit Ioanni XXII. quod reprehensibilis esset, & vt priuatus Doctor, doceret Animas iustorum fraudari ad tempus beatitudine, nec velle, Deum illis se præbiturum visendum, nisi post finem mundi & sæculorum.

Spondanus ad annum 1333. num. primo quem traducit Theophilus, & ridendum omnibus propinat Thomam Valesium, quo inquit non possent vlla arcadiæ pecuaria rudere inconcinius, Spondanus inquam vocat magni nominis prædicatorem, occasione arrepta ascendit in suggestum sacrum, & inuectus est in errorem Ioannis XXII. vt priuati Doctoris, de quo honorificentissime Tirinus catalogo Authorum, quorum opera vsus est in exponenda sacra scriptura: Thomas Anglicus Gaulensis, cognomento Georgius, Angelico Doctori non absimilis, siue acumen spectes, siue stilum, siue doctrinam, siue professionem, fuit enim ex eodem Ordin. Prædicatorum. Inter cætera eius opera extat commentarius in priores Psalmos, tantæ eruditionis, vt facile quoscunque interpretes prouocet, & dolendum sit adeo egregium opus imperfectum ad nos peruenisse seu commentaria, in alios psalmos iniuria temporum perierint, seu Author ipse vltra non sit progressus.

Iam desino mirari, hunc virum tibi esse horrori, Theophile, nempe quod tui sit dissimillimus. Tu eos à quibus speras aut times tantum non adoras, si periculum absit, aut commodum, crudelissimè insectaris. At contra Vvallens, vt iam à me obseruatum est, à seruili obsequio, & audacia prærupta alieniissimus, Ioannis XXII. quamuis in Ordinem nostrum beneuolentissimi, opinionibus validissimè interceßit: nihil veritus veritatis causa indi-

gnationem Principis. Quæ res vbi ad aures peruenit Ludouici, obstupuit, & ad suos conuersus dixit Dominicanorum Familiam esse *Ordinem veritatis*. Certus sum Theophile, tua virtute tuisque artibus Societati cui nomen dedisti nunquam hunc titulum comparaturum. Cæterum legenti mihi Annales nostros, mirandum istud occurrit, quod cum per totum orbem Christianum Patres nostri Pontificia inquisitione functi sint, & plures vbique domos extruxerint; paucas aut nullas habuerimus in Bauaria, & Lotharingia, & Etruriæ inquisitores fidei Franciscani sint.

Horum omnium vnam esse causam comperi Familiæ nostræ sine dubio charum, nempe æquitatis & veritatis propugnandæ studium. Defensio Sedis Apostolicæ aduersus Ludouicum Bauarum, nos tota eius ditione expulit. Adiudicatum à S. Vincentio Ferrerio Principi Castellæ Regnum Aragonum, quod sibi Lotharingus deberi obtendebat, aditum in Lotharingiam occlusit. Propensus Sauonarolæ in Rempublicam Florentinam magis quam in vnius familiæ principatum animus, abstulit illius ditionis inquisitionem. Si quæ inde damna nata sunt, resarciuit cum vsura defensæ causæ æquioris conscientia & laus; atque hic titulus comparatus maximè Thomæ Vvallens. constantia *Ordo veritatis*. Has dotes recensitas vltima cumulauit, quæ est tamen occasio censuræ Theophili, quod à sæculo barbaro humaniores litteras pene exules conatus sit postliminio reuocare.

Certè si Theophilo liceret per odium alioſque prauos affectus, quibus se agi sinit, æquiorem esse, laudaret Thomæ consilium & conatum, & sicubi lapsus sit, vel minus accuratè tractarit, quæ ex Poetis, & Historicis attigit, deberet habere rationem temporis, quo harum scientiarum studia iacebant, & boni consulere, quod Vuallens primus tentasset, quod ipse putat se esse assecutum; vt sentes Theologiæ humaniorum litterarum eruditione amænarit. Sed pluries dictum est illum non esse tantæ æquitatis, vt in aduersario aliquam laudem agnoscat.

Superest vltimus omnium, quos è Dominicanis vexat nempe Dominus à Soto, quem iubet sibi dare pœnas

grauissimas ob leuissimũ peccatum. Illud vero quale est, nempe quod titulos variis phrasibus expresserit, quibus exacte relatis, concludit ex hoc indice prodire cordis in hoc Dominicano inopiam. Multa per totam hanc Diatribam, & libellum contra prudentiam, contra fidem publicam, denique contra omne officium enormiter peccasti, sed nescio an vnquam sapientes viri, tibi grauius, & iustius indignaturi sint, quam quod Theologum tota Ecclesia celeberrimum, & de illa optimè meritum, quasi delirum & puerum traducas.

Nonne vides contra te stare vniuersum orbem Christianum? Nonne ille quem vecordem vocas ab inuictissimo Imperatore Carolo V. electus est in Confessarium? An non illum tota Hispania magistrum venerata est? Nonne ille est, cuius se discipulos gloriabantur Maldonatus, & Toletus, & cuius hic postremus commentaria in Aristotelem non putauit dedecus ad verbum in suos libros transferre. Adeone peregrinus es in Ecclesia, vt nescias nullum in Concilio Tridentino Theologorum, etiam Lainez, & Salmeron frequentius in disputationibus locutum; & auditum vt oraculum à grauissimo consessu Ecclesiæ, & omnium Conciliorum, quotquot post Apostolos habita sunt, doctissimo: dum in Hispaniam rediret summis honoribus ornatum, & nomine totius Concilij hoc æterno insigni donatum, nempè duabus manibus consertis, vnde flamma emicaret, cum hac inscriptione *Fides quæ per dilectionem operatur?* Hunc ergo virum talem, & tantum *cordis inopia*, id est, *quasi vecordem damnas*? Quid poteras, Petre magis in æternum tuum dedecus scribere, quam cum ineptum vocas, quem Imperatores, quem Pontifices, quem Concilia Generalia sapientissimum iudicant? Sed vt video, Petre, aliò spectat tua oratio: forte vis omnibus hæreticis Concilio Tridentino infensissimis gratificari, vt sciant ab vno, qui Religiosi, & Theologi nomen præfert, scriptum, inopia cordis laborasse eum, quem fere præ omnibus Theologis audiuit Concilium Tridentinum, & cui assensere Patres grauissimi. Voluisti hac coronide demonstrare, te nihil pensi habere, si causam hæreticorum promoueas, dummodo de Dominicanis obloquaris.

Quamuis his quas nouem Dominicanis perfolui vindiciis demonſtrauerim, te in illorum notandis vt vocas ineptiis nullum pene prætermiſſum à te peccatum: vnum tamen ſupereſt, de quo hactenus tacui, licet ſupra cætera emineat, nempe ingrati animi, cuius in libris Dominicanorum exagitandis omnium ſapientum iudicio reatum & pœnas feres, vbi agnouerint te in illorum dedecus abuſum ſingulari beneficio, quo te Dominicani demeruerant, vt fida relatione accepi ab vno ex noſtris, cum per Sabaudiam Camberiaco tranſirem. In ea ciuitate Conuentus Dominicanorum multis nominibus inter paucos illuſtris eſt, tum à Parente, & Authore ſanctiſſimo Vincentio Ferrerio & à numeroſa, & illuſtri prole; tum à Bibliotheca filiorum opibus, & magna ex parte manuſcriptis inſtructa, & locupletiſſima. Quod de Ciuitate Thebana Amphionis cantu, & fidibus extructa ferunt, verius eſt de Camberacenſi Conuentu, quem S. Vincentius, cum in iis Regionibus Apoſtolum ageret, ſuis concionibus à fundamentis erexit. Nec minus fœlix fuit progreſſu, & filiis quam Patre, & natalibus: vt cætera taceam habuit octodecim qui Ducibus Sabaudiæ, & tres qui Principibus Burgundiæ & Flandriæ, à concionibus, & confeſſionibus fuere: & ſuam domum non tam Principum muneribus, quam labore manuum ſuarum aut potius eruditionis, & ingenij, ſuiſque lucubrationibus locupletarunt; atque is theſaurus multis annis forte etiam ipſis hæredibus ignotus delituit in Bibliotheca Camberacenſi. Huius autem Bibliothecæ per biennium, dum in ea Ciuitate degeret Theophilus Raynaudus, beneficio Dominicanorum clauim habuit: & toto eo tempore eos libros, & ea manuſcripta excuſſit: nec leuis conjectura eſt, plura ſuffuratum, ſuo nomine vulgaſſe, quia ab eo tempore quo deſiit frequentare Bibliothecam, in ea deſiderata ſunt ſcripta fere omnia, præter vnum, aut alterum elegantiſſimum Petri Boli, quod cum fortè majoris molis eſſet, quam vt poſſet commodè & tuto citra furti ſuſpicionem ſub pallio auferri, ablatis minoribus, quæ erant magis occulto furto opportuna.

Quidquid tamen ſit de Plagiarij crimine, quo omnino teneri Theophilum, nolim aſſerere; certe ingratiſſi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [48] - 28
PUBLIC DOMAIN

mi animi, & vindictæ potius, quam gratiæ referendæ auidi notam eluere non poteſt : liberum habuit à Dominicanis toto illo biennio in bibliothecam ingreſſum, hoc tamen ipſo contra Dominicanos vſus eſt, perlegendo errores, ſi qui erant, in Dominicanorum ſcriptis, vt illos poſtea euulgaret.

Quid tu hoc homine facias? Quid de eo boni ſperes? Imo quid ab eo mali non timeas? Fecerunt Dominicani ſuorum librorum & ſcriptorum copiam Theophilo, quæ potuit ſubripere, & violenta ſuſpicio eſt ſibi vindicaſſe; quid Theophilus pro libris mutuatis repoſuit? Atrociſſimum in Dominicanos librum, cui titulus, *Religio Beſtiarum*, qui plane ipſi conuenit, niſi quid deterius commereatur, cum beneficiis manſueſcant, quibus ipſe efferatur. Et cum velit Theophilus, gratias ſibi pro calumniis referri, charitatis, gratitudinis, omniumque vitæ humanæ officiorum oblitus, hanc ſatyram, ſeu libellum famoſum in Dominicanos ſcripſit, quem Combefiſius vocat, *omnium ſpurciloquiorum, ſcommatum, ſannarum, omniumque huiuſmodi fœdiſſimi ingenij facum ſentinam.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Refelluntur duo vltima argumenta, quibus Theophilus probat ineptias, & ignorantias Dominicanorum.

HVIVS Diatribæ finis reſpondet exordio, & ſicut à parergis cœpta eſt, ita in parerga deſinit. Illius titulo & totius libri præfatione promiſerat ſe de libris noſtris acturum, & ex ipſorum verbis probaturum eſſe ineptiis, nugis, ignorantiis, plenos. Hoc primum per plures paginas nullo noſtrorum librorum, ſuo tantum teſtimonio quod nullam fidem facit, proſecutus eſt. Accinxit ſe poſtmodum expendendis noſtris libris, quos non potuit confirmandæ ſuæ accuſationi adhibere, niſi falſarit, & in illis aſſeuerauerit exiſtere, quæ ipſe induxit Publicanorum more, qui ſal aliaſque merces prohibitas iniiciunt in pauperum domunculas, vt cauſam Fiſci obtendant ad bona diripienda.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [49] - 29
PUBLIC DOMAIN

Sexdecim noſtrorum Authorum fruſtra tentato examine, ad noſtras ineptias, aut ignorantias comprobandas aliena teſtimonia captat: Politiani prologo inquit, in Plauti Menechmos, Eraſmi Chiliade 4. centuria 5. Budæi in opere de ſtudio Litterarum, & Pici Apologiæ c. 4. quos vult in Patres noſtros acriter inuectos quaſi oſores, & ignaros litterarum humaniorum, & linguæ Græcæ, apud quos inualuerit illud effatum, *Cauendum ei eſſe à lingua Græca, qui nolit eſſe hæreticus.* Quorum vnus qui negotium faceſſebat eo quod Cabalam meminiſſet, interrogatus quid eſſet ea Cabala reſpondit fuiſſe perfidum & diabolicum hominem, qui multa contra Chriſtum ſcripſiſſet. Horum 4. virorum teſtimoniis, addit Theophilus ſuas coniecturas, eaſque confirmat 5. aut 6. exemplis, quibus putat demonſtrari Patres noſtros in damnandis aliorum ſententiis Fratrum Minorum de Chriſti ſanguine, Suares de Chriſto ex materno ſemine concepto, Philiarchi de apparitionibus ſacramentalibus, Coninx de immediata conuerſione in ſanguinem aquæ mixtæ calici, Molinæ de ſcientia media contra prædefinitiones ineluctabiles, fuiſſe præcipites, quod ex Ariſtotele obſeruat eſſe notam ignorantiæ.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Refellitur primum argumentum ex teſtimoniis quatuor virorum eruditorum.

POſſem illa teſtimonia excipere tanquam ſuſpecta, & nulla, & quæ omnino ſint extra noſtram diſputationem, cum aduerſarius libros noſtros promiſerit ſe conuicturum ignorantiæ, & imperitiæ ex ipſorum verbis. Sed nihil opus eo confugere, multis enim aliis laborat vitiis argumentum illud à teſtimoniis 4. virorum eruditiſſimorum aſſumptum.

In primis quæro à Theophilo an nominatim agant de Dominicanis? Non puto ita aſſerturum; tum quia vel de imperitis hominibus ſui ſæculi, quos in reſtaurandis litteris aduerſos habebant; vel ad ſummum de

Monachis in commune, nullo expresso Ordine, locuti sunt, quæ omnia sicuti solet inuidiosa quæque in nos deriuat Theophilus; tum quia si Dominicanorum amaris, & acribus salibus defricassent supinitatem, millies illorum verba repetisset Theophilus; quod enim taceat & nulla ausus sit supponere de suo, argumento euidentissimo est quas apponit Parentheses de Dominicanis prorsus suas esse, præter, aut contra mentem Authorum præsertim Pici Mirandulæ, qui expresse habet se neminem notare velle.

Adde secundo Budæo, & Erasmo notum & gratum fuisse Guillelmi Parui ex ordine nostro è Confessario Regum Galliæ in Episcopum Trecensem assumpti ardentissimum erga vtrumque, & eruditos omnes huius sæculi affectum, studiumque quo ipse flagrabat, & quo Regum animos, quibus à Confessionibus, & à concionibus erat, tota qua apud illos valuit summa gratia accendebat ad viros eruditos vndequaque in suum Regnum euocandos, stipendijs locupletandos, & ad litteras humaniores instaurandas.

Horum omnium fidem faciunt eloquentissimæ, tum Erasmi, tum Budæi epistolæ, quorum hic vltimus ita habet Epistolarum pag. 41. ad Erasmum. *Guillelmum Paruum ostendi virum eumdem magnum in primis, Theologumque eximium eorum sodalium decus quos Dominicales appellant cognomento Prædicatores, qui nunc est à sanctis confessionibus Regis, quod munus sacrum Auricularium appellare soleo: haud alio concionatore aula, ac regius comitatus in maximis celebritatibus vtitur, nec Ludouici Regis tempore vsu est, vir omnino ad Ecclesiasticos Panegyricos exacte à natura consignatus. Is cum mihi familiariter amicus est, amicosque meos amat, tum eo nomine præcipue obseruo, quod librorum reconditorum conquisitor, ac inuestigator sagacissimus, atque Bibliothecarum quasi compilator. Sed nescio omnia volumina vtrum auidius corroget, an benignius amicis impertiat, & commodet. Ad summum cum eum hominem multis de rebus amem, vno tantum nomine odisse eum possum, quod Erasmo minus fauet: verum vt tibi successura omnia spondeam facit, quod Paruum vt dixi Auricularium sacrum Principis vniuersa Doctorum natio*

habitura mihi videtur, quasi quemdamactorem publicum, qui in commune stipuletur, assiduumque vel admonitorem, qui præclari propositi Principem obliuiſci non ſinat, in te etiam ipſum ac tua ſcripta propenſum Quid ad hæc Eraſmus. *Ditior ſum quam exiſtimarem, neſciebam inſignem illum, & omnium ore celebratum Theologum, Guillermum Paruum virtutum eminentia maximum, vſque adeo meum eſſe.*

His duobus accedat tertius teſtis Iudocus Badius Aſcenſius, Bibliopolarum eruditiſſimus, qui ſuperioribus accinit, & in Epiſtola nuncupatoria operum Luitprandi hæc habet. *Nec putem hominem quempiam ab humano ingenio tam alienum vt te (Guillelmum compellat) non optimè de ſe fateatur meritum.* Quibus ergo ſe perſuaſurum putat Theophilus, viros huius ſæculi eruditos in Dominicanos diſtrinxiſſe ſtylum, quaſi non ſolùm ignaros, ſed ſuis conſiliis, & conatibus, in inſtaurandis litteris infenſos, cum vnum è pluribus Dominicanis in viros doctos ſemper affectis, vidiſſent iſto ſæculo extuliſſe vexillum bonarum litterarum: Valeſijs Principibus verè Muſarum parentibus, hanc mentem indidiſſe vt poſt ſalutem publicam ſubditorum, curarent eruditionis progreſſum, & Regium nomen augerent titulo Mœcenatis eruditorum.

His etiam addere poſſumus Dominicanos huiuſmodi glorioſo operi inſtaurationis litterarum, non ſolum ſuo fauore & ea, qua apud Principes gratia valebant, affuiſſe ſed etiam ſuam adiunxiſſe induſtriam, ſuoſque conatus, quos inter eminuerunt Sanctes Pagninus, Auguſtinus Iuſtinianus, quos vere litterarum Græcarum poſſis parentes vocare. Hos ſecuti ſunt ex eodem Ordine Oleaſter, Forerius, Canus, Sixtus Senenſis, aliique plures linguarum peritiſſimi, quorum gloriam & eruditionem præter plures exceperunt Combefiſius, & P. Ioannes Nicolai vtriuſque linguæ peritiſſimi. Vltimo tandem dico, quod late proſequitur & multis probat Apologia editionis primæ, peritiam linguarum, & Latinæ, ac vernaculæ elegantiam, vtilem eſſe & laudandam, ſed non carere vitiis, & periculis, ſi nimia ſit: vnde vnde Seneca, *Nonne putide loquitur idem qui & accurate*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [52] - 32
PUBLIC DOMAIN

tate loquitur, neque patitur Philosophum, aut Oratorem magis verborum quam rerum esse sollicitum.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Refellitur prima coniectura Theophili ex controuersia de Christi sanguine.

EXhaustis omnium generum argumentis, quibus voluit Theophilus nos ignaros, ineptos, & nugaces proclamare, tandem suas coniecturas adhibet, & superioribus, his verbis assuit. Ignorantiæ nota est ex Philosopho præpostere damnare; & hoc solemne est Cyriacis, fuitque olim: cum primum aliquid audiunt ab alio prolatum, quod apud suos non sit protritum illico illidunt anathema, Maranatha. Dixit vnus Minorita in Sanctonibus haberi guttas aliquas sanguinis Christi insperſas materiæ è terra-sancta portatæ, confestim Cyriacorum it cœlo clamor, & decernitur damnanda sententia admittere aliquem Christi sanguinem esse in terris residuum. Turrecremata ei sententiæ inurit notam erroris in fide, suum faciens virulentum sensum Ioannis de Poliaco.

Dum vbique captas occasionem, & obuia quæque arripis in argumentum nostrarum ineptiarum, reipsa incurris in nugas, ignorantias, & in ea denique mala omnia quæ nobis obiicis. Controuersiæ Dominicanos inter & Minoritas de Christi sanguine post mortem, vel resurrectionem à corpore seiuncto, & in terris residuo, maxima contentione animorum disputatæ, statum, euentumque ad libitum immutas. Difficultates aut taces aut non sentis: Adeo enim es veræ Theologiæ rudis, vt aliis imperuia & inacceſſa tibi obuia sint. Nescio an tibi id contingat quod de Ostiario Collegij Nauarræ circumfertur, vna nocte peruoluisse Aristotelem nulla difficultate remoratum. Non ita sum iniquus, vt velim te esse Theologiæ expertem: Sed quod illi à me nominato idiotæ ignorantiâ contigit, tibi asciscis sola carpendi Dominicanos libidine. Verum vt tuas fraudes aperiam paucis, controuersiam longe difficillimam explico.

Ea igitur partibus multiplex est, & quinque constat, quas ad tres reuoces, earumq; prima, & cæterarum origo hæc est: An sanguis corporis Christi sit vera pars humanitatis, communique cum cæteris subsistat Verbi Diuini personalitate: ita affirmant omnes Thomistæ, quam sententiam vult Vasquez disp. 36. de Incarnatione definitam c. 4. verbis Clementis VI. Extrauaganti, *vnigenitus*; vbi ait, *in ara crucis non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed veluti quoddam profluuium noscitur effudisse in ara crucis Christus innocens immaculatus.* Contrariæ tamen sententiæ adhærent Durandus, & Abulensis.

Hinc nascitur 2. & 3. quæstio. An scilicet Christi sanguis triduo mortis à corpore seiunctus seruauerit vnionem cum existentia Verbi, perinde ac ipsum corpus, quasi pars humanitatis, ac subinde fuerit ratione suppositi adorandus cultu Latriæ. Thomistæ vtrumque asserunt, vtrumque negant Scotistæ, idque omnes consentanee ad sua principia, id est, ad primam de priore quæstione sententiam omnino necessaria consecutione infertur: si sanguis Christi vera sit pars humanitatis, eodem iure, post dissolutionem corporis seruaturum vnionem cum supposito Verbi, & ius ad cultum Latriæ; secùs autem si neges, etiam corpori vnitum habere communem verbi cum anima & carne subsistentiam. Ex his duabus quæstionibus existit tertia. An scilicet verus Christi sanguis fuerit resurrectione corpori restitutus, vel aliquid ex ipso sit residuum in terris. Thomistæ consentanee ad sua principia affirmarunt totum sanguinem Christi corpori restitutum, vt veram humanitatis partem, ac proinde nihil supereſſe sanguinis, sed tantum illius vestigia quædam. Vtrumque negabant Scotistæ. En vetum controuersiæ statum, & vtriusque sententiæ fundamenta, & principia. Ex quorum primo, iam fere definito à Clemente VI. nempe sanguinem esse humanitatis partem, quæ subsistat communi supposito Verbi, reliqua in gratiam opinionis Thomistarum consecutione deducuntur.

Hinc Cardinalis de Lugo disp. 14. de Incarnatione n. 105. vbi quæstionem profundissimè tractat, vix po-

reſt ſententiam Scotiſtarum ab aliqua nota eximere : & cum ex ipſo, fere omnia à nobis dicta ſimus mutuati, vt eò redeant flumina vnde orta ſunt, totam illi doctrinam acceptam refero. Sic vero habet. *Caterum licet ex his fundamentis non poßit nota inuri illi ſententiæ* (Franciſcanorum ſcilicet) *adhuc crediderim, hodie abſque aliqua nota defendi non poſſe propter verba Tridentini, ſeſſ. 14 c. 3. in quibus definitur in Euchariſtia eſſe corpus ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini, animamque ſub vtraque, vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, nec amplius moritur, inter ſe copulantur. In quibus verbis, vt vidimus, ſanguis dicitur eſſe pars Chriſti Domini: ex quo per bonam conſequentiam infertur, vel ſanguinem debuiſſe ſubſiſtere in Chriſto, eadem verbi ſubſiſtentia; vel ſi habuiſſet aliquam ſubſiſtentiam propriam creatam in Chriſto, non fuiſſe ſolam ſubſiſtentiam Verbi, ſed aliam etiam creatam ſaltem partialem: Nam Chriſtus adæquate acceptus continet omnes ſuas partes, quarum vna eſt ſanguis, vt conſtat ex Tridentino, ergo ſi ſanguis habeat ſubſiſtentiam creatam propriam, Chriſtus non ſolum includit ſubſiſtētiam increatam verbi, ſed etiam aliam ſubſiſtentiam creatam partialem; quod dici non poteſt. Hinc eadem fere certitudine ſequitur, ſanguinem effuſum, in triduo manſiſſe hypoſtatice vnitum Verbo; ſicut enim corpus manſit vnitum Verbo, eò quod erat pars eius humanitatis, ſanguis, qui non minus erat pars, vt vidimus, nec minus reaſſumendus iterum in reſurrectione, debebat propter eandem rationem manere vnitus, quia non poteſt afferri ratio diſcriminis ſufficiens inter carnem & ſanguinem, cum vtraque ſit vera pars naturæ humanæ &c.* Et hæc erat ſententia Thomiſtarum, Theophile, quam poſtea, vt dicit Cardinalis de Lugo, Concilium Tridentinum probauit, licet antea vtraque à diuerſis defenſata fuiſſet.

Vides igitur Dominicanorum ſententiam, quam tu ignorantiſſimè improbas, ſolidiſſimam eſſe, & contrariam non abſque nota defendi poſſe, poſt Concilium Tridentinum. Eidem ſententiæ Thomiſtarum adhærent Vaſquez, & Suarez; & ad quæſtionem vltimam à nobis

propositam de sanguine Christi, cuius guttas & reliquias multi gloriantur se habere, Respondent cum D. Thom. 3. p. q. 54. art 2. ad 3. eum sanguinem non fluxisse è latere Christi, sed ex quadam imagine miraculosa, vel esse vestigium sanguinis seruatum ad solatium fidelium. Et ea est mens Cardinalis Turrecrematæ, quem acerbè ità excipit vt vocet eius sententiam virulentum sensum, quamuis idem prorsus sit cum sensu Cardinalis de Lugo.

Sed mirum est quam intemperanti stilo loquatur de viro, quem Summi Pontifices dignati sunt titulo *Defensoris Fidei*, qui præclarissimum fuit Ecclesiæ sidus, vir in diuinis Scripturis maximè exercitatus, & Iuris Pontificij interpres consultissimus, qui plura volumina edidit, sed præcipuè egregios commentarios, & libros in Decretum Gratiani. Hic tantus vir ob feruentissimum fidei zelum quo ardebat, & ob excellentem doctrinam à Pio II. dictus est vniuersalis Defensor, & Protector fidei; primus, qui tali tantoque stemmate insignitus legitur, neque vllum Cardinalem ad hæc nostra vsque tempora simili titulo decoratum vidimus. Hic idem tot puellarum castitati consuluit instituta illa celeberrima Societate, quæ tot virginibus dotes ad Religionem, aut ad matrimonium constituit, data vtriusque status optione. Sed ille virginum Pater, & custos; ille Ecclesiæ Defensor, non nisi virulentos sensus, vel hausit ab alijs, vel ex se concipit apud Theophilum. At frustra de te conquerar, Theophile, cum sciam tot experimentis tibi nihil sanctum, nihil sacrum esse, & morosis das occasionem suspicendi, te maluisse Ecclesiam euersam, vel tot puellas prostitutas, quam illius defensionem, & istarum puritatem vni Dominicano deberi.

Ad controuersiam de sanguine Christi redeo hoc verbo concluſurus; illam fuisse tanti momenti, vt per summam iniuriam, vel ignorantiam dixeris, gratis & ex ignorantia à Dominicanis contra Franciscanos motam, & nos causa cecidisse: sed tu causam, & controuersiam istam non percepisti; nam causa non fuit de guttis sanguinis Christi Patientis insperſis alicui materiæ è terra sancta asportatæ, vt tu ineptè refers, hoc enim Domi-

nicani non negassent. Immò ipsi gloriantur, apud se habere pretiosissimum illud depositum Magdalenæ, nempe terram Christi sanguine irrigatam, & coloratam Phiola inclusam. Et vidit illam noster Syluester, anno 1497. dum visitaret antrum illud, in quo S. Maria Magdalena pœnitentiam egit, vt scribit in Rosa Aurea fer. 5. additque omnes sibi sine hæsitatione affirmasse, singulis annis die Parasceues, perlecta passione, euidenter, & clare ebullire. Hæc ergo non fuit controuersiæ inter Dominicanos, & Franciscanos vt refers, sed an Sanguis Christi remansisset vnitus, vel non vnitus Verbo, vt dictum est.

Nec solum statum controuersiæ te ignorare probas, sed etiam rei euentum: Nam anno 1463. jussu Pij II. hac de re habita est celebris disputatio in Palatio Apostolico, & in Consessu Cardinalium. Aderant ex Franciscanis sex, totidem ex Dominicanis, qui efficacissimis argumentis euicerunt verum Christi sanguinem triduo mortis fusum diuinitati vnitum fuisse; ac proinde cultu latriæ colendum: Contrà Franciscani contendebant. Disputatum est acerrimè toto triduo: sed visum est Pio II. è re Christiana fore si ab ea controuersia in gratiam Dominicanorum dirimenda abstineret; ne Fratres Minores quorum opera & prædicatione tum vtebatur aduersus Turcas in quos bellum meditabatur, & parabat, si causâ caderent, tardiores essent ad promouendam Rem Christianam, & animos ad arma, aut ad belli subsidium inflammandos. Et huius etiam alia ratio suppetit, ad calumniam Vvadingh contra Eymericum repellendam, quasi bullam Clementis Franciscanorum sententiam damnantis confinxerit, quæ nullibi extat: Nam præter quod multæ Bullæ desiderantur, quas certò constat, à Summis Pontificibus scriptas; illud singulare est in hac controuersia Dominicanos efficacissima argumenta deprompsisse, ex Clementis VI. & Nicolai V. epistolis ad Principes Christianos, quibus inquiunt alienum esse à Religione, atque impium videri Dei sanguinem Deoque simul hypostatice vnitum triduo mortis, vel ad momentum fuisse à Verbo separatum, iuxta illud SS. Patrum effatum, *Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit*. Atque huiusmodi Epistolarum meminit

Eymericus, quas vel ipse Bullas (latius hoc nomine sumpto) appellauit, vel forte nomen illud Bullæ loco Epistolæ obrepsit in eo libro quem Possevinus testatur multis locis corruptum, & iussu Gregorij XIII. Francisci Pennæ opera emendatum.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Reliquæ Theophili Conjecturæ refelluntur.

TRagicomædum agis Theophile & ratus Lectorem tuarum nugarum tædere, redis ad atrocia & seria. Accusasti Dominicanos ex ignorantia & temeritate præcipites in damnandis Minoritis de Christi sanguine: quo successu, iam visum est. Non est verior tua accusatio de reliquis: Quod scilicet in Suarij sententiam insurrexerint Dominicani, quia Christum probabiliter asserebat fuisse conceptum ex materno semine; improbarint Cosmæ Philiarci assertionem, qui Christum à speciebus sacramentalibus censebat abscedere, cum aliquid carneum, aut cruentum æquè omnibus obiiceretur ad longum tempus; aduersus Ludouicum Molinam libertatis humanæ assertorem, & infensissimum prædeterminationum hostem succlamarint, tolle, tolle &c. Denique Ægidij Coninc opinionem de immediata aquæ calicis in Christi sanguinem conuersione Hyacinthus Petronius, Coquetius tanquam erroris suspectam impugnarint.

Hæc omnia facile mihi est, vna responsione diluere: Dominicanis cordi esse, & chariſſimam etiam supra vitam Ecclesiæ traditionem, quam sanguine, si res exigat, parati sunt sancire: nec minus odisse nouitates vocum, & opinionum, in quas inuigilasse, vtiliſſimum Ecclesiæ demonstrat per trecentos annos, vel omnimoda ab hæresibus immunitas, vel certè hæresum eodem ferè tempore nascentium, aut morientium ruina. Et licet non adeo suffenus sim, vt totam hanc laudem nostris hominibus vindicem, tamen negari non potest citra liuorem, quin Dominicanis pars aliqua contigerit, quam sibi compararunt nouarum opinionum odio, in quas frequentissime fuit è re Ecclesiæ insurre-

xisse. Franciscum Suarez reprehensum, quod dixerit, probabiliter defendi posse, Christum ex materno semine conceptum fuisse, à Dominicanis tanquam hæreticum, vt tu dicis hoc nomine à nostris reprehensum fuisse, haud scio.

Hoc tamen noui, Suaresij opinionem, à te non fideliter relatam esse reprehensione dignam: nam docet Beatam Virginem in Conceptione Christi actiuè operatam fuisse, & semen emisisse: præter quod est contra communem opinionem, Aristotelis ac D. Thomæ, vix salus pudore potest asseri de Beata Virgine, quod Beata Virgo actiuè & posita Suaresij opinione sit operata humanitatem Christi, difficilè euitabit Suares, Christum quoad humanitatem fuisse in Adam secundum seminalem rationem; nam eatenùs alij homines dicuntur fuisse in Adamo parente contineri, & non tantum secundum corpulentam substantiam, quatenus ab Adam actiuè per virtutem actiuam viri descendunt. Quare si ponas actiuum semen in Virgine quoad generationem Christi, vt est homo, difficilè euitabitur, Christum vt homo est, & quoad ipsam humanam naturam, non fuisse in Adam secundum seminalem rationem. Nihil etiam nisi ex te de Cosmæ Philarci assertione audiui; credo tamen magis suspectam esse & periculosam, quam de Conceptione Christi ex materno semine, quia certum est Christi Corpus à speciebus non abscedere, quamdiù sunt incolumes. Et cum incertissimum sit an illud quod diù omnibus appareret miraculo carneum species corrumpat, meritò censuerunt Dominicani, reiiciendam Cosmæi Philarci opinionem, quod assereret certam desitionem corporis, dum esset adhuc incerta corruptio specierum.

De Ludouico Molina accusato à Dominicanis apud Summum Pontificem, subripuistis nobis plurima, quæ possemus reponere, prohibitâ Pennæ Rotæ Decani Congregationum de auxiliis historiâ, dico, prohibita, non damnata, quia multa prohibentur, etiam si bona & vera, sed iustis de causis, ne scilicet oriantur rixæ, & ad sedandos rumores: profectò etiam sacra Biblia prohibentur legi vernaculâ lingua, ne sacra mysteria idiotis vi-

leſcant; alij tamen libri non ſolum prohibentur, ſed etiam damnantur, vt tui de Martyrio per peſtem & de errore populari.

Interim, ſalua decreti huius reuerentia; hoc manifeſtè dicam, non ita vobis viſum Molinam innoxium vel ab omni nota, & cenſura remotum, aut immunem, quandoquidem voſmetipſi illum caſtigaſtis. Quæro à vobis, cur à poſterioribus editionibus ſubſtraxiſtis, quæ in priori habentur verba, quibus ſanctè in Domino gloriatur, ſibi inuentam conciliandæ libertatis cum gratia, & præſcientia Dei viam, Auguſtino, vel prorſus ignoram, aut confuſiſſimè notam; quâ ſi vſus fuiſſet, vel in promptu habuiſſet, non tot ſcandala à Pelagianorum, aut Semipelagianorum caſu, & diſputationibus Eccleſia paſſa fuiſſet. Cur hæc ſancta gloriatio euanuit? Cur mutata pugna, reiecti aut contempti Patres ad auxilium modo vocantur? Cur ipſius Molinæ ſuper comprehenſio, qua vna vult niti ſcientiam mediam; quaſi inſomnium exploſa eſt? Cur abrogaſtis legem, quam vult per Chriſtum, & Patrem æternum conſtitutam, vt detur gratia ſupernaturalis ſufficiens conanti ex viribus naturæ quantum poteſt, ſed ſapientiſſimè priuata Molinæ caſtigatione publicam occupaſtis? Non ergo ignari, aut maligni Dominicani, quod Molinam accuſarint, ſed vos in eo defendendo, & caſtigando prudentiam, & potentiam demonſtraſtis.

Nec vitio vertendum eſt Petronio, aut Coquetio, quòd in Coninch ſententiam de immediata aquæ in vinum conuerſione inſurrexerint, & ſuſpectam habuerint; Et quamuis, vt ſcribit Cardinalis de Lugo in eam ſententiam pedibus, & manibus totum Collegium Romanum & plures alij nobiles è Societate Scriptores eant, non patior tamen me à communi ſententia abripi, quam etiam expreſsè docet Cathechiſmus Romanus qui licet opiniones quas probat, non faciat certas fide; negari tamen non poteſt eſſe maximæ authoritatis apud Catholicos. Vnde ſuſpectam habeo hanc Coninch opinionem ex ipſomet principio, & fundamento, cui aſtruxit: nam ſi ſemel admittatur, Chriſtum in materiam conſecrationis Calicis inſtituiſſe potum vſualem, ideſt, ex vino, & aqua temperatum

video inde latissimum ad abusus, ne dicam errores, viam & portam aperiri: si enim ex vsuali potu metiamur mixturam huius calicis, nonnè poterit, qui sobriè solet bibere, intinctam vino, quasi oleo aquam consecrare? Quia non magis aberit à similitudine veri, hæc cogitatio, quam quæcumque vos hactenus de isto argumento, scripsistis, si dicam, Christum sobrietatem maximè coluisse, & ad illius in hoc Sacramento commendationem, consecrare vinum ita limphatum, vt aqua centesima parte superaret, atque ita imposterum sacrum faciam, certissimus consecrationis, quia eius materia est vsualis potus ex vino, & aqua: & cum alius sit in Belgio vnde Coninch, & in Germania, alius in Gallia, aut Italia; decreta Conciliorum, quæ volunt modicissimam aquam misceri, ad Germanos & Belgas tantum spectant, non ad cæteras nationes, ac proinde non statuendum fuerat, debere modicissimam aquam misceri, sed temperandum potum secundùm vsum, vel priuatum, vel regionum.

Hæc si neges consequi ex tua sententia, proteruus sis: si dicas, Dominicanos his consecutionibus pluribusque aliis, quæ data porta ruunt ex vno vsuali potu, non debuisse intercedere, iniquior etiam sis, & traditionis Ecclesiæ fere hostis.

Notas Cyriacos ignorantiæ malignitate commixtæ, quod prohibeant edi libros, quibus prædicatur Deiparæ immunitas, aut purissima Conceptio, vel iubeant hæc verba eradi illo prætextu, quod de Immaculata Conceptione nondum sit aliquid ex cathedra definitum. Quot sunt exemplaria Romæ edita, non librorum solum, sed etiam schedularum, quæ habent has voces, tot sunt testimonia puræ malignitatis huius accusationis, nulla ignorantia permixtæ, quia non potera nescire huiusmodi exemplaria extare sine numero, & quotidie nona cudi; sed ipse nullum imponendi modum habet aut finem facit, & si quæ fides illi habenda sit, nullum est in Ciuitate Romana malum, quod non fiat à Dominicanis. Quis verò è nostris existimat, vt tu falso dicis simplicem assertionem puritatis, siue nitoris à labe peccati esse affirmationem eiusdem nitoris, tanquam ex fide definiti? Quis ex nostris hoc ali-

quando dixit? Credo, te vix tui iuris, cum hæc effutis & contra nos obtrudis D. Thom. (quem imprudentissimè dicis nobis esse pro Deo scientiarum) 3. sent. 44. q. vnica artic. 3. ad 3. ex Sancto Anselmo pietatem Deiparæ fuisse huiusmodi, vt maior non possit sub Deo intelligi: hoc enim quod affers ex D. Thoma & Anselmo, non facit ad propositum; & D. Thomas idem omninò argumentum ex S. Anselmo petitum, ne suæ sententiæ obstet, soluit 3. parte quæst. 27. artic. 2. ad 2. vbi explicat dictum S. Anselmi, idest sub Christo. consule solutionem.

Vult Dominicanorum artibus extortum duplex decretum de auxiliis, quorum primo cautum erat, nè inter tractandum de auxiliis, pars vna alteram damnaret; sed vt, inquit, viderunt Cyriaci magno cum cordolio se in dies obrui molibus Scriptorum, & prætextu pacis extorserunt secundum decretum, ne de ea materia tractaretur libris editis: Cuius decreti cum ipsi curam habeant permiserunt suis amicis Gibiusio, Didaco Aluarez, & aliis sua opera edere, ac prò contraria parte non patiuntur vllum verbum scribi, quin statim spongia inducatur. Nil respondeo ad Trasonicam tuam iactantiam, nempe nouis tuorum Scriptorum libris opprimi Dominicanos, quasi aliud scribant, quam quod sibi Augustinus vel Hilarius, & Prosper nomine Semipelagianorum, & quod S. Doctor sibi, aut Bernardus de Gannaco obiecere, & quibus millies responsum est à S. Augustino, à D. Thoma, ab antiquis & recentioribus Thomistis.

Miror Theophile, te non dixisse obtentum à Dominicanis decretum, quo prohibetur ne vlla fides habeatur historiæ Pennæ de Congregationibus auxiliorum. Quæcumque decreta emanant à Summis Pontificibus, aut à Cardinalibus Eminentissimis Congregationum Præfectis excipimus summa reuerentia, implemus cum maximo dispendio, nec permittimus nobis exemplo Theophili clamare, & conqueri, nec dicimus, vos velle extingui fidem publicam rerum tota Europa spectante gestarum, quod perinde est ac velle solem extinctum. Non ista, & his similia dicimus, sed paremus & obmutescimus, & æquo animo ferimus, nos præsidiis nostris spoliari.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [62] - 42
PUBLIC DOMAIN

At tu Raynaude, malim priuato sensu, quam consensu tuorum omnia decreta, quæ minimè tibi placent à Dominicanis facta, vel extorta causaris, illud maximè, quo prohibetur ne scribantur libri de auxiliis; cuius cum Dominicani curam habeant, illius gratiam fecerunt amicis, quales sunt superiùs nominati & alii plures, vt Gugliermus Camerarius, Philippus à Trinitate; aduersariis autem non permittunt quidquam de hac re hiscere. At quid ab Ariaga, quid ab Ouiedo, & à Ripalda omissum est non dico argumentorum, sed nec conuitiorum in prædeterminationem, aliasque Thomistarum opiniones? Quosnam vidisti istorum librorum damnatos, aut prohibitos à Dominicanis? Inuigilant quidem ne Romæ ista edantur, at reliquum orbis permittunt disputationibus suis. Quid de illo, qui distinctione constituta triplicis traditionis, Diuinæ Apostolicæ, & Ecclesiasticæ, qualis legum esse solet, quas in hæc tria membra inæqualis subsellij partiantur Theologi, asserebat, ad definitiones rerum fidei traditionem diuinam non esse necessariam, sufficere Apostolicam aut Ecclesiasticam, quasi aliud fidei diuinæ possit esse fundamentum, quam ipsamet diuina authoritas, nisi fortè triplicem fidem voluerit distingui, sicut triplicem traditionem Ecclesiæ? Et hæc impunè tulit scripsisse ille Author.

Quid de Ioanne Euerardo Nidhardo, qui dicit dari certitudinem infallibilem, quæ neque sit fidei diuinæ, neque scientiæ, & ea tertia certitudine dicit esse certam suam sententiam, & censuram inurit propositioni asserenti Dominicanorum sententiam adhuc stare. In quo Euerardus Pontificiis Bullis intercedit, quæ nostram sententiam non improbant, & improbari, aut damnari vetant.

Quam & ineptè dicis à Dominicanis non permitti editionem simplicis illius assertionis, *Gratia efficax prædeterminans vel Gratia efficax potest abiici*; addisque editionem harum simplicem assertionum non esse contra decreta Pontificia prohibentia tantum tractationem de auxiliis, & irrides nos quasi ignorantes vocum, *Assertio*, *& Tractatio*, & ad harum discrimen adducis DD. ad leg. 1^a, paragr. vltimo, &c. vbi *Tractare*, exponitur,

differere; & dicis, hæc omnia nos malignè ignorare, vt fastidium creemus aduersario, & simplicem propositionem vocemus tractationem, & idcircò eius vulgationem prohibere. Hæc certè, Theophile, sunt tui capitis effata. Putas ne Dominicanos ignorare discrimen harum vocum, *Assertio*, & *Tractatio*, quod etiam idiotæ nouerunt? Vt iam dixi, non bene agis comœdum: affingis inuerisimilia.

Optimè norunt etiam nostri laici, aliud esse asserere, aliud tractare, & optimè nouerunt nostri Doctores, Decreta Pontificia interdicere tantum tractationes de auxiliis. At non ne possunt Magistri sacri Palatii, & Inquisitores habere præscriptum à Summo Pontifice ne etiam simplices assertiones edi permitterent hac de re? Credis administris summi Pontificis, tibi reddendam rationem horum quæ agunt? Ipsi probe sciunt quid in hac re faciendum sit; certè ita stabilitum est, & hoc habet vsus, & praxis Romæ sancita, vt ad sedandas rixas, nec etiam assertiones edi permittantur, quæ caput controuersiæ in materia gratiæ, attingant, quibus scilicet asseratur, gratiam habere vel non habere ex se efficaciam; tu verò ascribis ignorantiæ, aut malignitati Dominicanorum, quod tuis etiam consentientibus, imò & adnitentibus pro vtraque parte sancitum est.

SECTIO SECVNDA.

Dominicani vindicantur à calumnijs falsi, & impostura ex Diatriba sexta.

EA vis est virtutis, & veritatis, vt inimicis suis admirationem ingerat, & ab eorum ore laudes extorqueat. Hæc summa gloria est Religionis Dominicanæ, vt qui illam maximè oderant, *Ordinem veritatis*, appellarint. Sed Petrus à Valleclausa magis infenso, & hostili in nos animo, quam Guillielmus à sancto Amore, qui nos omnino extinctos volebat, assertum communi suffragio bonorum, & improborum titulum, hac

Diatriba conatur eripere & ſuſcipit nos multorum mendaciorum conuincendos. Et qui veritatis ordo appellatus eſt, Petro eſt mendacii. Sed in hoc ipſo mendacium facillimè refellam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Refellitur generatim tota Diatriba ex præiudicata Theophili de mendacio opinione.

CAuſam ago illorum qui ſemper veritati litarunt, & nihil peius odere quam mendacia. Iam monui, me ius recriminandi mihi eripuiſſe, & defenſionis tantum ſeruaſſe. Quod ſi mihi permitterem ſimilia reponere, in promptu eſſe demonſtrare, accuſatores hac infamia grauiſſime laborare, & omiſſis plurimis, vnus ſufficeret Poza: ſed ab his abſtineo.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Depulſio calumniæ mendacij à doctrina noſtræ Scholæ.

NOn potes Petre dubitare, hanc examinandi criminis, quod obiicis, vel refellendi, certiſſimum eſſe rationem, ſi primum inquiratur in noſtram doctrinam, an mendacio faueat, aut ab illo abhorreat; deinde mores inſpiciendos, & ad doctrinam exigendos, an illi conueniant, aut diſſentiant. Vbi autem demonſtrauero nos bellum indixiſſe mendacio, & reticentias, & æquiuocationes in totum damnare, nec pati à corde, vel actiones à Theoria diſſentire, vltimo tandem Religionem à tuis mendaciis, & calumniis vindicabo.

Quas poſui quæſtiones duas, veluti iuris, & facti, aut doctrinæ, & vitæ, non ita reciprocè indiuiduas cenſeo, vt qui negat licere vnquam mentiri, ſemper à mendacio abſtineat. At illud certiſſimum ſtatuo, illum qui mendacio fauet, qui licitum aliqua occaſione, aut neceſſitate putat, aut quod fere idem eſt, æquiuocatio-

nibus excusat, aut tegit, frequentissime mentiri, & facere, quod credit se salua conscientia facturum. Vnde à mendacio longius aut propius abest, cuius sententiæ mendacio apertius fauet, aut repugnat. Inquiramus igitur quinam nostrum sit de veritate aperienda sensus. Nos sanctum Doctorem secuti, æquiuocationes, & fictiones, aut reticentias vt corruptelas institutionis eloquij humani execramur, neque admittimus nisi ea lege, vt liceat reticentiis vti, cum ipsæ circumstantiæ sunt interpretes rerum ab aliquo dictarum. Verum quid in hac re doceat Lessius compertum est. At quid necesse est alios inquitere? Nonne tu Raynaude qui nos mendacij reos fingis, edidisti libellum in mendaciorum tutelam, inscriptum, *Splendor veritatis moralis de licito vsu æquiuocorum*, Lugduni 1627. quem potius inscribere debueras, Tenebræ falsitatis moralis?

Qui ergo fieri potest vt mendacij alios arguas, qui adeo apertè mendaciis faues? Absit vt opinionem omnium pestilentissimam, quæ mentiendi licentiam facit, & huius criminis impunitatem pollicetur, velim cum multis æmulorum toti Societati communem. Neque enim adeo sum, ne dicam tui instituti, sed etiam nominis Christiani hostis, vt nobilissimam Ecclesiæ portionem tam tetro & horribili scelere temerare ausim. Proinde hac accusatione prætermissa, à qua non minus abstinendum, quam ab aperta nominis IESV blasphemia existimo; Duo non minus vera quam necessaria statuo ad calumnias huius Diatribæ præ cæteris falsas, & execrabiles refellendas. Primum quidem quod iam posui, & in confesso est apud omnes, si familiæ familia, & schola scholæ conferatur, quidquid sit de moribus, multo magis Dominicanorum, quam Iesuitarum opiniones abhorrere à mendacio, & à quacumque licentia, ad mentiendum longius abesse, validiorique fœno hunc naturæ corruptæ impetum cohibere, quandoquidem æquiuocationes mendacij germanas, aut affines in totum tollunt, neque admittunt nisi eo temperamento, quod ex Paulo Layman adhibemus, cum circumstantiæ, *sunt interpretes sermonis aliquâ æquiuocatione obscuri.* Vt si Princeps à Legato ad se misso aliqua quærat quæ occultari è re sit illius Regis, cuius nomine

venit, & quæ iussus sit tacere, nihil contra veracitatem peccabit, si neget id scire, quo sensu interpretantur sancti Patres Christum discipulis sciscitantibus quandonam futurum esset iudicium, salua veritate respondisse, hoc se nescire, nempe vt Legati æterni Patris ad homines personam gerebat, quos multa nomine illius qui se miserat, docenda habebat præter diem iudicij, quem occultare referebat ad hominum salutem.

Cæterum si semota comparatione scholæ ad scholam; quam vg ere ad rem, & ad bonum Ecclesiæ nihil attinet, aliam ineamus nobis ad defensionem necessariam Theophili nobiscum, & cum suis consortibus:

Certissimum est innumeris argumentis, illum præ cæteris qui vnquam scripserunt, amplissimam sibi aliisque indulgere mentiendi, & calumniandi licentiam, eamque calcasse viam quam diximus à Dicastillo initiatam, & stratam, nempe quodlibet calumniæ genus, quamlibet falsum, & atrox, aduersario importatæ ad summum esse peccatum veniale, ratione mendacii quod adhibetur, nullumque damnationis æternæ inferre metum, aut periculum. In ea vero hæresi seu opinione esse Theophilum multa persuadent. In primis quod millies iam conuictus sit etiam instante morte, & iudicio diuino, suos libros ad opinionem Dicastilli tanquam ad certam regulam conficere, id est horrendis calumniis infarcire, nullo pudore, nullo damnationis metu. Deinde cum Romæ essem, quidam fide dignus, retulit ab Antonio Diana qui nuper obiit dictum, Theophilum putare sibi falsa quæcumque scribere integrum, seu licitum esse in eos qui librorum suorum editionem impedirent: à qua opinione ipsemet Diana abhorrebat, neque peccatum illud Theophili excusare poterat is ipse de quo dicebatur, *Ecce qui tollit peccata mundi.*

His adde Theophilum Lugduni magnam vitæ partem exegisse multisque annis docuisse, vt non dubitem quin ab illo Consilium ex falso traducendi eos, quibuscum aliqua intercedit simultas, hauserit, qui post acerrimas contentiones cum vno ex præcipuis nobilissimi Cleri Lugdunensis omni conuitiorum genere exercitas, ne excepta quidem adulterii, & hæresis in illum

Abbatem accusatione; vbi hic Abbas coram celeberrimo ciuitatis consessu sanctè iurauit se nunquam fuisse, nec in posterum futurum, nisi bono in suos animo, subiunxit ille sine dubio magis Theophili, quam sancti Ignatij discipulus. Quandoquidem Dominus Abbas nunquam fuit nobis infensus, idque præ se fert, ego etiam frugi & Catholicum agnosco; atque hæc concordia magis fuit scandalo astantibus, quam quod antecesserat dissidium. Nihil potuit dici illa extinguendæ simultatis, aut reparandæ amicitiæ formula consentaneum magis ad Dicastilli sententiam, eamque Theophili mentem qua hanc Diatribam stylo ferreo, & calumniarum atramento contra veracitatem Dominicanorum scripsit.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Trium Dominicanorum exemplo calumnia mendacij depellitur.

MEndaciorum, quibus nos fœdare nititur Petrus, sordes penitus abstergunt legitimi omnes alumni sanctissimi nostri parentis, & Angelici præceptoris discipuli, in quorum ore non est inuentum mendacium: ex infinitis duorum aut trium exempla proferam: quis enim omnium ineat numerum?

Quam verò immanè abhorruerit S. Doctor ab omni specie mendacij, omnesque de aliis ex seipso & ex innato in illud vitij odio crediderit esse ab illo alieniſſimos, ipsemet testatus est egregio apophthegmate, cum sibi cuidam narranti incredibilia assentiretur, nec fidem abnegaret, sed ad dicta admirationem & stuporem præferret; credulitatem suam ridenti respondit sapientissimè: licet quæ refers fidem videantur superare, ea tamen mihi persuadere malim vera esse, quam à te conficta, & in hominem religiosum cadere vnquam mendacium. Quales ergo futuros putas legitimos discipulos magistri adeò à mendacio alieni, vt illa inter adynata & hippocentauros recenseret.

Duorum ex tanti præceptoris schola discipulorum quoniam

quoniam notius est nomen, exemplum adiungam Pij V. & Bartholomæi a Martyribus. Cum disciplina moralis, seu virtutem commendare, seu vitia insectari velis, ex duplici capite repetita duobus potissimum documentis muniatur, vt de grauibus seu fugiendis seu sequendis maxime solliciti simus, nec minima in vtramque partem negligamus, primam huius disciplinæ Pius summo loco constitutus contra mendacium partem, Bartholomæus alteram nos suis exemplis docuerunt.

Equidem quod ad primum attinet; multa in hanc rem miranda perinde ac imitanda narrat sæpius laudatus Scriptor libri sexti vitæ Pij capite 8. hinc ex imo pectore D. Thomæ documentis imbuto dictum, quouis homine, vel obscuro ac vili nedum principe viro, indignum & indecorum esse, quidquam simulatè polliceri aut dicere, quod præstare minime velis aut credas secus se habere: idque multomagis à Christi Vicario abhorrere: factum probauit exemplis: nam principis Oratore promissam hominis demortui filio dignitatem efflagitante; omnes, inquit, orbis terrarum Principes vna simul, promissis ne starem haudquaquam efficerent: idque eo minus erga mortuos. Quare ab aula expulit quod vulgo dictum circumfertur, *nescire regnare, eum qui nesciat dissimulare.* Qualis erat ipse, tales & suos administros, tales & omnes præsertim quibuscum sibi negotium esset, sese præbere cupiebat. Et principibus denuntiabat ad se Oratores mitterent, qui bona fide cuncta peragerent.

Sed si vllus sit vnquam locus fallendi aut veritatis fucandæ & ambagibus obuoluendæ; potest-ne esse honestior, aut certè excusabilior, quam si ad castigandam perditorum hominum fraudem, à simplicitate recedatur? Id tamen nec sibi permisit Pius, nec ab aliis passus est, dolo quemquam circumueniri. Eius Pontificatus tempore Marianus quidam Asculanus latronum & exulum ductor insignis, ditionem Ecclesiasticam latrociniis & cædibus vastabat. Hunc quidam abs se vinctum Pio pollicebatur deducendum, hac ratione, vt Marianum vi & arte hactenus inexpugnabilem amicum conuiuii causa seductum per insidias caperet. Absit, inquit, Pius vt amicum specie humanitatis prodas, nos

haudquaquam id fieri patiemur, freti Deo, nobis opportunam & innoxiam castigandi Marianum occasionem non defuturam. Id cum resciuisset Marianus, Pontificis magnitudine animi & clementia in admirationem raptus, sponte è ditione pontificia abscessit, nec superstite Pio, quidquam hostile in illam tentauit.

Aliud extat in eandem rem apud me mirabilius exemplum. Quis adeo à mendacio abhorret, vt si nullius sibi gratiam faciat, saltem aliis & maximè suis leuioris alicuius iam admissi veniam non donet? Hanc tamen Pius omninò negauit Paulo Gisterio sibi ex fratre pronepoti, quo nullus supererat illi sanguine coniunctior. Iuuenem à Piratis captum & triremibus alligatum, ignaris Turcis eum consanguinitate Pontificem attingere, modica pecunia redemptum Romam euocauit, nec alio habitu, quam suæ captiuitatis indutum: deinde equo & officio donauit, vnde centenos in annuum reditum aureos haberet. Sed cum iuuenili errore lapsus præscriptas Pontificiæ familiæ in quam fuerat adoptatus leges violasset, & culpæ excusandæ addidisset mendacium; omnibus in posterum officiis abdicatis, ab vniuersa Romanæ Ecclesiæ ditione ablegauit patruus, adeò mendaciorum inimicus, vt in consanguineos suos, quos cæteris modestiæ & bonæ fidei exemplo esse volebat, seuerus Iudex mendacia castigaret.

Licet Bartholomæi vita Gallico idiomate scripta omnibus fuerit admirationi, plus tamen rebus gestis quam dignitatis sede Pio decedere iam obseruaui, idque euincunt, quæ nunc vrgeo exempla. Odii Dominicanis aduersum mendacia innati, duorum quibus contineri diximus disciplinam moralem capitum, vt solliciti de rebus magni momenti, ne minima negligamus; primum caput nos docuit Pius, postremum discere possumus ex iis quæ referuntur libri quinti historiæ Lusitanæ cap. 15. vnum è multis attingam vnde cætera intelligi possint.

In abdicato Pontificatu successore pensionis constitutæ solutionem detrectante, ter aut quater scribendum fuit Alberto Austrio, quem Belgij Archiducem superior ætas vidit, tum Cardinali & Lusitaniæ proregi, vt sua

authoritate curaret Conuentui qui se alebat constitutam pensionem solui. Sic vero qui à secretis erat, his verbis Epistolam exorsus fuerat: Tot litteris tuam Celsitudinem eadem de re cogor conuenire, quod sim annis, ære alieno, aliisque necessitatibus grauatus. Ad ista verba hæsit Bartholomæus, & legentem detinuit, rogauitque quot litteras scripsisset Cardinali. Respondit tres & hanc quartam esse: At, inquit, illius Epistolæ verbum *tot* longe plures significat, nec illæsâ veracitate à me subscribi potest: neque saluâ bonâ fide possum obtendere me necessitatibus premi, qui nullam hactenus sensi, nec vestis aut cibus defuerunt. Delenda sunt igitur hæc verba: & cum instaret qui scripserat Epistolam, deesse pecuniam ad seruorum mercedem: ita est; sed ne à veritate vel latum vnguem recedamus, delendum tot, & ponendum aliquot tecum litteris egi, nec me seruis soluendo esse.

Hanc sollicitudinem quasi nimis anxiam religionem improbantibus fratribus respondit dignâ se sententia; absit vt septuagenario maior sciens, & volens, quidquam iudicio diuino discutiendum, & confessione aperiendum, & eluendum admittam. Et si quando Secretarii manu scripta Epistola propria subscribenda erat, antequam calamum sumeret, orationem præmittebat, ne quæ officii & vrbanitatis proferri solent verba, minus personæ cui scribebat, aut suæ conuenirent, & aliquam mendacij speciem haberent. I nunc Theophile, & Dominicanos traduc, quasi ad mendacia studio, ac domesticâ disciplinâ institutos. Nulli magis ex animo illud virij genus, hominibus nostris odere: id testantur, quorum retuli exempla, ex quibus statuere debueras de nostro instituto; cum ex aliis nullum afferas quæ adeò atroci calumniæ vllam faciat fidem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Triplex calumniarum genus à Theophilo in Dominicanos vsurpatum, & depulsio primæ nempe falsi.

COmmunis est saniorum Casuistarum etiam ex Societate regula, quod detractione peragitur peccatum, metiendum esse collatione iniuriæ cum illo cuius fama deteritur: si de homine communi opinione sancto dicas, venialibus peccatis obnoxium, & leuioribus mendaciis assuetum; peccati mortalis reatum incurtis; quod de homine ad omne vitium proiecto dictum nullam speciem mali haberet.

Ad hanc regulam exigamus accusationem Theophili. Certum est quam lacessit, & lacerat Dominicanam familiam, præter alias dotes, & laudes à suis Maioribus seruatas, & receptas, his tribus maxime commendari, doctrinæ Catholicæ studio, administrata Inquisitione, & sanctitate miraculis illustratâ, quas dotes possis comm uni nomine veritatis complecti, vt prima sit veritas dogmatum fidei, altera iudicii, tertia vitæ: vnde Dominicana familia summis Pontificibus adiuncta, & addicta, loco fuit pretiosi illius lapidis, quem ex antiquâ lege summus Sacerdos pectori additum præferebat cum hac inscriptione, *Doctrina & Sanctitas.* Et quamuis hæc de Dominicanis à 4. & vltra sæculis concepta opinio ad nos vsque peruenisset; visum est tamen Theophilo ob susceptas gratuito nobiscum simultates, posse saluâ conscientiâ, non solum integræ famæ detrahere; sed etiam traducere veridicos quasi falsatores, & temeratores librorum, ac tabularum publicarum, æquissimos Inquisitionis administros, quasi corruptissimos iudices; Denique suâ, maiorumque suorum celebritate illustres quasi impostores, & miraculorum artifices. Hæc summa tuæ Diatribæ, hæc tua mens, Theophile.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Calumniæ quibus nos accusat falsi Theophilus.

ATQVE vt à primo calumniarum genere incipiam, assertum ipsis ab hostibus titulum *veritatis ordo*, nobis eripere tentas, congestis multis accusationibus, aut omnino falsis, aut futilibus, de corruptis Alberto Magno, eiusque Discipulo D. Thoma, & Athanasio; de vitiata temporum, diuersorumque Authorum à Ioanne Annio historia; de suppositis D. Thomæ variis operibus nothis, & aliis id genus quæ leuiora sunt quam vt possint conuellere opinionem receptissimam, Dominicanos vni veritati addictos, & illi defendendæ nullum detrectasse laborem, aut periculum; atque hanc laudem perpetua, & numquam interrupta serie à D. Dominico ad nos vsque seruasse, & auxisse nauata Religioni in omnibus Conciliis egregia opera. Atque ita instaurandæ Ecclesiæ, & euertendis hæresibus feliciter allaborauit, vt merito dicta sit Dominicana Religio *Ordo veritatis*, quam veluti à bicipiti fonte, Dominico, & Thoma ita copiosè hausit, vt Sabellicus Æneade 9. lib. 5. referat, sua ætate anno circiter 1490, è Prædicatorum familia mille quingentos sacræ Theologiæ Magistros floruisse.

Quid affers Theophile, quod comparatam tot præclare gestis defensæ veritatis gloriam inumbrare possit, & fortissimos fidei pugiles suadere falsarios? Multis, inquis, locis Albertus Magnus vitiatus est commentis, qualia refert Antonius Bernardus Casertanus ex lib. 3. de motu animaliũ, tom. 5. operum: ex Catharino addis corruptum esse; libri sententiarum distinctione 3. art. 4 in hoc inquis, genere gnauis Cyriacis. At amabo, Petre, mitiora. Certe non ad corruptelas, & mendacia, vt affingis, sed ad bona opera, & ad bene merendum de genere humano, gnaui hactenus audiere Dominicani, eoque promptiores quo Deo solo teste, & benefactorum conscientia contenti, neglexerunt conscribere res à suis præclare gestas. De Alberto Magno aliqua edidit Cantipratanus eius Discipulus, melleo suo illo in opere

de Republica apum, quæ parem Doctrinæ ſanctitatem Alberti probant.

Deinde fœliciſſimum, & ſanctiſſimum ab incunabulis Ordinem extitiſſe hoc eſt argumento luculentiſſimo; quod cum Iordane ſecundo Generali mortuo, ventum eſſet ad ſucceſſoris electionem, æquatis Albertum inter, & Hugonem à S. Charo ſuffragiis, conſenſum eſt ab Electoribus in tertium, virtute, ac ſanctitate, duobus vt ita dicam æmulis nihilo inferiorem, ſcilicet in ſanctum Raymundum. Et hunc Ordinem, cui talium, & tantorum virorum copia, & optio dabatur in Generales (qualem delectum nullus Ordo hactenus vnquam habuit) vult Petrus mendaciorum eſſe artificem? Hanc fortè Petrus ſuaſerit calumniam, parem, ſi nobis meritis & ſanctitate, ſua, vel in aliena hiſtoria protulerit electionem.

Tertio inter illuſtriſſima monumenta Ordinis ſupereſt Humberti quinti Generalis Epiſtola, Baſilio, & Ambroſio digna, Alberto ad Archiepiſcopatum Ratiſponenſem aſſumptum, ſcripta, qua veluti atrociſſimum crimen illi improperat, hanc dignitatem non recuſatam, additque malle ſe videre Albertum feretro iacentem, & ad tumulum efferendum, quam ſede Epiſcopali ſublimatum.

Hæc tria de Alberto teſtimonia, probant, nec illum fuiſſe mendaciorum Authorem, nec Dominicanos in corrumpendo, & mentiendo gnauos; quando quidem Dominicanorum caput, & Generalis maluiſſet illum ſuis manibus inferre ſepulchro, quam videre in Throno Archiepiſcopali ſedentem. Certe qui dignitatem hanc dedecori vertebant Alberto, & eius gloriæ maculam reputabant, non erant gnaui, vt tu Theophile dicis, in eius libris mendaciorum ſordibus maculandis, quandoquidem ægre ferebant illum euectum ad honores cum aliquo detrimento religioſæ humilitatis, quam vnicè amabant.

Si aliqua vis aut veri ſpecies ſubeſſet iis corruptelis, quas obiicis à Patribus noſtris in Albertum, in Athanaſium inductas, licet non omnino peccatum tolleret, quod in homines integræ famæ detractionis admittis, leuaret, aut minueret. Sed quid dicam? Theſim per ſe

pessimam, & falsissimam, nempe nos falsarios esse, & temeratores operum Alberti, peioribus mediis, & ab omni vero alienis vrges: quod enim affers ex Bernardo Casertano reprehensum in Alberto, scater mendaciis, te an Bernardo, Authore nescio. Citas librum tertium de motu animalium cum duos tantum scripserit, aut certè extent quinto tomo operum ipsius, & eo loci refert, & refellit opinionem Auicennæ (quam secutus est Pomponatius, cum quo disputat Casertanus) qui vim facultati imaginatiuæ dabat mouendi corpora dissita, idque confirmabat exemplo duorum puerorum, quorum præsente altero clausa illicò dextrorsum reserabantur ostia; si sinistrorsùm autem, alteri idem contingebat, quoad ostia clausa sinistrorsum. Inde inferebant Pomponatius, & Auicenna causas naturales posse agere absque contactu in corpora remota. Tantum abest, vt Albertus testetur se vidisse huiusmodi experimenta, quin potius ab Auicenna relata reiiciat, vt incredibilia & fictitia: quam ergo inde causam habes nos insimulandi vt falsarios Alberti, cum hæc in te refiliat accusatio?

Albertum nescio quem Vaquerium aliquo satyræ tuæ loco rides, paginâ centesimâ decimâ quintâ quasi ignarum Scholasticæ methodi, argumentationes pro parte contraria ab iis quibus postea scriptor inhæsurus est, primum proponi, tum dilui, magnos conscisse rumores contra Scriptorem innoxium, qui in disputatione de appulsu Mariæ Magdalenæ Massiliam, proposuerat primo rationes pro parte negante, suas subiuncturus pro veritate appulsus; quod perinde putas ac si quis D. Thomam Atheismi insimularet, quod initio articuli an Deus sit, præmiserit rationes Atheorum conclusioni demonstrandæ de existentia Dei, eâque constituta priores reiecturus.

Sed vere reus es siue sciens, siue imprudens nescio, culpæ quam de fictitio Vaquerio comminiscaris, quandoquidem argumenta, & experimenta Auicennæ, vt propria Alberto assumpsisti, qui contrariæ sententiæ adhærebat, eaque argumenta erat soluturus; atque inde vis toti Ordini Dominicanorum infamiam creare falsarij, sicut & ipsi Alberto; quod multi eius nomine

libri infames euulgati sint, qualis est liber de secretis mulierum, cum hoc genus, si quod sit infortunij, commune illi sit sapientissimis & sanctissimis Authoribus, à quo nequidem Scriptores canonici immunes sunt, & sub nomine Salomonis, libri magicæ artis, qualis est clauicula Salomonis circumferantur : cuius rei causa est bibliopolarum auaritia, impietas eorum qui huiusmodi libros scripserunt, nec edere ausi suo nomine, alienum illis inscribunt, vt sua vitia tegant, & sint libri accepti magis, ac vendibiliores. Sed illud genus mali non est tibi timendum Theophile, cum tuum nomen præfixum libris de pretio plus detrahat integro, quando quidem de tuis genuinis bibliopolæ conqueruntur, quod Thomæ Hurtardo obiicis non *esse multitudinem in commutatione eorum.*

Nec verior es cum obiicis ex Catharino, Dominicanos falsiloquiis obnoxios, præsertim vbi de honore Ordinis agitur, & ex eodem refers Albertum vitiatum in distinctione tertia, conclusione art. 4. vbi ita habet. *Dicimus quod beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem, & qui dicunt oppositum, est hæresis condemnata à Beato Bernardo in epistolâ ad Lugdunenses, & à Magistris omnibus Parisiensibus.* Vis autem de suo ibidem à Dominicanis addita verba hæc, quæ nec eo loco leguntur, *Quia contraxit peccatum originale.*

Miror cur Catharini nec locum notaueris, nec verba retuleris, quibus atroci hoc nos scelere grauas, relaturus sine dubio sicubi apud illum extarent : neque enim hæc reticentia, vel omissio tuæ in Dominicanos quidquam humanitatis est ; eorum quasi fueris ipse pudori consulturus. Cæterùm Albertum legimus : apud Albertum desunt quæ de nostro ais addita. Consule editionem vltimam Lugdunensem, citatamque, vt retuli sine assumento vel additamento locum inuenies. Vt quid enim fuisset adiunctum, nisi vt Dominicani gratuito forent temeratores & falsarij, ideſt, nullo compendio, aut emolumento, cumque sui maximo dedecore ? Eodem namque articulo solutione ad quartum expressis verbis habet Albertus quod ipsos fingis inseruisse falsarios. Hanc excute ruæque te, pudebit olim accusationis.

Vicinam huic cognatione calumniæ hîc adiungo al-

teram à priori licet in tua diatriba satis remotam Carpis Patrem Petrum Iammi, qui præfuit editioni Turcicæ Alberti Magni, addisque à non nemine insusurratum fuisse, lacunas non exiguas in operibus Alberti Magni de suo expleſſe. Adeo flagras inuidiâ, vt etiam Alberti Magni operibus, iterum omnino iisdem, quæ antea extabant, cusis, dicas aliquid à nobis additium: Et quia tuæ calumniæ conscius es, dicis hæc ab aliis insusurrari. Eò credo, tandem peruenies, vt aliquando asseras, nec Albertum Magnum, nec D. Thomam aliquid scripsisse. Huius certe opinionis consors est Petrus de Alua, qui in suo Nodorum libro dicit D. Thom. pauca, vel nihil scripsisse, omniaque eius opera falsò illi à nobis attribui.

Quid cum istis hominibus agendum, qui sensum communem negant? Si eis arriserit negare, opera V. G. D. Augustini esse D. Augustini, qua ratione conuincendi erunt? Certe isti vel Authorum extare negant opera, vel si extent, ipsorum non esse genuina fidenter asserunt.

Eiusdem furfuris, & roboris est altera accusatio qua Theophilus contendit Dominicanos adulterasse libellum Athanasij de sanguine qui manauit ex imagine Christi transfixa, appositio inquit in calce libelli assumento, quod neque est in græcis codicibus. Illi calumniæ duo repono: primum illud quod vocas assumentum, Athanasij vere esse contendo: deinde esto sit aliquid addititium, vnde à Dominicano habes appositum, & si quis tandem corruptor ille est Dominicanus, quid eius nomen premis? An sicut olim statua Nabuchodonosor inuisibili manu euersa est, ita & hunc obtendis librum ab ignoto & inuisibili adulteratum Dominicano? Impostura silentio prodis, cuius te accusant ipsi quos testes aduocas: nam Bellarminus ita habet in libro Athanasij de passione imaginis Domini: vltima verba ab aliquo sunt addita: sed nullum nominatim denotat, multo minus aliquem ex Dominicanis. Alia possent addi ex notis P. Combefisij ad orationem de imagine in puteum demersa. Credibile est Symonem Metaphrastem qui aliquot sæculis Dominicanos anteceſſit, historiam illam Athanasij nomine editam stylo auxisse, & ornasse.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Vindicantur à falsi calumnia nominatim Ioannes Annius, Ioannes de Monteſono, Reginaldus, & alij.

HActenus vindicauimus Dominicanos à crimine falsi generatim accusatos à Theophilo; nunc singulorum defensionem suscipimus, quos nominatim vt falsarios notat: ex quibus primus est Ioannes Annius natione Italus, patria Viterbiensis, Prædicatorij Ordinis Professor, & Magister sacri Palatij, quem plurimi impense laudant, nonnulli falsum seu deceptum alicubi censent: sed nullus, quod sciam, ante Theophilum falsarij nomine suspectum habuit.

Sixtus Senensis acerrimi iudicij censor vocat Theologum eximium, historiarum omnium quotquot sint, vel fuerint, exactissima cognitione celeberrimum, antiquarium præstantissimum, & vetustissimum omnium rerum indagatorem, & inuentorem admirabilem, cuius in Berosum Babylonium, Metasthenem Persam, Mathenonem Ægyptium, aliosque multos antiquissimæ vetustatis historicos, accurata commendant Commentaria, & in plures scripturæ libros, vnde agnoscas Annium perfectam scientiarum Encyclopædiam habuisse.

Scio aliquot in illo lapsus animaduersos à Cano; sed quid mirum, hominem tot, & tanta complexum qui nullam eruditionis humanæ, aut sacræ partem prætermiserit, aliquando cespitasse? Sed iniquissimi censoris est, qualem se præbet vbique Theophilus, ob nonnullas hallucinationes illi falsarij nomen imponere, velleque ipsum non modo deceptum, sed deceptorem scripsisse, vt & alios ipse deciperet, quod vnum scelus falsariorum est & Interpolatorum; à quo vtinam Theophilus per inde abesset ac Annius nec durissimam hanc nobis reponendi necessitatem imposuisset quod ipsemet Annio per summam improbitatem imponit.

Ioanni Annio aggregat eiusdem sceleris accusatione

Ioannem à Monteſono Arragonium dimidio fere ſæculo ſuperiorem: hic enim anno 1395. ille 1460 floruit: ſed qui Theophilo falſarius, eſt Gaguino celebri rerum Galliæ hiſtorico, & à ſanctiſſima Trinitate Ordinis Præpoſito Generali, & Odorico Raynaldo, qui Annales Baronij ex eadem Congregatione Oratorij Romani accuratè proſequitur tomo 17. ad annum 1380. eſt Vir doctrinæ inſignis, & Eccleſiæ Romanæ, ac legitimi Pontificis tempore ſchiſmatis ſtrenuus defenſor.

Scio equidem cum quibuſdam facultatis Pariſienſis Doctoribus, graues, & diuturnas habuiſſe contentiones, atque ab illis 14. è Theſibus quas erat propugnaturus propoſitiones cenſura notatas, à qua appellauerit ad Summum Pontificem tum Auenione ſedentem, libellumque ſupplicem prorrexiſſe Vrbano ſexto, in quo narratione huius diſputationis ad finem Magiſtri ſententiarum addita, refertur tot eſſe mendacia, quot verba: atque hoc vnum eſt Theophili, & Petri de Alua in Ioannem à Monteſono teſtimonium, quo illum falſi, aut falſarij arguunt. Sed quiſquis ſit huiuſmodi relationis Author, non videtur illi maior fides habenda, quam iis qui ad vitas Sanctorum, Collectore Ribadeneira, apponunt auctaria eorum qui interdum ſuperſtites ſunt, neque vllo Eccleſiæ vſu, aut decreto Sanctis accenſentur.

Sed plurimum debemus huiuſmodi additamenti ad Magiſtrum ſententiarum authori: nam dum vnum Ioannem à Monteſono videtur petere, & damnare, Dominicanos omnes vindicat ab infinitis Theophili, & Petri de Alua calumniis & decretis: quæ ab Epiſcopo, quæ ab Academia Pariſienſi, quæ ab Vrbano quinto prodierunt, ad commendandam & confirmandam D. Thomæ doctrinam, quæ à nobis ſuppoſita & conficta criminatur vterque Petrus, conciliat fidem indubitatam: quod cum pagina 423. vltrò fateatur illis vſum Ioannem à Monteſono, vt ſe à cenſura Pariſienſi tutaretur, & cauſam ſuam apud Vrbanum ſextum ageret, numquam falſi accuſata ſunt ab aduerſariis; id ſine dubio non omiſſuris, ſi vel minimum dubitaſſent, & fuiſſent ſuſpicati à Patribus noſtris ſubiecta eſſe, aut vlla parte ſui vitiata.

Hoc Academiæ ſilentium, aut potius expreſſa vox huiuſmodi decreta authentica admittentis, nobis loco præſidij & apologiæ validiſſimæ eſt contra Petri cauillos, & vociferationes, huiuſmodi teſtimonia à Dominicanis fabricata, & obtruſa Conceptionis Immaculatæ inumbrandæ cauſa. Nolim iterum ad examen & incudem propoſitiones reuocare Ioannis à Monte ſono, quas tota familia ſancti Iacobi ſuſceperat defendendas; neque dubium eſt plures illarum ſenſum habuiſſe Catholicum, præſertim eas quæ creaturæ aſtruunt neceſſitatem exiſtendi, qualem aſtruximus ex D. Thoma ad ſectionem primam libri ſecundi, quibus hæc duo addo certiſſima apud omnes Sapientes ex ſancto Doctore.

Primum nullam potentiam naturalem inſtitutam eſſe, niſi ad actum, à quo ſit perficienda, non deſtruenda: deinde ſi quæ ſit potentia ad deſitionem rei aut corruptionem comparata, eam non eſſe in re corrũpenda, ſed vel in agente cauſa quæ poteſt creaturam corrumpere, & ad nihilum redigere, vel in materia capaci formarum plurium, quas cum ſimul complecti nequeat, neque vna ſatiari, dum omnes appetit, neceſſe eſt ſingulas corruptibiles eſſe, & perire, & dum vna inducitur eam quæ præceſſerat abſcedere. Hinc rerum contingentia, & aliqua ad deſinendum potentia, qua carent ſubſtantiæ expertes materiæ, & corporeæ etiam, quarum materia vnius tantum formæ capax & appetens ſit, quales aſſerit Cœlos Philoſophia Peripatetica. Ex his ergo conſtat nullam, & ſubſtantiis huiuſmodi corporeis, & multo minus Spiritualibus ad nihilum eſſe potentiam innatam, ſed totam ab agente extrinſeco peti: Qua Doctrina nihil verius aut ſolidius.

Quare notat Caietanus ad articulum 2. quæſtionis 9. primæ partis, magnæ inſipientiæ fuiſſe erroris damnari à quibuſdam Pariſienſibus dari Creaturam quæ illo genere neceſſitatis exiſtat, excluſa potentia omni intrinſeca, non extrinſeca ad deſinendum: vt mirum non ſit hanc Cenſuram ab Epiſcopo Pariſienſi magis fuiſſe reuocatam ipſius Academiæ Pariſienſis, quàm Sancti Doctoris cauſa. Et prius obſeruauerant Capreolus, & Ægidius huiuſmodi articulos contra D. Thomam cuſos vt loquuntur (ad requeſtam aliquorum Capitoſorum;) &

Grauina libro 4. Cherubin Paradisi cap. primo dicit duplici tæda inurendum esse Authorem huiusmodi censuræ: primo quod nævos non ferendos Sancto Doctori affinxerit: deinde celebrem illam Vniuersitatem studiorum Parentem maxima iniuria affecerit, quasi adeo probrosam lucubrationem eius nomine ediderit, & in celeberrimos illos Magistros huiusmodi opus refuderit, quod in Indice librorum prohibitorum Concilij Tridentini iussu damnatur littera L. his verbis *Liber continens articulos reprobatos à facultate Parisiensi contra Doctrinam D. Thomæ.*

Hæc de Thesibus à Montesono, & quasi de iuris quæstione: quod ad Historiam attinet; multa habet Pater Mallet libro de Viris Illustribus domus Sancti Iacobi; cui cum Parisiensis Academiæ Doctoti licuerit eius tabulas, & documenta exactiùs, quam Petro de Alua excutere, maior est etiam fides habenda. Ille verò docet primùm censuram latam ab Academiâ in Ioannem à Montesono, salua in omnibus reuerentia sancti Doctoris, & Doctrinæ eius; deinde scribit Regem Carolum sextum, eiusque Patruos Duces Burgundum, & Borbonium ægrè tulisse discessionem domus sancti Iacobi à Facultate Parisiensi, & pro suâ pietate, & authoritate die vigesimâ tertiâ Augusti anni 1403. ad id etiam allaborante Benedicto decimo tertio Papa schismatico, cui vt legitimo adhærebat Gallia, has discordias sustulisse, & pacem sanciuisse.

Nullus autem his dissentionibus indoluit, aut illis tollendis fœliciùs, & ardentiori charitate Cancellario Facultatis Gersone incubuit: quem non minus sanctum, quàm doctum liceat agnoscere, ex epistolâ in hanc rem ad Collegium Nauarræ scripta, in quâ sic habet. *Cogor illam deflere scissuram miserabilem, & mutilationem luctuosam partis non modicæ Vniuersitatis Parisiensis, à quâ segregati sunt viâ quâdam indirectâ FF. Prædicatores.* Et cum eo sæculo ad Academiæ Doctores, & Sorbonæ Priorem pertineret Concionatores Parochiis ciuitatis dare, subiunxit.

O vtinam omnes attenderent quanta qualisque iactura spiritualis fuerit, tot hactenus sermones, tot lectiones, tot salubres instructiones in Vniuersitate, & alibi inde

ceſſaſſe. Et cum probè noſſet hoc pacis ſtudium nonnullis diſplicere, adiungit : *oblatrabunt ſcio ſi ad quoſdam ſcripta delata fuerint, indignè ferentes, imo pro ſcelere vel mutabilitate deputantes quod pacem Iacobitarum videar optaſſe, aut pro ea ſcripſiſſe : ſed libera voce fatebor; nec illud vnquam pudori deputabo, me nunc & primo olim ſemper reconciliationem ipſorum, etiam in mediis litibus optaſſe.* Hæc Gerſon : quæ apud me plurimùm valent confirmandæ ſanctitatis illius opinioni Verum ſi hæc eius opera in tollendo ſchiſmate ad illius gloriam; ita etiam ad noſtram cauſam, & ad Ioannis de Monteſono defenſionem multum conferunt.

Hæc de Calumniâ in Ioannem à Monteſono ſufficiant. Reliqua quæ ad idem caput pertinent de ſparſo à Dominicanis rumore, damnatum à Clemente VIII. & Paulo V Molinam de hiſtoriâ à Franciſco Penna decano Rotæ ſcriptâ Congregationum de auxiliis. Itemquæ de eâdem hiſtoriâ ad compendium redactâ, Authore Patre Reginaldo inepte, & præter omnem veri ſpeciem quæ denique ludit de Patre Piſcatore quem tela ſubtilis verbis è triuio, arreptis appellat; eius ſunt generis, vt cum multa aſtruat apertè falſa, & omnia incerta, nihilque niſi ſui conuiciantis teſtimonio probet, fruſtra iis ſigillatim expendendis, & refellendis immorarer; nam ſola habet verba, & nulla argumenta : & quæ in Patrem Reginaldum, & in Patrem Piſcatorem ſcribit; omnino in illum cadunt Quid enim verius de Theophili diatribis quàm quod falsò de Patris Reginaldi Theſibus ſcribit, quæ præ pudore omitto.

Dei iudicio actum eſt, vt quaſcumque in nos proieciſti conuiciorum ſagittas, in teipſum reſilirent; & contra te ipſum neſciens ſententiam pronunciares. Dixiſti in præomio tui libelli; *Libros proſcribendos eſſe, vel quia continent doctrinam hæreticam, aut hæreſi conterminam, vel quia Authores in ſuis ſcriptis ſunt erga ſedem Apoſtolicam irreuerentes: vel quia de ſanctis non agunt ſatis ſobriè, & cum conuenienti obſeruantia, vel quia doctrinam continent minus ſolidam; vel quia mendacia, & impoſturas obtrudunt; vel denique, quia in alienam famam iniuſtè graſſantur, & immodeſtia, atque acerbitate violant charitatem.* His profectò ignorans te ipſum

deformasti, & damnasti, nobisque laborem abstulisti; quo tuum libellum exactius refelleremus.

Duo tantum superioribus addam: præter recentem de congregationibus auxiliorum traditionem, quæ apud multos viget, quidquid hactenus scriptum est hâc historiâ à nullo Dominicanorum, sed duorum illustrissimorum hominum nomine editum, nempe Domini Le Bossu Doctoris Parisiensis Benedictini, & Francisci Penna, quos vitæ genus semouebat à partium studio, & gratiæ aut odii minus suspicione laborabant, quam Ripalda, quam Gabriel Hennas, quam Ioannes à sancto Thoma, ac proinde illis suscribendum erat aut credendum, qui neutrius instituti erant, magis quam Iesuistis aut Dominicanis. Sed aliter visum est maioribus quibus parendum. Cæterum, Theophile, si Pennæ de rebus Congregationis, & de nobis testimonium suspectum tibi est; patere tuum de Penna depelli: neque enim cõuenit à te reiici virum qui in aulâ Romanâ consenuit, qui de rebus à se visis scripsit; & tibi fidem haberi, aut Ripaldæ & Hennas narrantibus nec visa nec forte audita, & odij ac partium studij suspectis ne dicam compertis.

Si nobis permitteremus more tuo decreta Pontificum ad examen vocare, eorumque causas occultas inquirere, & temere, vti soles, incertas designare; possemus vero propiora proferre; sed in decreti reuerentiam obmutescimus.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Depellitur Calumnia de corruptis, aut subjectis D. Thomæ Libris ijs quibus de Conceptione agitur.

HOc paragrapho confutanda essent propemodùm infinita non solum à Theophilo; sed etiam à Petro de Alua, & Maraccio familiæ nostræ obiecta, nisi libro primo occupassem: hoc tantum præiudicio nunc agam cum illis & ceteris qui agmine facto in nos insurgunt, quasi falsarios, quod vel adulterauerimus, vel

ſuppoſuerimus Libros D Thomæ, iis maximè locis quibus de Conceptione ſcripſit.

Vos ergo omnes qui à nobis falſatum criminamini Diuum Thomam, conuenio. Quamvis veſtrûm ferè omnium prudentia in rebus agendis laudetur, fateor tamen me in vobis eam præ omnibus virtutibus maxime deſiderare, hoc præcipue nomine, quod cùm res ſole meridiano clariores, quæ ſub ſenſum cadunt, vel in dubium reuocetis, vel pertinaciſſimè negetis; omnem prorſus fidem, omnem authoritatem vobis abrogatis, cum de rebus cœleſtibus, vel occultioribus agitur; & hâc in rebus euidentiſſimis contentione monſtratis, vos non veritati litare, ſed laborare ſtudio partium.

Quis poteſt dubitare de mente ac ſententia ſancti Doctoris, ſi 3. p. quæſtionis vigeſimæ ſeptimæ poſt articulum ſecundum, quem contenditis à nobis corruptum, articuli tertij titulum, *An per ſanctificationem fuerit Beatæ Virgini fomes totaliter ſublatus*; & eiuſdem articuli concluſionem inſpexerit, quæ habet, fomitem in illâ fuiſſe ligatum, non ſublatum? Hactenus non eſt auditum, nec à Poza ipſo tentatum, nos illum tertium articulum ſuppoſuiſſe; ſi ergo eſt genuinus D. Thomæ; quæro vel articulo ſuperiori cenſuit Beatam Virginem conceptam viâ ordinariâ, vel fuiſſe immunem à peccato; ſi primum dicas; ergo falsò accuſas corruptum à nobis D. Thom. vel hic, vel in ſententiis: ſi aſſeras ſecundum, ergo malè D. Thomas & inconſequenter dicit, per ſanctificationem ligatum, non ſublatum fomitem; quando quidem ſi nullum habuit peccatum originale, nullus ſecutus eſt in illa fomes, qui deberet ligari.

Quare ergo litem mouetis de mente D. Thomæ adeo apertâ? Quare eius loca à nobis corrupta aſſeritis? Quare, vno verbo, contra vos; & contra omnem prudentiam peccatis? Cum hâc gratis motâ contentione demonſtretis, vos veritatem non inquirere, ſed velle litigare. Cur vt veſtram ſententiam deffendatis, tentatis contra veritatem Doctorem Angelicum obtorto collo ad veſtras partes trahere? Non caret vitio falſarij, has falſationes nobis imponere. Abſit vt veſtram ſententiam damnemus, imo probabilem dicimus: ſed velle D. Thom. à nobis falſatum fuiſſe, & nullum ex Antiquis noſtram

noſtram ſententiam docuiſſe, omnem ſuperat fidem, quod Suarez non diffitetur 3.p. D. Thomæ tom.2 q.27. art.2. diſp.3. ſect.5. folio 33. column.1. impreſſo Venetiis 1598. vbi refert, *Secundam ſententiam, quæ ait Virginem fuiſſe conceptam in Originali, & paulo poſt fuiſſe ſanctificatam; tenuiſſe omnes fere antiquos, & ſcholaſticos ante Scotum.* Gabriel Vaſquez idem aſſerit ad 3. par. D. Thomæ quæſt. 27. art. 2. diſp. 117. cap. 1. *Hæc controuerſia*, inquit, *de præſeruatione B. Virginis à Veteribus Eccleſiæ Patribus diſputata non fuit. Tempore vero Bernardi aliqua de hâc re diſputatio extitit, vt colligere licet ex Epiſtola eiuſdem Bernardi ad Canonicos Lugdunenſes Epiſt. 174. ibi enim non ſolum docet, Beatam Virginem in peccato Originali conceptam fuiſſe, prout tunc communis Theologorum opinio ferebat: verum etiam, &c.*

Cur ergo relictis doctiſſimis viris Franciſco Suarez, & Gabriele Vaſquez, vni Pozæ adhæretis? Certe ſcriptores nobiles etiam ex veſtris nunquam negarunt S. Thomam docuiſſe ſententiam ſanctificationis, pro ſecundo inſtanti: ſed his noſtris temporibus quidam ignobiles Authores commenti ſunt, S. Thomam eam ſententiam nunquam docuiſſe, & à noſtris textum ſancti Doctoris adulteratum. Si hanc viam aperiamus, nil ſupererit in Eccleſiâ certi: quia ſi hæreticis opponamus textum aliquem ſacrum, illico conclamabunt fuiſſe à Catholicis adulteratum.

Placet hîc referre verba Patrum Salmanticenſium Carmelitarum Diſcalceat. tom. 2. in p. 2 quæſt. 8. tract. 13. de pecc. Diſp. 11. dub. 5. num. 204. vbi ſic aiunt, *Veniamus ad ea loca, quæ nihil continent cenſuræ, ſed ſimpliciter tradunt, Virginem fuiſſe in Originali conceptam, aut non niſi poſt inſtans animationis fuiſſe ſanctificatam. Hæc autem ſincere conſiderantibus, ſiue, quæ iuuenis S. Thomas ſuper ſententias, ſiue quæ ſenior in ſummâ Theologiæ, vt aliis locis ſcripſit; ita pro peccati contractione ſunt perſpicua, & ſibi ipſis cohærentia; vt coram propriâ conſcientiâ non audeamus illa de ſolo debito intelligere. Legimus ſæpe numero prædicta loca, ſeriem, verba, & apices attentè meditati ſumus, ſummo-*

pere cupientes, & inquirentes viam, vt sine veritatis præiudicio enunciare possemus, D. Thomam pia sententia non refragari; illam tamen (quod non sine animi dolore proferimus) vsque modò inuenire non potuimus. Vtinam vel proprio, vel aliorum studio peritiores facti, quam citò inueniamus. Dum autem maiori luce non fruimur, satius nobis fuisse arbitramur, (insufficientiam nostram hâc re confitentes:) quoad vnam istam opinionem, quam D Thomas tunc temporis, vt probabiliorem, & communem, (vti re vera erat,) sequutus, Thomisticum rigorem assuetum nobis remittere; quam aut extortis, & violentis vti expositionibus, quas textus ipse abiicit, aut commentitiis quibusdam solutionibus ad detrahendum potius D. Thomæ scriptis, præsertim summa Theologiæ temerè excogitatis, quas quidam Neoterici spargunt, locum aperire; & expositiones sine fundamento adductas per sacrum Inquisitionis Tribunal condemnatas, & deleri iussas ex Elucidario Ioannis Baptistæ Pozæ, vt videre est in Indice expurgatorio edito anno 1640.

Sed videris, Theophile, te ipsum ineptia, & infantiâ superare, cum falsatos à Thomistis SS. Patres hoc argumento vis conuincere. Bandellus ex deprauatis SS. Patrum libris plures aggeres protulit; Capreolus in 3. dist. 3. eam molem ad quadraginta restrinxit; Caietanus autem arctauit ad quindecim. Quid inde? Ergo Caietanus damnauit quidquid ex Capreolo omisit, & Capreolus quidquid ex Bandello? Quæ consecutio? An non possumus ex vno Scriptore seligere aliqua breuitatis causâ, aliis prætermissis, sed non damnatis? At opus est vos huiusmodi argumentis contra Dominicanos vti, cum meliora non suppetant, & statueritis potius nihil dicere sensu Catonis quàm tacere.

Omitto totum argumentum turpi hallucinatione chronologiæ peccare: nam eius vis sita est in hoc, quod Capreolus suppar sit Bandello; cum tamen centum circiter annos Bandello præiuerit. Sed dubito an imprudentiùs corruptelas verissimas feceritis, quàm falsas nobis obiiciatis: nolo hic congerere quæ possem exempla, duobus contentus. Primum meis oculis hausi: incidi fortè aliquando in Apparatum Labbatæ, & ad

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [86] - 66
PUBLIC DOMAIN

apertionem libri occurrit titulus de Conceptione Immaculatâ, pro quâ teſtem aduocabat Sanctum Vincentium Ferrerium ſermone in illam ſolemnitatem: placuit explorare citationis fidem; res erat in promptu: altero ſcamno Bibliothecæ proxime ſequenti habebam ad manum S. Vincentium: inquiro ſermonem, accedo ad verba citata, vnius tantum monoſyllabi mutationem factam inueni, quâ propoſitio negans mutata erat in affirmantem à Labbata. Quid facies iſtis hominibus? Certè tantæ audaciæ pœna leuiſſima eſt, ſi deprehenſis in adeò aperto mendacio, etiam vera dicentibus nulla fides habeatur.

Quid dicam de Magiſtri ſententiarum loco lib: 3. diſt. 3. lit. C. vbi in editione Pariſienſi anni 1542. ſic habebat; *Antequam eſſet Verbo vnita caro obnoxia fuerat peccato in Mariâ, & in aliis, è quibus propagatione traducta eſt*: nouæ editiones, loco *in Mariâ*, habent, *in materiâ*; quod quidem nihil ſignificat. Nunquam ſimiles corruptiones moliti ſunt Dominicani, & qui illas audent inducere, bonæ cauſæ plus nocent, quàm ſuffragentur, & ſibi omnem fidem abdicant, quò nihil in vitâ humanâ, ne dicam Chriſtianâ perniciosius accidere poteſt.

Horum quibus hactenus ſatisfeci multa ſunt communia Theophilo, Maraccio, & Aluæ: omnes eodem præiudicio grauantur quod ſole meridiano clariora, negent, vel obſcurent, neſcio quibus diſtinctiunculis non minus futilibus, quàm ridiculis, quorum vnus fructus eſt vt omnem ſibi fidem penitus abrogent.

Theophilus obiicit intruſionem, vt ipſe loquitur, Commentarii Petri Veronenſis in Mathæum, inter ſancti Thomæ opera à Bartholomæo Spina malitiosè factam, vt ipſemet faſſus eſt Vuielmo de hâc corruptelâ ſe monenti. Hic fidem tuam conteſtor, Theophile: velim indices vbinam Spina à Vuielmo admonitus agnouerit falsò ſe ſuppoſuiſſe D. Thomæ Commentarios in Mathæum. En verba Vuielmi lib. 2. de ſcriptis D. Thomæ quæ te calumniæ conuincunt. *Circumferuntur iam verò in Mathæum quoque & in Epiſtolas ſeptem, quas Canonicas vocant, atque poſtremò in Apocalypſim Commentarij, ſiue expoſitiones eius nomine*

inscriptæ; quarum aliquot quaterniones, earum scilicet quæ in Mathæum, ego adolescens, cum Veronæ in Cœnobio S. Anastasiæ, Religioni, & litteris operam darem, deprehendi esse F. Petri Scaligeri Ordinis nostri, & Veronensis Episcopi, cuius scripta in communi Bibliotheca seruabantur; & paulo post repetuadarum velut reum Magistrum nostrum, & præceptorem meum F. Bartholomæum Spinam, qui id opus primus omnium typis in vulgus dederat, quod Lectori factum non indicasset, admonui: reliqui vero, quos iam enumerabam, nec stylo, nec diligentiâ, cum aliis eius Viri commentariis conferri possunt, nec sunt à sectatoribus, alumnisque D. Thomæ antiquioribus agniti; vt pluribus coniecturis eos, vel non esse fœtus Aquinatis nostri, hæsitare liceat, vel certe eundem supremam manum illis non imposuisse. Hæc ibi Vuielmus.

Hæc tamen nihil moratus subdit noster Ioannes Paulus Nazarius in opusculo de scriptis D Thomæ, dubit. 7. *Hoc tamen opus* (Commentaria in Mathæum) *Sanctus Antoninus enumerat inter opera D. Thomæ, dicens: Lecturam quoque scripsit super Mathæum, quæ defectiua est; dicitur eam reportasse F. Petrus de Adria.* Hæc sanctus Antoninus, *cuimagis est credendum quàm Vuielmio, qui scripsit anno 1564 cum præsertim Castilius narrationem S. Antonini* (*licet eius suppresso nomine*) *ad verbum afferat lib. 3. Idem opus cæteris Angelici nostri Doctoris operibus annumerat Sixtus Senensis, Flaminius, Garso, Plodius, Bellarminus, & alij, quibus adde Bartholomæum Spinam ex Vuielmio.* Hæc Nazarius.

Sed demus gratis, commentarium illum non esse D. Thomæ, nunquid malitiosæ intrusionis dicti commentarii inter opera D Tho. reus censendus est Bartholomæus Spina, qui bonâ fide secutus D. Antoninum, Commentarium illum inter opera D. Thomæ reposuit? Non meliori consilio Thomæ de Lemos imponit falsationem D. Thomæ quoad propitiatorium p. 2. q. 102. art. 4. ad 6. inquit enim Theophilus, *Sanctum Thomam ibi dixisse, propitiatorium fuisse lapideum, & Thomam de Lemos in Romanâ editione Summæ, absque vllâ veterum Codicum fide, ex suo cerebro mutasse, facta, & lapidis mutatione,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [88] - 68
PUBLIC DOMAIN

in lignum; ne Thomas diceretur ignorasse veram propitiatorij materiam

Vix horum verborum vllum vitio caret; in primis velim me doceas, vnde audieris, aut vbi legeris Thomam de Lemos habuisse curam editionis Romanæ? Si Summam D. Thomæ Romæ impressam legisses, ad limen Pater Magister Gregorius Donatus, non Magister Thomas de Lemos huic Romanæ editioni præfectus occurrisset: sed tu, vt grauissimum, & sapientissimum Magistrum Thomam de Lemos, gratiæ efficacis contra Valentiam acerrimũ propugnatorem, lacerares, finxisti adornasse Romanam editionem Summæ S. Thomæ. Sed nec legisti solutionem, quam huic obiectioni adhibet noster Magister Ioannes à S. Thoma tractatu de approbatione doctrinæ D. Thomæ, propositione 11. vbi sic ait. *Res hæc scriptorum, vel amanuensium incuria, aut vitio, in textum D. Thomæ irrepsit 1 2. quæst. 102. art. 4. ad 6. nam ex D. Thoma non processisse clamant antiqua exemplaria, quæ solùm habent: super arcam erat tabula quædam, quæ dicebatur propitiatorium; & non dicitur aurea, vel lapidea, vt notauit Magister Donatus, in impressione Summæ D. Thomæ in paruâ formâ Romæ 1619. ad marginem illius loci. Refert etiam P. Vasquez, in commentario illius articuli tom. 2. in primam secundæ, in manuscripto codice Salmantino antiquo solum haberi, tabula quædam; nec dicitur aurea, vel lapidea, quod ante Vasquez affirmauit Medina, initio commentarii, quæst. 103. eiusdem p. 2. Denique ipse D. Thomas expresse dicit, fuisse tabulam auream illud propitiatorium, super Epistolam ad Hæbreos cap. 9. lect. 2. ad illa verba, & tabula testamenti.*

Quamuis autem Vuielmus dubitet, an expositio in epistolas Canonicas sit D. Thomæ; verius tamen est eam esse Diuum Thomæ, nam Sixtus Senensis lib. 4. & Castilius lib. 3. primæ partis historiæ S. Dominici, & Bellarminus opus hoc tribuunt D. Thomæ, de quo Bellarminus suum ita profert iudicium. *Commentaria vero in Epistolas Canonicas videntur mihi erudita, & digna ingenio S. Thomæ; præsertim cum in eis seruetur stylus, & modus procedendi D. Thomæ. Neque obstat quod in editione Romana hoc opus non*

censeatur. Si quidem eo tempore hoc opus nusquam inueniebatur, & primum in lucem prodiit Antuerpiæ anno 1592.

Hæc Bellarminus: quam etiam ob causam non ponitur ab antiquioribus in Cathalogo operum. D. Thomæ. Aliud hac in re commentum palmare occurrit, inquit, Theophilus, quod Lemos in textu D. Thomæ loco tabulæ lapideæ posuerit tabulam ligneam: vbi hæc legit Theophilus? Consulant omnes textum articuli 4. cit. ad 6. in editione Romanâ, legent tantum hæc verba: *& super arcam erat quædam tabula, quæ dicebatur propitiatorium*; nec designatur lapidea aut lignea, sed tantum quædam tabula, indefinitè. Vanum ergo quod obiicit Theophilus à Lemos mutatum esse lapidem in lignum.

Hæc sunt propria Theophilo: sua habet singularia Petrus de Alua. In primis ius sibi arrogat quodlibet ad arbitrium negandi, & asserendi, vel in aliis carpendi quæ licet solida & vera, minus sint ad eius gustum. Raymundum Lullium ferunt nouam excogitasse artem argumentandi, & demonstrationum genera diuersa ab iis quæ Aristoteles omnium sapientum consensu statuit. Nouos etiam profert Alua arguendi modos quos merito dixeris consequentias inconsequentes, absurdas conuenientias. Huius logicæ nuperæ gustum li. 2. nostræ responsionis dedimus: si quis tamen huiusmodi cibis expleri aueat, legat Nodos indissolubiles, & Solem veritatis eodem Authore. Hoc vltimo libro negat extare Archiepiscopum Antibarensem, quia inquit, *Archiepiscopus Antibarensis est fictus; cum neque in Gallia, nec in alia Christianitatis parte fuerit, nec sit talis Archiepiscopatus Antibarensis.* Sed si Dalmatiam lustrasset P. Alua, vidisset ibi ciuitatem Antibarensem, Italicè, *Antiuare*, modo à Turca occupatam, cuius plures fuerunt Archiepiscopi Dominicani, & nouissimè vnus Pontificatu Vrbani octaui. Sed credo Patrem Aluam ignorare etiam dari Episcopatus titulares.

Præterea subdit, nusquam vixisse fratrem Gerardum, seu Georgium Dominicanum scriptorem Archiepiscopum Antibarensem, quia Authores dissentiunt quoad

tempus quo floruerit. Ita ex Logica P. Aluæ, si inter Historicos non conueniat tempus quo quis vixerit, vel Scriptor, vel Princeps, eximendus sit de numero Principum, & Authorum.

At magis ridiculum quod asserit pag. 8 vbi reuocat in dubium, an Dominicus de Monte Luporum Italus Ordinis Prædicatorum vnquam extiterit huius nominis vllus, quia inquit, *Vidi omnes nomenclaturas, scrutatus sum non paucas Bibliothecas, legi quicquid hucusque scriptum est de Conceptione, peragraui Europam, sed nunquam mihi occurrit Mons iste Luporum.* Mons Luporum est oppidum in Hetruriâ, ac etiam in Piceno, vel fortè etiam alibi: & credit bonus Vir, Oppida, & Castella reperiri in nomenclaturis, & in tabulis Geographicis, quibus non describuntur nisi ciuitates insigniores: præterquamquod Dominicus ille opus manuscriptum dicitur confeciſſe, non edidiſſe. Credit autem P. Alua se vidisse & potuisse videre omnia manuscripta, etiam non edita de Conceptione, & hoc magnâ fiduciâ asseuerat.

Nec minori audaciâ arguit sapientissimum Episcopum, olim primatium Theologiæ professorem Franciſc. Arauium in Salmanticensi Academiâ; quod scripserit de festo natiuitatis Deiparæ nusquam in Ecclesiâ dubitatum; & ait se mirari hominem doctum & Scriptorem scholasticum id ausum asserere: quia nullus ex antiquis non disputauit in 3. sent. dist. 3. vtrum beata Virgo sanctificata fuerit in vtero ante natiuitatem. Sed in ipsum Aluam recidit hæc reprehensio, & materiam admirationis ac penè stuporis præbet, quasi velit quidquid in vtramque partem argumentis hinc inde propositis disputatur, vim dubitationis habere. Nam si ita vniuersim statuat, diuum Thomam alioſque Theologos passim dubitabundos inducit, idest, hæreticos, & atheos de existentiâ numinis, de Trinitate, & Incarnatione; cùm passim scribant An detur Deus, Trinitas, Incarnatio, &c. non vt rem dubiam faciant, sed vt locum habeant confirmandi mysteria fidei validissimis argumentis, & eorum solutione quæ contra obiiciunt Athei.

Nec minorem sui excitat admirationem (vt eius

verbis vtar) cum Turrecrematæ, Bandello, Gryſaldo Dominicanis obiicit, eos videri ignoraſſe ſanctum Raymundum Diuum eſſe ex ordine Prædicatorum, quod intercanoniſtas numerent, & Dominum appellent. Mirum planè eſt quantum hæc accuſatio infantiam reſipiat, ne quid grauius dicam; nam præter quod plures ex ijs vno aut altero ſæculo floruere ante diuum Raymundum Eccleſiæ faſtis relatum à Clemente VIII. quid mali eſt inter Canoniſtas repoſuiſſe? Quaſi ſanctum eſſe & Canoniſtam repugnet, nec tum poſſet religioſus Dominicanus donari titulo Domini; quamuis fuerit ſacræ Rotæ auditor, & Summi Pontificis Capellanus. Non longè abeſt hæc cenſura Aluæ à ſenſu illius ruralis Preſbyteri cui cum inter legendum Euangelium occurriſſent verba hoc charactere, *Quid vobis videtur de X.* paululum, hæſit, & tandem protulit, quid vobis videtur de decimo, ratus illâ litterâ X. numerum, non proprium nomen deſignari.

Eandem inſcitiam, ne aliud dicam, reſipit obiurgatus Bandellus, quod Catalogo Auctorum ab immaculatâ Conceptione diſſentientium, repoſuerit Clementem VI his verbis. *Idem tenet B. Clemens ſextus vir eruditiſſimus.* Quâ de causâ exclamat Alua, Beatum, quo titulo beatitudinis à nullo quod ſciat ſcriptore donatum: ſed ignorat Pater Alua titulum Beati, & Beatiſſimi communem eſſe Summis Pontificibus, & ad illorum dignitatem, non ad morum ſanctitatem pertinere. Exſcribendus eſſet totus Liber, ſi vellem omnes ineptias ſuperioribus ſimiles Lectori ſubiicere: Sed parcendum eſt etiam aduerſariis, & ſemotis nugis, ad rem propius accedamus.

Triumuiratus nobis infenſiſſimus Theophilus, Alua, Matraccius, conſilia vireſque iungunt, vt nos penè perditum eant: quaſi ſancti Doctoris falſarios 3. p. q. 27. articulum 2. nos adulteraſſe contendunt. Summa & vis argumentorum in hoc poſita eſt, ſanctificationem Deiparæ oportuit aliquo inſtanti, non quod anteceſſerit animam Corpori infuſam, vt omnes aſſentiunt: ergo ſanctificata eſt Deipara eodem quo anima corpori infuſa eſt, aut inſtanti coniunctionem animæ ſecuto: Hoc poſtremum volunt diſcipuli D. Thomæ, eius

menti consentaneum, & contextui totius quæstionis.

Sed hi tres à me nominati velut agmine facto in nos insurgunt, & criminantur subtracta ex Articulo verba hæc. *Sanctificatio Beatæ Virginis non potest intelligi ante animationem, sed in ipsa animatione, id est in coniunctione animæ cum corpore*: sub quâ, inquiunt, formulâ refertur hic locus à Ioanne Bromiardo Summâ prædicantium, verbo, Maria. Neque enim vllum exemplar D. Thomæ proferri potest, quod habeat illa verba quæ aliunde euertunt totum contextum articuli, & vim argumentorum D. Thomæ. Quare nullam fidem potest facere locus Bromiardi, vt potius D. Thomæ Articulum, quam locum Bromiardi vitiatum credamus. Et mirum sane est apud aduersarios plus valere vnum locum in alieno Authore citatum ex hoc Articulo, quàm omnia quæ extant exemplaria D. Thomæ, quæ nostram interpretationem confirmant, & nos vindicant à suspicione huius loci adulterati.

Nec verisimilior est altera accusatio Theoph. contra Cosmam Moreles, quem dicit, *textum apertissimum D. Thomæ in primum distinct. 4. quæst. vnica art. 3. ad 3. impudoratè adulterasse in editione Antuerpiensi.* Ad quid enim fuisset gratuitò falsarius; cum locus ille quem vocat apertissimum ad Conceptionem Immaculatam confirmandam, nihil prorsus ad rem faciat, Vt annotauit P. Nicolai responsione ad 3. huius articuli quæ ita habet? *Dicendum quod puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inueniri quo nihil purius sit in rebus creatis, si nulla contagione peccati sit inquinatum; & talis fuit puritas B. Virginis quæ à peccato Originali, & actuali immunis fuit: idque*, vt annotat nominatus à me Doctor, *vel per exemptionem præseruatiuam quoad peccatum actuale quod non commisit, vel per subsecutiuam liberationem quoad Originale, quod iuxta mentem D. Thomæ incurrit: nam hoc etiam sensu immunem Grammatici appellant qui ab obligatione præcedenti liberatus est, vt ipsemet D. Thomas ab Originali culpâ immunem vocat eum qui per Baptismum purgatus est, &c.* En apertissimum Theophili.

locum. Sed vellem docuisset nos, quibus verbis hunc locum corruperit Moreles, cum editio illius consentiat cæteris, nec appareat quibus verbis possit hæc corruptio adhærere.

Sed ad Aluam redeamus. Pessimè illum habet locus ex quodlibeto sexto quæst. 5. qui ita expresse habet *B. Virginem fuisse conceptam in peccato Originali.* Huius loci pondere pressus & odio negat Quotlibeta esse legitimum partum D. Thomæ. Sed huic responsioni diffisus, ait D. Thomam intelligendum de peccatis commissis in conceptione, & generatione carnali. Quis ad istam responsionem non obstupescat? Indica, mi Petre, quænam sint illa peccata? Neque enim alia fingere potes, quam quæ sanctissimi Parentes Deiparæ velis admisisse. Certè maximæ charitatis est hanc responsionem stultitiæ arguere, ne cogamur damnare impietatis. Non mirum est illum ita à veritate dissentire, cum nec secum possit conuenire.

Præfatione ad Nodos quibus Dominicanos omnes suscipit ineluctabiliter implicandos, omnes Prædicatorum Ordinis Authores ait abnegare omnem meræ creaturæ conceptionem à contagio peccati expertem; sed in *sole veritatis*, scribit, secùs omnes vno aut altero excepto sentire. Hoc postremo libro duo contendit, nempe textum diui Thomæ falsatum, deinde quæcumque testimonia Christi, Summorum Pontificum circunferuntur ad commendationem doctrinæ diui Thomæ esse commentitia, ne quidquam Conceptioni immaculatæ officiant. Hinc genuina agnoscit opera, inscripta sancto Doctori, inde inclamat supposititia & falsata.

Antequam partibus respondeam vellem hæc quatuor pugnantia conciliaret, aut conueniret secum, & exertè aperiret cui harum dissidentium opinionum assentiat. Putatne diui Thomæ, opera genuina; & commentitia, quibus commendantur testimonia? Vel hæc vera, illa adulterata? Censetne sancti Doctoris discipulos quoad Conceptionem immaculatam eius opinioni adhæsisse, aut intercessisse? Sed compendiosius erit, dicta eius refellere, quàm delectum partis aut responsionem expectare. Nihil opus hîc immorari: pluribus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [94] - 74
PUBLIC DOMAIN

demonstratum est libros diuo Thomæ inscriptos, genuinum esse illius partum: & testimonia Christi & Pontificum, atque Academiarum quibus probantur, vera esse, nec discipulos à magistro dissentire.

Commentaria in Magistrum sententiarum ad Annibaldum Cardinalem per summam iniuriam, contra omnium eruditorum suffragium, eripit sancto Doctor. futilibus coniecturis. Vix vllus liber extat nomine S. Doct. dignior tanto authore, & qui magis illius stilum resipiat; vt merito dicat Vuielmus scriptum iam prouectâ ætate, & quæ prioribus commentariis latiùs explicuerat, his posterioribus mirâ breuitate nullâ phrasis aut Solidæ doctrinæ mutatione contineri. Et immeritò Alua carpit Thomam Nerium quasi gratis inscripserit diuo Thomæ illud opus, suâ curâ Parisiis apud Michaëlem Sonium anno 1574. editum; nam præfatione ad illam editionem egregiè vindicat Sancto Doct. aureum opus; quod diu, inquit, quasi sub terrâ latuerat, prouidentiâ Pauli Papæ quarti in lucem erutum, veluti totius sacræ Theologiæ summarium quoddam. Sanè authoritas Summi Pontificis, stilus, eruditio, (quibus ad dignoscendos librorum Authores nullus est certior character,) dirimunt litem ab Alua de hoc opere motam vnius manuscripti fide, quod è situ & puluere Bibliothecæ Carmelitarum Parisiensium eruit, nullo annotato nomine Authoris, cui sit ascribendum. Et hæc, si superis placet, coniectura, plus valet apud Aluam, quam quælibet argumenta & Criteria certissima, quæ asserunt sancto Doctori. De catena aurea nihil supereſt libro primo dictis addendum.

Sane si quæ habemus antiquitatis monumenta, huiusmodi lenibus coniecturis reuocentur in dubium; quid nobis supererit certi ex Sanctorum Patrum lucubrationibus? Hæc Alua de libris S. Thomæ quos criminatur supposititios: sed de his vitilitigationibus plura diximus lib. 1. Plus habet temeritatis & periculi ad conuellendam rerum certissimarum fidem ex historia seculari, aut sacra receptam, si illas exigamus ad regulas, quibus Alua expendit testimonia doctrinæ Angelicæ, vt commentitia habeantur, nisi proferamus archetypas, & primares tabulas quibus inscribuntur; nisi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [95] - 75
PUBLIC DOMAIN

quæ de Sanctis credimus contineantur iisdem litteris Apostolicis, quibus diuorum Catalogo sunt ascripti.

Si hâc lege nobiscum agat, patiatur necesse est secum eodem iureagi: si verò ita sit, peribit pars maxima historiæ Ecclesiasticæ, & de Seraphicâ, ac Franciscanâ actum erit. Nam vt cum illo contendam eodem quo nobiscum iure agit, demonstrari mihi velim ex Authoribus, qui primi sanctorum Ludouici, Rochi, Iuonis, Elisabethæ viduæ historiam scripserunt, ad Franciscanum Ordinem pertinuisse. Certè aliquot legi huiusmodi Scriptorum, apud quos ne verbum quidem hâc de re comperi. Propterea ne Franciscanis saluâ conscientiâ, & æquitate tot Sanctos, tot ornamenta eripiam? Si nutet fides colloquii Christi cum D. Thoma, quod taceatur Bullâ canonisationis; incerta erunt & falsa stigmata sancti Francisci: quia de his silent litteræ quibus relatus est fastis Ecclesiæ.

Dices ea constare aliis testimoniis: ego etiam repono ea non deesse nobis ad hanc rem confirmandam. Nam si tumet putas valida desumi argumenta ad stabiliendam opinionem Conceptionis Immaculatæ, ex indulgentiis illius gratiâ collatis, ex responsoriis & lectionibus quæ Diui festo recitantur, & continentur officio authoritate Pontificiâ confirmato: dicam hæc omnia nobis præsidia suppetere. An ignoras à Pio V. collatam indulgentiam iis qui Neapoli ad sacellum & oratorium venerationis causâ accesserint, quo seruatur & colitur Imago Christi Crucifixi, è cuius ore huiusmodi verba, *Bene scripsisti de me Thoma*, prodiisse (vt Pontifex loquitur,) *pia testatur historia*, (non vt tu cauillaris & Pontificis verba interpolas vt eleues,) *vt piè testatur historia*, qui non solum syllabarum decipulas, sed etiam ipsos litterarum apices videris ad tuum commodum rapere, vt rerum certissimarum fidem tollas; & omnia concutere turbinum more, qui vt, inquit Seneca, rapta conuoluunt; sed ipsi ante euoluuntur, & primi sentiunt pestiferam illam vim, quâ plerisque nocuerunt: Nam si res tuas exigamus, vti æquitas postulat, iisdem legibus, quibus nostras expendis & in dubium reuocas, ac confictas niteris probare, tui Ordinis ipsemet fundamenta conuellis. Sed ad Theophilum redeamus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Secunda Calumnia de Inquiſitorum iniquis Iudiciis depellitur.

CVm triplex veritatis genus diſtinxerimus, quo Dominicanam familiam pollere demonſtratum eſt: primùm veritate verborum quæ menti, ſeu mentis quæ rei conueniat; ſecundo Iudiciorum quibus ex lege iuſtâ decernantur; terrio denique vitæ ad ſanctitatis regulam compoſitæ: totâ noſtrâ apologiâ pluribus probatum eſt, Dominicanam familiam, Ordinem eſſe huius triplicis veritatis doctrinæ ſcilicet Cathlicæ, lectionibus in ſcholis, concionibus in pulpitis, aut libris traditæ, iudiciorum æquitatis in adminiſtrandis rebus quæ ad Inquiſitionem pertinent, & morum ſanctimoniæ etiam miraculis confirmatæ.

Totidem calumniarum genera parauit Theophilus quibus has dotes impeteret. Primam mendacij, quod verborum & mentis veritatem corrumpit ſuperiori articulo depulimus: nunc refellenda eſt altera contra Iudicum æquitatem ſanctè ſeruatam apud tribunal inquiſitionis. In noſtros quæſitores fidei non eſt quod admodum timeamus Inquiſitionem Raynaudi; quia multa ſuppetunt argumẽta quibus nos à turpiſſimâ labe corrupti huius officij purgemus: pauca habent aduerſarij quæ nobis aliquâ ſpecie veri obiiciant; nam Calumniam atrociſſimam & iuxtà falſiſſimam de hæreſi Lutheranâ, & Geuſiorum in Belgio tumultuantium motibus, per ſummam iniuriam nobis à Theophilo imputatis, breui & validè profligauimus; & plura fortè addemus.

Ex infinitis quæſitoribus quos religio Eccleſiæ dedit, duos ſeligit totâ Eccleſiâ celeberrimos, & innocentiſſimos in quos ſæuiat Raynaudus, Eliam Maſſinum, & Nicolaum Eymericum, quorum vtrumque tribunalia Inquiſitorum delegerunt ſibi in ſuos Iuſtinianos, & Cuiacios: & librum primi, titulo *Arſenale ſacro*; alterius directorium habent, quaſi ſuos Codices & regulas: & cum ſint venerationi omnibus qui in hoc foro verſan-

tur; non dubitauit tamen Theophilus *affinitatem* priori improperare, quam sub eius, ait, nomine latere: atque vbi hunc conuitiis de triuio lacessiuit, Eymericum serò tanquam reum peragit falsi, & læsæ Maiestatis Pontificiæ, quod, inquit, duo Pontificum confinxerit diplomata: vnum contra Raymundum Lullum nomine Gregorij XI. quod Vasquez, quod Dermitius Thadæi, & Vuaddingus acritèr impugnant: alterum nomine Clementis quinti, quo de Christi sanguine controuersiam definit in gratiam Prædicatorum contra Minores. Huic decreto Vuaddingus opponit aliud Pij secundi, biduo datum ante postremum vitæ diem, quo testatur, nihil ab vllo decessorum eâ de re fuisse definitum.

Hæc summa est accusationum in Dominicanos quæsitores, aut potius, laus & Commendatio: cùm nihil Raynaudo ex quator seculorum historiâ, & toto eo tempore administrato munere occurrerit quod carperet; præter has Bullas, quas gratis calumniatur ab Eymerico confictas. Sanè cùm omnes Dominicanos auersetur, odio tamen maximè flagrat in Inquisitores & secretarios Indicis. Sed quid mirum si reus iudicem oderit? Scripsit multa Censuræ obnoxia; plura habebat recondita nihilo meliora damnatis, quæ dolore parturientis continebat: licentia scripturiendi quidquid in mentem veniebat, nec pœnæ patiens erat nec fræni, vnde vt illud onus & iugum intolerabile excuteret; nullum calumniarum genus omisit; imputato vt supra vidimus, Dominicanæ Inquisitioni Hollandorum in Ecclesiam Romanam odio, quod ex metu Hispanæ natum omnes sciunt. Hæreticos penè omnes & libertinos absoluit, vt reos faciat Inquisitores; quasi illis liuore, non zelo religionis lites mouerint.

Sed quamvis contra Petri calumnias vbique suppetant luculentissima testimonia, quibus illorum integritas illucescat; nulla tamen extant certiora aut copiosiora; quàm quibus in tractandis, quæ ad inquisitionem pertinent, rebus, quasi hæreditaria prudentia, & æquitas comprobatur. Nam officij huius ritè administrandi gratia primùm sanctissimo nostro Patriarchæ collata est; & ab illo, quasi à capite in filios perpetuo iure, ac diffluuio deriuauit; vt sicut quibusdam familiis singulari

Dei beneficio inserta, & innata est vis quædam humanâ maior morsus canum curandi, ita in hæreticos inquirendi, & eorum comprimendi furorem, quæ vix alibi occurrat, & quam frustrà allatrat Raynaudus.

Et hanc etiam nobis laudem non negat Sebastianus Salelles Societatis Iesu Tom. 1. de materiis tribunalium S. Inquisitionis, prolog. 3. num. 9. vbi sic ait; *vita functus S. Dominicus cum miraculis innumeris clarus, & in Sanctorum numerum meritò relatus, hanc quasi hæreditatem filiis suis religiosis sui Ordinis reliquit; fungendi scilicet in quibuscumque mundi partibus S. Inquisitorum munere; potestate etiam, & iurisdictione per breuia Pontificia similiter ipsis delegatâ; vti reuera exactissimè & glorioßissimè semper functi sunt, & vsque in hanc diem in multis Italiæ locis funguntur: nec vnquam laboribus aut vigiliis, imò nec effusioni sanguinis, & propria vita pro fide & religione tuendâ, ac pro officio sanctissima inquisitionis exequendo pepercerunt.* Hæc Salelles quæ validè refellunt calumnias Theophili, quibus non solum se iniqui iudicij, sed etiam ingrati animi comprobauit.

Debuerat sane omnes Inquisitores diligere, in gratiam Matthæi Orij Dominicani Inquisitoris forsan vltimi Parisiensis, cui se totam Societas debet, seruato suo Authore à furore auditorum Parisiensium. Parricidij genus est eos extinctos velle, à quibus vitam & salutem hauseris.

Hæc de Inquisitoribus generatim: ad duo quæ obijciuntur capita Eymerico facilis responsio est, nec opus est pluribus apertas calumnias refellere, Theophilus ait confinxisse Bullam Clementis V. nomine, quâ in gratiam Dominicanorum dirimitur controuersia de Christi sanguine aduersus Franciscanos, cui Vuaddingus oponit alteram Pij II. quâ testatur Pontifex nihil ab vllo suorum decessorum fuisse hâc de re sancitum. *Sed bona verba*: quo teste, quibus probat Theophilus tabulis Eimerycum hanc Bullam cudisse? Quo loco id piaculum admisit? Lego, relego directorium Eymerici, nomen Clementis V. & Bulla illo Authore data de controuersia Dominicanorum cum Franciscanis nulla prorsus occurrit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [99] - 79
PUBLIC DOMAIN

Refertur quidem secundâ parte directorij Clementis VI. nomine, Nicolao Rosello ordinis Prædicatorum per Aragoniæ Regnum Inquisitori, cui muneri successit Eymericus, litteris Apostolicis iniunctum negotium, & ius temporariæ cognitionis; seu vt vocant, commissionem inquirendi in quemdam concionatorem, qui populum docuerat inter prædicandum, sanguinem Christi fusum die Parasceues fuisse à Diuinitate seiunctum; cuius assertionis velut temerariæ & erroneæ, Pontifex indicebat palinodiam & retractationem.

Sed grauissimè peccat Theophilus, & objectâ hâc falsatione triplicis hallucinationis conuincitur. Tanto enim in Dominicanos præceps impetu agitur, vt nullam, nec rerum, nec temporum, aut Litterarum pontificiarum, quamuis immane, distent, rationem habeat, aut discrimen agnoscat. Hâc accusatione Eymerici peccat primùm Anacronysmo, seu falsâ supputatione temporum: diploma Clementis VI. ad Rosellum ex Spondano editum fuit anno 1352. Clemens vero V. anno 1314. idest totis quadraginta octo annis ante diploma scriptum obierat: peccat deinde non minus pudendâ nominum quam temporum hallucinatione: nam Clementem V. sexto sufficit, Nicolaum Eymericum reponit loco Nicolai Rossely. Dicerem deceptum cognatione nominum & officiorum Clementis, & Nicolai; nisi aperta fraus subesset, quâ hæc permiscuit; vt fucum faceret lectori, & calumniæ aliquam verisimilitudinem ascisceret.

Grauior est tertia hallucinatio; mandatum Pontificis singulare, quod dici solet commissio, seu delegata Iurisdictio ad certum tempus, putat habuisse vim Bullæ, & pondus definitionis ex cathedrâ: cum hæc duo toto cœlo distent. Litteræ Clementis VI. vt iam monuimus, vim mandati singularis, non bullæ ad totam Ecclesiam directæ rationem habebant; & licet delegata illa iurisdictio litteris Apostolicis data fuerit Rosello; potuit tamen Pius II. asserere à nullo decessorum definitam controuersiam, nempe constitutione Apostolicâ; licet à Clemente VI. mandato singulari rei veritas fuisset significata: vnde Vasquez 2. parte disp. 76. cap. 4. depromit argumentum ex Clementis VI. diplomate, quo ait confirmatum

confirmatam Dominicanorum ſententiam contra Franciſcanos. Certe qui in Eymericum quaſi in falſarium & inquiſitionis, cui authoritate Pontificiâ præerat, corruptorem, lapidem iaciebat, à vitiis quæ in eo caſtiganda ſuſcipiebat, immunem fuiſſe decebat.

Nec verior eſt aut ſincerior accuſatio altera quâ grauat eumdem Eymericum, alteram confinxiſſe bullam nomine Gregorij XI. quâ errores Lulli damnantur. Confictæ bullæ præcipuum argumentum eſt eam deſiderari in Regiſtro Gregoriano.

Sed leuior eſt hæc accuſatio, quam vt falſarii crimen impingat viro grauiſſimo, & de totâ Eccleſiâ bene merito: Nam ad illam potius coniecturam, quam probationem reſponſio aperta, & multiplex eſt. Vnâ tamen contentus ſum; illam aduerſus Lullium Conſtitutionem à Gregorio XI. datam anno eius Pontificatus ſexto, cuius Regiſtrum periit, neſcio an caſu, an dolo Lulliſtarum; vel quod veriſimilius eſt, mutatione Sedis Apoſtolicæ, tunc Auenione Romam tranſlatæ; quamuis Regiſtrum illius anni extaret, & diploma deeſſet, non inde conſequitur ab Eymerico confictum; nam præter quod plures ab authoribus Bullæ citantur authenticæ, quarum apud aliquos aphtographum habetur, quæ tamen è regiſtris, neſcio quo caſu, exciderint: quis adeo hiſtoriæ huius temporis ignarus eſt, quin neſciat, Raymundum Lullium apud Gregorium XI. ſæpius hæreſis accuſatum, & vno diplomate dato anno 1372. præcepiſſe Eymerico in Raymundi errores inquirere, & eius libros igni addicere, ſi qui in illis errores deprehenderentur? Idem fere præcipit altero decreto, Franciſco Vitali duobus annis poſt ſuperius dato.

Mirum eſt adeo acriter à Theophilo ſuſceptam Lulli defenſionem, quem non modo Eymericus; ſed etiam ſuorum plurimi damnant; de quo Iacobus Gualterius Ieſuita in Tabulâ Chronologicâ pag. 354. vbi ad annum 1260. ſic ait. *Prodiit in medium hic hiſtrio Raymundus Lullius, multos ſpargens libellos, quorum aliqui magiâ permixti, & pluſquam quingentis erroribus contaminati reperti ſunt.* Ita Gualterius de Lullio. Quibus non obſtat, quæ opponit Sebaſtianus Salelles tomo 2.

de materiis tribun. S. Inquisit. lib. 3. regula 276. vbi contendit Raymundum Lullium nihil scripsisse, nec edidisse libros, nisi post annum 1260. quo inquit, ad Deum fuit conuersus: quod Salelles non probat, nisi leuibus, & remotis quibusdam coniecturis.

Libellus autem supplex nomine F. Ioannis de Rieta Franciscani editus, cuius meminit Salelles, falsi omnino suspectus est, cum ab illis prodierit, qui suo instituto Lullum vindicabant, ac etiam Eymericum ea de causâ odio habuerint: quare præfatione huius libelli falsò & temerè Eymericus incusatur quasi propositionum hæreticarum assertor, atque hoc nomine ad tribunal inquisitoris Auenionensis delatus est, fraude æmulorum, nullo suo vitio.

Nam, vt inquit doctissimus Franciscus Pegna in Eymerici vitâ breuiter collectâ, & Directorio præfixâ: *Multos habuit Eymericus, dum viueret, aduersarios: sed non est mirandum, cum ea fere sit eruditorum conditio, aut potius infœlicitas. Habet quaque virtus sua aduersa, & obstantia vitia; & quo altiores sunt turres, maioribus ventorum flatibus concutiuntur*, &c. Ex quibus liquet, immeritò à Bernardo illo Episcopo Castelli Commissario, relato à Vasquez, damnatum fuisse Eymericum, quasi Bullam illam confinxerit, nullo alio argumento quam futili coniecturâ, defuisse registro bullam iam confutatâ.

Certe si conficta esset, non fuisset passus Gregorius XIII. nouissimè edi Bullam illam in Directorio Eymerici, quod vt ipsemet Pontifex Gregorius Bullâ Directorio præfixâ dicit, *à F. Paulo Constabili sacri Palatij Magistro diligenter examinatum, recognitum, & approbatum; ac etiam annotationibus Francisci Pegna Iuris vtriusque Doctoris illustratum fuit.* Et ipsemet Pegna in Epistolâ nuncupatoriâ dicit, *se omnem diligentiam studium, sollicitudinem, & laborem adhibuisse in illustrando, & perficiendo egregio Directorij inquisitorum opere.*

Sed audiamus insignem nostri temporis Scriptorem ab omni studio partium alienum, & veritatis tantum amantem; Odericum dico Raynaldum in suis Ecclesiasticis Annalibus tomo sexto decimo, ad

annum 1372. num. 35. vbi post relatos Lulli errores, eorumque damnationem diplomate Pontificis Gregorii XI. ab Eymerico allato addit. *Sed hac Lulliſtæ conficta ab Eymerico, vel ſubreptitium eſſe diploma contendunt. At virum grauem egregiè de Religione Catholicâ meritum, nullius vtilitatis illecebrâ pellectum, id facinus perfricta fronte auſum vix credi poteſt, cum facillimè coargui mendacij potuiſſet.*

Verum eſt quæ Lullio ab hiſtoricis attribuuntur, non eſſe opera ipſius Lulli genuina; ſed tamen vt plurimum erraſſe, non poteſt dubitari ex his, quæ afferunt Odericus, & Pegna, qui etiam refert, eorum recognitionem Cardinali Oſtienſi à Summo Pontifice mandatam fuiſſe.

Liquet enim ex ſuperioribus, res difficiles, quouſque ad amuſſim diſcutiantur, non clareſcere: exiſtimo autem ex hâc noſtrâ diſcuſſione patere Eymerici innocentiam, ab omni culpâ, & fictione immunem euinci. Sed viderint Vaſquez, Vvaddingus, Dermitius Thadæus, ac Theophilus, quantum decepti, aut affectu excæcati ſint; dum Eymerico Clariſſimo viro huiuſmodi crimen imponunt. Dermirium quandoque caſtigat Odericus ſuis Annalibus: ſed ſi tempus ſuppeteret, acriùs caſtigandus eſſet de pluribus aliis, quæ vel ex æmulatione, vel ex ignorantiâ Dominicanis affingit: & ſi eius oratio ſedulò diſcutiatur, conſtabit tandem, eam non ex bono animo proficiſci. Vnde hæc, quæ retulimus in gratiam Eymerici validiora ſunt ſine dubio iis, quæ contra Vuaddingus, ac Dermitius ſcripſerunt pro Lullio, quem Franciſcanum volunt; cum tamen nec ab Oderico, nec à Pegna, nec ab Eymerico, nec à Summis Pontificibus Franciſcanus aſſeratur: ſed ſi illius inſtituti fuerit, de quo nolim contendere, confirmatur opinio de illo concepta, quod totâ Europâ erro, & vagus, & apud Dominicanos frequentiùs hoſpitaretur, quam apud ſuos, etiam Piſis & in aliis ciuitatibus, quibus Franciſcanorum Conuentus non deeſſent.

ARTICVLVS QVARTVS.

Profligatur vltima omnium impostura de miraculis & Reuelationibus confictis.

PAVCA habuit Theophilus quæ contra iudiciorum veritatem seu aduersus quæsitores Dominicanos obiiceret ; plura congessit ad confirmandam tertiam impostaram omnium simul falsissimam , & atrocissimam , de miraculis & reuelationibus suppositiis. Hæc si vera esset accusatio , damnandi forent Dominicani omnes velut ipsis hæreticis deteriores. Sed quo iniquior est calumnia , eò modestiùs apud me statuo refellere.

Itaque (mi Theoph.) te conuenio, cur Dominicanos facis artifices falsorum miraculorum ? Huius criminis magis suspecti sunt illi , quibus vera , & comperta desunt. At quibus maior illius generis miraculorum copia exuberat , quàm Dominicanis ? Nisi velis nos confingere quæcumque Suriani ad Imaginem sancti Dominici, totâ Italiâ spectante , vel ad illius imaginis exemplaria vbique terrarum fiunt. An putas nos decipere tot populos , tot Principes , qui sacello sanctissimi Dominici sua donaria votorum rei appendunt ? An nos fingimus miracula , quæ Diui Hyacinthi precibus per totam Europam , maxime in Galliâ , & Poloniâ ita frequentia sunt ; vt Hyacinthus sit nomen Alexicaci , & omnium malorum depulsoris ?

Quid dicam curatas febres hausta pulueris perennis è sepulchro Diui Raymundi , qui per totum orbem defertur in huiusmodi remedium ? Quid beneficio S. Petri Martyris in aquâ , aut ramis eius nomine benedictis à malis liberatos homines , à grandine seruatas segetes? Quid ope S. Telmi nauigantium Sideris , & Patroni sedatas tempestates ? Quid Cereis Agnis à Pio V. benedictis mira patrata vbique terrarum , adeo vt ab omnibus, & Principibus quoque , & à Regibus illi Agni diligentissimè perquirantur , ac optentur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [104] - 84
PUBLIC DOMAIN

Audebis, Theophile, hæc perpetua miracula conficta asserere, illaque dicere, vel Dominicanorum insomnia, vel plebeculæ figmenta? Non dubito quin hæc omnia reponas inter anomala pietatis: si detur edere opus, cuius gustum præbuisti tuo de Communione pro mortuis opusculo, quod iam discussimus. Verùm causam nostram agent liberati à naufragio nautæ auxilio sancti Telmi, qui periclitantibus interdum præsto est aspectabilis; Agricolæ in te insurgent, qui testabuntur, seruatos agros ramis Petri munitos, aliis proximis grandine vastatis. Tot homines, inter quos etiam Magnates, & Principes votorum rei beneficio Hyacinthi, & Dominici vbique prædicabunt te impium sycophantam esse, si beneficia à Diuis nostris sibi collata, dicas figmenta esse Dominicanorum.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Vindiciæ Ioannis Vincentini & Hieronymi Sauonarolæ.

HActenus Theoph. multos Dominicanos vniuersim & in commune lacessiuisti, quasi falsarios impostores qui ad sua commoda, vel captandæ auræ popularis causâ confinxerint miracula, & reuelationes. Sed duos nominatim acerbissimè exagitas quibus vindicias debemus.

De Fratre Ioanne Vincentino, quem tu Vincentium cum Fulgosio appellas; dicis ab ipso per confictas reuelationes plebeculam dementatam in ciuitatis Bononiensis principatum se insinuasse; & septem annis, Ciues pro libito ex vrbe pepulisse, vel in eâ retinuisse. Hæc de Fratre Ioanne Vincentino refers Theophile. Sed cum enormissimè pecces & his notis clarissimum, & sanctissimum virum petas; seueriùs hic à me castigandus esses. Et quidem non opponam tuæ falsissimæ relationi, quæ de viro Dei Ioanne Vincentino asserit F. Michael Pius in Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum & quæ refert Bzouius & alij ex nostris: nam quia sunt testes domestici, illos quamuis veridicos, respueres

Sed afferam tibi Authorem extraneum, celebrem, & adhuc Romæ viuentem. Is est Odericus Raynaldus Scriptor Annalium Ecclesiasticorum, Tomo tertio decimo ad annum 1233. pag. 445. num. 35. vbi ait quòd Gregorius Nonus Summus Pontifex ad conciliandos Florentinos cum Senensibus, qui odiis crudelibus efferati mutuis cladibus se arcerebant, *ad Ioannem Vincentinum à Praedicatorum familia spectata sanctitatis virum miraculisque editis conspicuum scriptis literis, legationis Prouinciam suscipere, animarumque saluti incumbere rogauit*; deinde affert literas Pontificis ad Ioannem scriptas IV. Cal. Maij Pont. anno 7. in quibus Pontifex Ioanni sic scribit; *Iam ad opera pietatis non es iussione trahendus, qui, vt audiuimus, & lætamur, libertate spiritus Domini donatus fueris & per vnctionem eius de omnibus edoceris: Clamat sanè Florentinorum, & Senensium innumerabilis imo captiuorum miserabilis gemitus, &c.* Et post multa subdit. *Placeret nobis si Dominus tibi inspiraret, vt assumptâ legatione pro Christo, non tibi in salutem corporum, sed in vtràque ciuitate lucrum quæreres animarum: pracipere tibi nolumus, qui spiritu Dei duceris cui nos obedire tenemur; sed oramus vt tibi ab illo, in quo per ministerium tuum languentium multitudo respirat, potius inspiretur hanc vtriusque ciuitatis Vniuersitati, quæ iam periisse videtur facere gratiam, ne irreparabilem nobiscum pariter compellaris flere iacturam:* Manebat autem tunc vir Dei Ioannes Vincentinus Bononiæ; & *ne tam pio operi* (subdit Odericus) *Bononienses obsisterent, monuit eos Summus Pontifex, vt si Spiritus sanctus pium Virum ad eas componendas Ciuitates mouisset, liberè exire permitterent &c. Gratulatus verò est Ioanni Pontifex ob res, quas Deus eius beneficio ad Ecclesia amplificandam gloriam explicaret &c. Præterea eos, qui sacris eius concionibus interfuissent, viginti dierum peccatorum indulgentiam consequerentur, statuit. Verum interea collata diuinitus beneficia, quibus ingentem apud populos sanctitatis famam compararat, arcano consilio permisit Numen exercenda ipsius, probandæque virtutis gratiâ, aliquos maleuolentiâ in eum suffusos, famam ipsius iactis contumelijs lacerare; quibus à Pontifice*

acceptis, ad ferendas pro Christo animo constanti iniurias hortatus est: nec enim ijs se appeti innocentem mirari debere, cùm ipse Dominus maioribus ab inuidis excèptus esset.

Literæ autem Summi Pontificis ad Ioannem sic incipiunt. *Nihil magis metuimus, quam si erubescere te gloriosum Crucis opprobrium sentiremus: non est super Magistrum discipulus, nec super Dominum seruus. Si patremfamilias vocauerunt Beelzebub, quid de Domesticis eius dicturi sunt, & facturi? &c.* Postmodùm autem subdit Pontifex? *Tu verò, dilecte fili omne gaudium existimato, si in tentationes aliquas incidisti; cum oporteat nos diuersa tribulationum genera aquo animo perpeti; per quæ nobis cælestis Ianua promittitur aperiri; credas denique, quod & ad tuam hac probationem dispensatio diuina sustinuit, & improperium eius vltio festinabit.* Addit autem Pontifex, se Vincentino Episcopo prouinciam demandasse, vt in flagitij authores animaduerteret, &c. & fuit Ioannes Vincentinus sui temporis Apostolus, vir potens in opere, & sermone, & ab omnibus historicis summis laudibus celebratus; plurimis miraculis claruit, & inter alios septem mortuos suscitauit. Tægius vero in suâ sextâ parte monumentorum affirmat mortuos suscitatos fuisse decem, & idem affirmat Surius.

Pudet me profectò adeo rerum nostrarum deprehendi diatribis Theophili incuriosum, & ignarum, vt virum talem, & tantum Apostolicis temporibus dignum, prius ex satyris Theophili, quam ex nostris Annalibus etiam nomine tenùs agnouerim; nescio quos incusem huius negligentiæ, an me qui in tot sanctitatis miracula non inquisierim; an Patres nostros qui ita ieiunè attigerunt ista; vt videantur prætermisisse. Debeo tibi multum, Theophile, quod tuis in virum sanctum conuitiis me illius nomen docueris. Sanè si vobis Ioannes Vincentinus contigisset, iamdiu Diuorum fastis esset inscriptus, & omnium gentium linguis celebraretur: sed nos ita comparati sumus; vt Diuorum nostrorum virtutes finamus delitescere, ac penè in tenebris iacere. Si quod nos vrgeat argumentum, qualia sunt ex tuis satyris, vt ad defensionem potius quàm ad commenda-

tionem de noſtris inquiramus; conſulendi ſunt nobis extranei, à quibus de rebus Domeſticis doceamur.

Aliquid de Ioanne Vincentino ex noſtris delibauit Cantipratanus; ſed longe plura & locupletiora excerpſimus ex Gregorij noni Epiſtolis quinque, ex Marſano in hiſtoria Vincentiæ, ex Sigonio in deſcriptione Italiæ. Hi omnes vno conſenſu prædicãt, qualis & quantus eſſet Ioannes, & quàm longè abeſſet ab omni ſuſpicione, non dicam falſarij; ſed ne vel leuiſſimæ culpæ. Verum maluiſti vni, aut alteri cuidam neſcio Guidoni Bonato, & Petro Abano impiis hominibus, quàm tot illuſtribus Scriptoribus, & Summis Pontificibus fidem habere; adeo pronis auribus calumnias in viros ſanctos maximè Dominicanos excipis; adeo repugnante ſtomacho, & animo illorum probas ſanctitatem & virtutem; vt ſi quis Iudas calumnietur quamlibet viri ſapientia, & ſanctitas reclament, plus apud illum valeat vox vnius ex angulo ſuſurronis ad vituperium, quàm totius Eccleſiæ & Conciliorum Sanctitatem conteſtantium aſſenſus: quare nihil dubitauit quem Summi Pontifices venerati ſunt, ludibrio habere; eò inexcuſabilior Guidone, & Petro, quod iſti Ioannem dum mortalem vitam ageret laceſſiuerint; ille verò Cœlo receptum, & Deo fruentem falſariis, & impoſtoribus annumeret.

Si à Ioanne Vincentino adeo compertæ Sanctitatis Viro carpendo non potuit abſtinere; nihil mirum Sauanarolæ viro quidem alteri, animi dotibus nihilo minori; ſed calumniæ magis opportuno non peperciſſe. Sed dum innocentiſſimo Hieronymo poſthumum parat ſupplicium, & rogum extruit eò acerbiorem, quo viuus abſumptus eſt; Non videt vindictam Capiti ſuo impendentem, qualem ſenſerunt aduerſariorum 80. qui in illum coniurauerant, eoſque omnes mors immatura, & infœliciſſima abſtulit, non diſſimili pœnæ exemplo Iudæorum, qui in ſe ſuoſque liberos Chriſti ſanguinis damnationem non detrectarunt, dummodò in Crucem iudicis ſententiâ ageretur. Atquæ hoc eſt prius & luculentiſſimum Innocentiæ Hieronymi argumentum, quod te Theoph. ab illâ laceſſendâ, ſin poteras metu culpæ, debebat ſaltem metu pœnæ deterrere.

Sed non deſunt alia argumenta, & teſtimonia quibus

accusationes Theophili refellamus. Habemus quos Delrio, Petauio, & alij his nominatis gradu superiori, cuius nomini parco: Ille apud Pontificem, & Cardinales omnium Sauanarollæ Librorum censuram vrgebat: his quatuor, pari numero ingenio, & fide ac sanctitate Philippos duos Comminæum historicum, & D. Philippum Nerium, duos item Franciscos, Picum Mirandulanum, & D. Franciscum à Paula opponamus; qui omnes vno consensu Sauanarolam à falsarij horrendâ calumniâ non solum vindicant; sed illi summam Sanctitatis asserunt opinionem.

Quis sapientum huius sæculi cum Comineo, cum Pico rerum fide aut integritate contendat, maximè si isti comperta, & à se visa narrent, alij autem audita tantum? Quis verò nesciat, Philippum Comineum suâ historiâ, (dignâ, vt loquitur Lypsius, quæ ab omnibus Alexandris legatur quam sibi veluti in Breuiarium Imperatorium assumsperat Carolus V. Cæsar:) sanctè iurare, sibi à Sauanarola prædicta, quorum solus Deus conscius esse poterat? Quid de illo Picus? Ab eo non sunt testimonia, sed elogia sanctitatis Sauanarolæ expectanda, quæ anteponas iudicio aliorum, maximè Delrij, qui ita rebus magicis credulus fuit; vt sicut de aliis, qui huiusmodi credulitate afficiebantur, expertus sum; si quid extra communem conditionem videant, subesse magiam credunt, & hoc nomine forte suspectum habuit Sauonarolam.

Scripsit Hieronymi Sauonarolæ vitam nobilissimus Princeps Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus; quæ incipit; *Vitam Hieronymi Sauonarolæ viri ætate nostrâ longe præstantissimi decreueram; iam inde vt terris mutauit cœlum, litterarum mandare monumentis &c.* Lege illam, Theophile, & agnosces, quis & quantus fuerit Hieronymus Sauonarola. Sed & Franciscus Guicciardinus historicus, quamuis Criticus, interdum morosior, non audet siniſtrum de Sauanarola proferre iudicium; sed diuersas opiniones profert, & nil certi affirmat; magis tamen in Sauonarolæ innocentiam propensus: additque ex processu ab omnibus calumniis vindicatum, id dumtaxat, probatum, illum aliqua prædixisse ex sacra Scriptura, sicuti concionatores

ſolent, vt homines à peccatis arceant. Vindicat etiam idem Author à calumniâ, quâ improbe, aut maligne quidam illum grauant; vi tormentorum confirmaſſe crimina ſibi ab æmulis obiecta. Si præter hominum è ſæculo ſapientum requiras etiam Diuorum ſuffragia; non deſunt luculentiſſima à D. Franciſco de Paula, & D. Philippo Nerio: illi quidem arcta cum Hieronymo interceſſit amicitia, & quòd acutè dixit nonnullus Prophetas eſſe Scripturæ hiſtoricos, qui perinde futura ac noſtri hiſtorici præterita narrent; eo ſenſu Sauonarolæ hiſtoricum appellare liceat D. Franciſcum à Paula; qui Epiſtolam ad amicum quaſi Prophetâ exarauit, qua late proſequitur quæcumque Dei beneficio, aut inimicorum odio per totam vitam ad mortem vſque Sauonarolæ contigerunt.

D. verò Philippus ex familiâ Florentinâ Hieronymo (vt creditur addictâ) quales etiamnum ſicut ex eâdem ciuitate plurimæ, ardenti in Sauanarolam affectu propendebat; & cum audiſſet alterum ab æmulis eidem ſuis in libris ſuperſtiti parari ſupplicium, eodem die matutinis horis quibus de huiuſmodi Librorum cenſura agebatur, Author fuit noſtris Patribus Mineruæ, quorum dum vixit penè Priorem egit, vt preces horarias ad Sanctiſſimum Sacramentum inſtituerent, & eodem momento quo in gratiam Sauanarolæ pronuntiatum eſt à Summo Pontifice, B. Philippus ardore Spiritus abreptus exclamauit; iam actum eſt, vicimus Patres mei, Deus tandem exoratus inſontem Hieronymum alterâ ſententiâ priore multo æquiore abſoluit. Et tu illum, Theophile, falſariis & impoſtoribus accenſes, quem ſapientes, quem incorrupti ac ſanctiſſimi viri ab omni culpâ exemptum, vt Martyrem & vt ſanctum coluerunt.

Non ſinit hic locus me ſilentio præterire ſingulariſſimum argumentum, à defenſione noſtri Hieronymi non alienum, quo Dominicani inuictam, & inconcuſſam fidem comprobarunt in ſedem Apoſtolicam. Conciliabulum Piſanum à nonnullis Cardinalibus, & Epiſcopis, Iulio II. infenſiſſimis, nullos expertum eſſe ſibi magis aduerſos, & Summo Pontifici fidos noſtris Patribus Piſanis: Nihil ab illo intentatum fuit, quoad

ſuas partes deduceret: ſed putauit ſe illorum conſtantiam deiecturum hâc pollicitatione; ſi pro ſe ſtarint aduerſus Iulium 2. ſanctè iurabat ſe Dominicanorum Ordinem duplici beneficio immortali donaturum, nempe de Virginis Conceptione ſancti Doctoris opinionem in fidei articulum ſingulari definitione ſanciturum, & Hieronymum Sauonarolam, cuius recens erat memoria, ſe in Diuos relaturum. Sed fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. His ingentibus promiſſis tentari potuit, non vinci fides in ſedem Apoſtolicam Dominicanis vitâ charior & omni præmio maior.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Octo eiuſdem generis Calumniæ refelluntur.

CAlumniam ſimulatæ ſanctitatis, & confictorum miraculorum in duos nominatim Dominicanos intentatam, octo argumentis in totum Ordinem, aut in plures ex illo ſpargit Theophilus, quæ hoc paragrapho valide refellam.

Patres noſtros euulgaſſe ait de Conceptionis Deiparæ arcano, ſecùs Diuæ Catharinæ Senenſi, quam ſibi ſancta Brigitta ſcribit diuinitus reuelatum; nempe vt vnius viduæ luctuoſo tempore ſchiſmatis quo ſcindebatur Eccleſia, illius faſtis adſcriptæ, teſtimonium Virginis indubitatæ magis ſanctimoniæ ſuffragio eleuetur. In quem verò Dominicanorum id commentum & ſacrilegium recidet? Nempe in Diuum Antoninum. Vt cum fabuloſæ ex Theophilo huius reuelationis Authot ſit primus, è diuorum Catalogo eximi oporteat impoſtoribus accenſendum.

Sed ipſemet contra hanc atrocem calumniam dum refert hiſtoriam, huiuſmodi vindicias ſibi ſcribit, 1. p. Summæ tit. 8. cap. 2. *Si dicis*, inquit, *aliquos ſanctos habuiſſe reuelationem de huiuſmodi, vt ſancta Brigitta; ſciendum quòd alia ſancta qua claruerunt miraculis, vt beata Catharina de Senis, habuerunt reuelationem de contrario: & cum etiam veri Prophetæ aliquando putent ſe ex reuelatione Spiritus ſancti aliqua habere, qua ex ſe*

dicunt; non est inconueniens dicere, quod tales reuelationes nonfuerunt à Deo, sed somnia humana. Exemplum in Nathan Propheta loquente ad Dauid 2 Reg. qui credebat sibi spiritu Prophetiæ respondisse Dauid & tamen non sic erat, vt postea patuit. Ita Diuus Antoninus: vnde concludit standum determinationi Ecclesiæ vbi de hoc pronuntiauerit.

His Diui verbis refellitur nonnullorum responsio D. Antoninum hanc reuelationē hausisse ex Ioanne à Neapoli celebri Theologo Dominicano: sed huius Scriptoris non meminit Diuus Antoninus, & veriùs refert ex ipsiusmet Diuæ scriptis; nam aliqua suarum orationum de sanctificatione Virginis agit ad Sanctorum Bernardi & Thomæ mentem, quod piè credidit Antoninus illi reuelatum.

At contra obiicit Maraccius, has orationes Diuæ Catharinæ insertis erroribus perspersas, quod non alio probat argumento, quam ex suâ præiudicatâ opinione: nec tanti est vt Diuo Antonino præponderet. Cæterum Dominicanos omnes vindicat à Calumniâ Theophili ipsa Catharinæ oratio: ad quid enim gratuito fuissent mali & sacrilegi, & infirmandæ reuelationi sanctæ Brigittæ falsam confinxissent? Quasi certam fidem exigant, quæ huiusmodi libris reuelationum continentur, qualia extant apud eamdem D. Brigittam & Maltildem, quæ Larrea 2. p. suarum decisionum obseruat nedum dubia, sed etiam falsa, Samsonis salutem incertam, quam Apostolus Heb. 11. compertam testatur, & Traiani animam precibus sancti Gregorii pœnis æternis exemptam, quod vix vlli Catholicorum credunt probabile, & quasi fabulam refutant Cano & Soto.

Addunt que Damasceni librum, vnde Diuus Thomas deprompsit esse opus adulterinum; nec rem probatam à D. Thoma; sed in gratiam Damasceni, cui erat addictissimus, abstinuisse ab apertâ censurâ illius asserti; eoque gratis concesso, docuisse, quâ ratione, saluâ pœnarum inferni æternitate, explicari possit. Et ipsemet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 5 regulam tradit, ad quam exigenda sit interpretatio eorum quæ circumferuntur reuelationibus Sanctorum tradita: bifariàm enim diuina ait excipi, 1. allocutione Dei expressâ, quâ dignatus

est prophetas, eosque docuit fide diuinâ credenda; vel occulto quodam sensu & instinctu vix ipsis, qui diuina patiuntur comperto; Et huius postremi ordinis reuelationes magis incertæ sunt, nec illis adhærendum nisi quatenùs aliis fide certis conueniunt & confirmantur. Atque hoc 2. loco reponimus Diuæ Catharinæ & Brigittæ reuelationes, quæ interdum ex præiudicatis opinionibus proficiscuntur: quare liberum cuique est illis assentiri.

Hâc vnâ responsione ad primam calumniam duæ illis adiunctæ eiusdem generis depelluntur: Dominicanorum ait Theophilus Commentum esse Franciscano cuidam hærenti, & anxio de quibusdam difficultatibus Theologicis, aspectabilem se præbuisse parentem Diuum Franciscum, & monuisse Diuum Thomam consuleret, & sequeretur. Audiuimus aliàs Aluam ex Vvadhingo acriter in has reuelationes inuectum: non dicam, quod satis esset eorum conatibus infringendis, nihil habere alienum à vero, nec mirum à Sancto commendatum sanctum Doctorem, suis filiis à Christo & Summis Pontificibus impensè laudatum: verùm his omissis, Respondeo ista Dominicanos primùm non scripsisse; sed excepisse ab aliis, nempe à Basilio Augustiniano, qui apologiâ Salmanticensis Academiæ ita refert ex Ioanne à Iesu Maria Carmelita excalceato libro de arte vitæ spiritualis, qui Franciscanum Lauterium vocat; idque sibi contigisse palàm testatum sed supra meliora.

Grauiores sunt multoque atrociores, quæ supersunt calumniæ de Abyssinis Dominicanæ familiæ, Diuis ab Vreta lusitano scriptore suâ historiâ falsò celebratis, de Pij V. Pontificis Apotheosi eâdem arte promotâ, & vbi fraus patuit interceptâ confictis Dominicanorum miraculis Canonisatione; de Bernensibus quatuor Dominicanis ad rogum damnatis, ob miracula contra Immaculatam Conceptionem simulata: nec veriùs iisdem artificibus Thomæ Lemos superstiti, & defuncto assarta, de Magdalena in Prouinciam Phocensem appulsu, & eius ope Carolo 2. Siciliæ Rege Barchinonensi carcere, quo detinebatur, liberato.

Ad has grauissimas accusationes vniuersim dico, partibus responsurus, si communis ad omnes solutio non

satisfecerit; Plura ex illis defendi vt vera, nec suis carere vindicibus, eosque extraneos esse; nec quidquam à Dominicanis, vt à primis authoribus prodiisse. De vretæ historiâ multi contendunt variis argumentis: primum apud Abyssinos florere conuentus Dominicanorum numerosissimos, & sanctissimis institutis ac viris: & sin rem omninò euincant; certè iis pugnant testimoniis quæ inustam calumniæ notam abstergant. Idem respondeo ad accusationem alteram, de Carolo 2. exempto carcere, beneficio Diuæ Magdalenæ; quidquid enim sit hac de re, immeritò planè Dominicanos facit Theophilus huius narrationis artifices, vt illis totam inuidiam creet, cùm vniuersa prouincia Phocensis id euulgarit & putet traditione certum.

De eo quod attinet ad vltimum supplicium de quatuor Dominicanis Bernæ sumptum ob miracula conficta; nonnulli accuratiùs originem huius historiæ aut potiùs fabulæ inquisierunt, & certis argumentis repetunt à Capnione Cabalistarum principe, Dominicanis infensissimo, à quibus iustam errorum suorum pœnam, cum flamnas timeret & commeruisset, idem insontibus & immeritis inflixit supplicium, hoc luculento mendacio quo plures etiam Scriptorum Catholicorum decepit.

Viderit ergo Theophilus quâ prudentia & cautelâ Dominicanos quasi captiuos, & multorum mendaciorum vinculis religatos, ducat in ornamentum triumphi Capnionis seu Reuclini de Fratribus quos domuit? Quis ille fuerit pluribus sectione sequenti dicam: & licet alia deessent exempla; quibus probaretur illum Geneuæ magis quam Romæ amicum; satis fuerit nunc obseruasse Bezam illum suis iconibus loco illustri inter instauratores collapsæ Ecclesiæ, inter buccinatores quinti Euangelij reposuisse: Non potest Theophilus traducere Dominicanos, vt falsorum miraculorum artifices; nisi agnoscat proceres Caluinistas de prostratâ impietate, idest de Ecclesiâ Romanâ triumphasse.

Videtur mihi Ripaldæ erratum longè superasse; qui libro contra Academiam Louanien sem edito, Semipelagianorum argumenta à Prospero relata carmine de ingratis, & ab illo refutata; refert Prosperi nomine

quasi ab illo asserta: quod Ripaldæ Academia respon. sione sub titulo vulpis captæ improperat cum inscitiæ aut fraudis vituperio. Ita Theophilus triumphum Reuclini cum Beza & Caluino celebrat in dedecus Dominicanorum, aut potius in Ecclesiæ Catholicæ infamiam sempiternam.

Poteratne apertius se demonstrare inopem argumentorum, quibus nos mendaces, probet, quàm cum transfuga transit in aliena castra; vt ab Ecclesiæ hostibus depromat testimonia, quibus nos grauet & traducat: nisi Reuclinus fuisset impius & de religiosis triumphum sibi extruxisset, Dominicani innocentes erant à suspicione confictorum miraculorum.

His tribus calumniis validè refutatis duæ supersunt; quas teste Româ postremas refellam. Non dubitat asserere Pij V. Summi Pontificis Canonizationem interruptam, ob aliquid quod etiam ipse nescit: culpam tamen dicit fuisse Dominicanorum: & primum prodit se ignorare methodum & stylum sacrarum Congregationum, & præcipue Congregationis sacrorum rituum, quibus Diui fastis Ecclesiæ inscribuntur: Nam cum sit grauissimum negotium, & de summâ rerum agatur, longissimo tempore omnia diligenter discutiuntur; idque secretissimè, & nemini mortalium extra Congregationem, innotescere possunt rationes dilationis causarum.

Per summam ergo audaciam Theophilus his se immiscet, & huius negotij remoram refert in Dominicanos; qui huic congregationi non interfunt vt iudices, sed inter Consultores multos adest vnus Magister sacri Palatij: vnde falsò Theophilus dicit, P. Baptistam Marinum huius rei locupletem testem esse posse; quia aderat, & forte intererat: & tamen P. Marinus nec adfuit nec interfuit vnquam. Certe non dubito, Theophile, te totius ciuitatis Romanæ, imo & Italiæ indignationem, execrationem prouocasse. Dum tua scripta legimus, vix oculis nostris fidem habemus, etiamsi sacrilegam tuam audaciam manibus nostris contingamus: Quis sibi persuadeat, hominem Catholicum, & Religiosum eò cæcitatis delapsum, vt ausus sit scribere remoram iniectam

Canonizationi Pij V. ob fictiones Dominicanorum? Quid audes tu ponere os in negotia omnino tibi ignota? Ideoque fingis, nec tu ipse explicas idmet quod fingis; sed à te ficta asseris sine teste, sine lege; & solis verbis tuâque fide: sed scimus quo tendas; parasti nobis insidias; expectasti vt hæc, quæ de nobis fingis, in pari negotio tibi improperaremus; sed sumus nostri propositi tenaces: satis est nostrę conscientiæ testimonium, & totius Ciuitatis Romanæ, quæ perinde, ac nos ipsi, certa nostræ sinceritatis, tuum nomen perinde execratur; ac Pius V. omnibus bonis veneratione semper erit, & terroris omnibus malis, sicut scripsit Genebrardus.

Confictam etiam à Cyriacis iunioribus dicis, in Cœnobio S Mariæ super Mineruam degentibus, magnam copiam miraculorum Thomæ de Lemos, quæ Hyacinthus Coquetius libro suo de visceribus maternis B. Virginis erga Ordinem Prædicatorum immisit; & multa contra Lemosium addis: Certè contra virum doctissimum, grauissimum, & piissimum audaciùs debaccharis: nec mirum, te omnibus quæ de Patris-Lemos sanctitate, miraculis circumferuntur, fidem abrogare; nec dubito, quin prius Iudæi Christum vt Messiam sint recepturi; quam tu explosâ scientiâ mediâ, quæ tuæ Theologiæ, & familiæ prora est, & puppis, eius hostem acerrimum Lemos sis admissurus, tanquam virum pietate, ac sapientia insignem. Quoad miraculae onficta, remitto te ad Eusebiam Nierembergium, & Constantinum Caietanum aliosque.

Sed iam satis Calumniam euicimus falsi contra triplicem veritatem, qua Dominicanam familiam pollere demonstrauimus. Cùm omne mendacij genus per sese inuisum sit; tum maxime illud est execrabile, quo se aduersarius turpiter fœdauit; cum solis mendaciis Dominicanos voluit mendaciorum reos peragere: sicut enim quælibet accusatio falsi criminis summè inuidiosa est; sed præ omnibus illa, quæ idem crimen verissimè admittit, quod fingendo vrget; sic mendaciorum vltimam execrationem merentur, qui huius peccati suspicionem tot crassissimis mendaciis in nos deriuare conantur. Quid de inuidiâ dicam? Cuius nos collectis

plurimis

plurimis exemplis accusat eodem euentu, quem aliis diatribis habet, vt illâ semper se flagrasse demonstret; sed tùm maximè, cum eam nobis improperat.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Fusior confutatio calumniæ de miraculis Pio V. suppositis, verorum breui relatione.

VErum cur ad alios nostri Ordinis Thaumaturgos excurro; quasi quibus abundant, Pius ipse, cuius causam præcipuè agebam, destituatur miraculis, illique falsa sint supponenda? Summæ fuerit, nedum impietatis, sed etiam dementiæ ad promouendam sanctissimi Pontificis in diuorum cætum inaugurationem, miracula comminisci, cùm illustria & comperta ex pluribus Christiani orbis partibus suppetant antiqua, nec recentia desiderentur.

Non dicam sanctimoniæ indiciis & miraculis beatissimi Pontificis, cuius laudes deteruntur, quasi nostris mendaciis egeat vt colatur, accenseri posse, quos ingessit terrores potentissimis Turcarum Imperatoribus Solimano illius gentis Alexandro magno, & Selino eius filio, plus sibi preces Pij V. quam arma Christianorum nocuisse apertè testantibus.

Non addam paris momenti rem, Anglorum Elizabethæ, Ioannæ Nauarræ Reginis, & Admiralio Colignio professis Apostolicæ Sedis hostibus, admirationi, & quasi verè sanctum agnitum fuisse: & à Principibus Germaniæ dictum dæmonem fallendis Catholicis, optimum ac vitæ sanctitate præstantem dedisse Pontificem; vt in sua de religione sententia pertinacius obfirmaret.

Possem referre par sanctitatis argumentum, licet ex aduerso repetitum, diuino iudicio pœnas dedisse grauissimas sancti Pontificis obtrectatores, & huius cælestis vltionis exemplum fuisse Oxouij Iurisconsultum nomine Vritum; qui cùm in suggestum verba facturus contra Pium conscendisset; subitò propè mutus & correptus morbo, domumque delatus breui miserrimè

interiit. Tacebo vim in curandis energumenis adhuc viuo & superstiti diuinitus collatam, multisque comprobatam experimentis: non dicam demortui carnem eorum testimonio qui exanimem attrectarunt, mollem, flexibilem viuidique coloris, instar corporis viuentis aliquam futuræ resurrectionis speciem prætulisse.

Sed quo propior Pius esset suo parenti Dominico, cuius imaginem, quæ cælo delapsa Suriani in Calabria seruatur, miracula commendant, paria aut superiora iis, quibus superstitem Deus illustrauit; eodem quo parentem sanctissimum, Filium Deus dignatus est miraculorum genere, seruatis duabus Beati Pontificis imaginibus ab incendio, quo sacellum Antonij Cardonæ & Cordubæ Ducis Sessæ conflagrauit: Nam igne absumptis omnibus aulæis, & ornamentis quæ cremari poterant, geminis etiam imaginibus quæ pariter ex argento erant conflatæ, sacro altaris lapide in pumicem redacto, Pij tantum imagines vna ex tela ad altare, altera ex chatta ad sacelli ianuam appensæ, ab incendio nec læsæ nec deformatæ sunt. Nec illustrius nec certius contingere potuit miraculum totius nobilissimæ ac religiosissimæ familiæ testimonio comprobatum: Nam harum imaginum ab incendio seruatarum donata vna, Dominicani Ordinis monialium cœnobio in Hispaniæ oppido Vaëna nomine; alteram verò ligneis suis vt erat, instructam ornamentis, prorsus immaculatam iidem Duces Romæ Cabutio, dum Pij historiam scriberet, ostenderunt; remque omnem vt locupletissimi & oculati testes retulerunt

Narratione alia recentiori, nec minus compertâ, par in Pontificem redundauit gloria: Rem paucis perstringo. Nemo nescit, quam faustum sanctumque sit quâ morum & Christianæ pietatis cognatione firmatum sit principum Armandi Borbonij de Conty & Mariæ Annæ Martinossæ coniugium inter præcipua gloriæ huius regni & sæculi ornamenta recensendum: sed Pio nostro Sereniſſimi Principes domesticæ fælicitatis, quæ in communem omnium deriuatur, partem se debere agnoscunt.

Fœcunditatis incommoda prope infinita patiebatur princeps vxor, acerrimos dolores, tremores capitis qui

opertoria excuterent, longè grauius malum ex infaustis puerperiis cumulabat; & cum frustra fuissent artis medicæ remedia, ad Deum Diuosque vnum supererat perfugium. Inter donaria quæ religiosissima princeps à matre, à quâ perinde pietatem ac vitam hausit, seruabat Pij nostri lecticarium pileum, quem persuasit ex famulabus vna capiti imponeret, compescendo dolori, & tremori vehementissimo.

Rem miram & compertissimam narro: vix caput fœminæ Principis Calyptra attigerat; cum repentè concussus dolorque resedit, breuique in totum abscessit, restituta Principi sanitate, ad puerperia feliciora, quæ duo edidit optatissima, vt quam Blanchæ Reginæ diuum Ludouicum enixæ sanctus parens Dominicus gratiam impertitus est, hanc ab eius filio nihil degeneri obtinuerint Principes Sereniſſimi ad Regiæ Familiæ incolumitatem perpetuam. Alio loco Pij V. in Galliâ tutanda & misso exercitu suppetias Carolo IX. & religioni laboranti memorabimus pastoralem sollicitudinem, & pateruam charitatem; hanc cœlo receptus auctam testari voluit reparata Principis matris sanitate, ad familiæ regiæ fælicem perennitatem.

Hoc vltimo quasi compertissimo, & singulari, istam miraculorum Pij apologiam oportet, vt claudam; nec est animus plura addere; sed insinuare quæ aliis locis relata sunt, aut referenda, tum ipsius elogio quod damnus libro quinto, tum inuentis Dominicanorum ad fouendam populi Christiani pietatem, quæ noster Pius præ cæteris Pontificibus, in immensum auxit, eaque multis Deus dignatus est miraculis commendare.

Vix ista scripseram, iam inchoatâ editione libri quam primum typis daturus; cum Armandi Borbonii mortis inopinatæ triste, & atrox nuncium; nihil tale timentes, quod postremæ litteræ ex grauissimo morbo recreatum ferebant, nos oppressit. Vix hoc familiæ Regiæ, & nedum Galliæ, sed toti etiam Ecclesiæ lethale vulnus quidquam delinire potest, præter ipsius; quem nobis ablatum lugemus exemplum; & immortalem; quam hominum memoriæ impressit suarum virtutum imaginem;

Plane conuenit nos hunc casum eodem ferre, quo ipse animo excepit; ad diuinam voluntatem, quæ vna illi totius vitæ lex perpetua fuit, sic comparato: vt nihil pati, nihil cogi, nec tam videretur Deo seruire, quam vbique assentire. Deum immortalem! quam ille toto decennio in summâ fortunâ, & dignitate natus, seruauit innocentissimæ vitæ indeflexum tenorem: à D. Ludouico totius sanctitatis formâ absolutissimâ & prosapiæ Regiæ Parente nullus hactenus contigit; & vix post multa sæcula sperari potest, qualem nostro Deus contulerat; qui propius ad Sanctissimi Proaui similitudinem, imitationemque accesserit. Quid si concitatissimum ad perfectionem Euangelicam mors immatura cursum non intercepisset? Quo ille tandem euasisset qui paucissimis annis prope infinita sit spatia emensus?

Pauca duabus præfationibus nostris ex vitâ Sereniss. Principis exactissima attigi: plura dicturus, nisi inhibuisset illius modestia; cui noueram quolibet supplicio intolerabilius esse, quas commeruerat laudes audiendo ferre. Sed cum iis celebrandis non minùs impar sim, quam ab imitandis eius virtutibus longissime absum; quod dum viueret indixit eius modestia, nunc maxime conscientia meæ infirmitatis agere, & seruare cogit silentium.

Sed quid opus prædicatione virtutum? Quas licet quammaxime potuit, occultarit; ita tamen splenduerunt, ita se omnium oculis & animis iniecerunt; vt etiam impiis essent veneration, nec ab infantium linguis tacerentur: & vna vox esset omnium, Armandum Borbonium Christianæ sanctitatis exemplar esse absolutissimum. Hunc planè Deus eodem quod sibi vni vindicasse visus erat gloriæ ornamento, & laudis genere dignatus est. *Ex ore infantium & lactentium*, &c.

Vnum ex infinitis attingam: Primogenitum vix triennem, & ablactatum, doctrinæ sacræ documentis imbui, & velut secundo lacte pasci curabat: & cum scripturam per ætatem legere non posset, oculis hauriendam subiectis quibusdam imaginibus præbebat. Et cum decursâ ex Genesi mundi creatione, & primâ ætate ad Abrahamum peruentum esset; in vnigeniti caput

propriâ manu, vt diuino imperio pareret iam gladium intentantem; se in Isaaco Paruulus, & in Abrahamo Patrem agnouit; atque animo supra ætatem perspicaci, & pio exclamauit, simile de se sacrificium non detrectaturum Patrem; si ita Deo visum esset & innueret faciendum. *Quanta vis eximiæ virtutis, quæ* (vt Ambrosij verbis vtar) *etiam ab illa testimonium inuenit ætate!*

Hoc etiam solatij loco esse potest; superstitem in filiis quem flemus Principem, nec obscura eius sanctitatis vestigia, & inchoamenta elucere in ætate tenera; easdem curâ & exemplo matris religiosissimæ rediuiuas ingentibus incrementis eodem ac patris, quo ipse ad D. Ludouici similitudinem gradu deduxit, aliquando peruenturas: atque vnius iacturam duorum vsura instauratum iri. Neque hæc obiter dicta à nostro argumento aliena intempestiue iniecta reputet Lector: plane in gloriam Pij nostri cedunt: cuius beneficio, & precibus, vt ab ipsius Sereniſſimi Principis ore accepi, Religiosissimæ coniugis salutem, & fœcunditatem acceptam referebat.

SECTIO TERTIA.

Vindicantur Dominicani à maledicentia contra septimam Diatribam.

Præfatio omnino legenda.

EA indole videtur diuina sapientia oculos, & cæteras facultates ad cognitionem omnium operationum præstantissimam comparatas instituisse, vt iis dumtaxat coloribus & rebus percipiendis, eorumque recipiendis speciebus sint idoneæ, & opportunæ, quorum sint omnino expertes. Idque multò certius experimentis comprobare licet, quam argumentis; Nam si quo visus colore, siue viridi, seu cæruleo perfusus sit, vix alium percipit; sed hunc vbique intuetur, & late vndequaque diffundit, atque ita cum à natiua institutione, quæ omnes submouet colores, deficit oculus, vno affe-

ctus errat semper, & nisi morbum mens agnoscat, ipsa in errorem inducitur.

Ista iterum emendabamus, postridie mortis Theophili ad nos perlatæ, cui sine dubio indoluimus, & mitius cum defuncto, quam cum superstite in posterum agemus. Sed nulli hominum verius conuenit, quæ de Religiosis in commune scripsit D. Bernardus, quò à vitiis carnalibus, luxuriâ, auaritiâ, longius absuit, eò spiritualibus abundasse, quod libris in nos scriptis agnoscas, si ad exemplum oculi à nobis propositum conferantur. Vt visus cæruleo infectus colore reliquos vix percipit, sed hunc quo affectus est rebus affundit; Ita Theophilus à luxuriâ, auaritiâ alienus, hæc vitia vix vllo quod sciam libro nobis obiicit, sed totus est in nugacitatibus, in falsiloquiis, in liuore, maledicentiâ, aliisque id genus vitiis, quibus laborabat, nobis improperandis. Vnde constat, si variis nos criminum sordibus, & maculis infecit, id referendum esse in indolem, & affectum animi, sic natura, & studio comparati, vt in insontes mala spargeret, sicut oculus æger morbi sui colore afficit quæcumque intuetur.

De sanctissimo Episcopo Geneuensi Francisco Salesio narrant, adolescentem Patauium iuisse Iuris causâ addiscendi, & graui morbo correptum, spe salutis amissâ testamento corpus suum legasse Chirurgis; vt cum præ humilitate reputaret, se hactenus Societati humanæ inutilem, saltem aliquod mortuus emolumentum conferret, sui corporis dissectione Medicis permissâ, quo ad alios curandos fierent peritiores. Si licuit Theophilo antequam animam exhalaret, serio reputare quæ mala hominibus quæ scandala suis libris intulerit; non dubito, quin optarit ex animo à nobis expendi, & vsque ad minimas fibras dissecari, sicuti solent cadauera à Chirurgis, vt causas malorum aperiamus, & inde paremus remedia. Huic ergo labori quem puto si vllus insit illi eorum, quæ apud nos geruntur sensus gratissimum, & leuamini ac solatio fore, nos accingamus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [122] - 102
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS PRIMVS.

Vindicantur antiqui Dominicani à maledicentia, & calumnia.

PLVRIBVS experimentis comprobasti, te præpostteri esse iudicij, nec res metiri nisi ex commodo & affectu; ideo quæ narras de contentione inter Constantinum Caietanum Benedictinum, & Ioannem Rhò socium tuum, adeo inuolucris operuisti; vt non intelligentibus aliquid magnum afferre videaris, cum tamen nihil afferas nisi nugas & ineptias. Scripserat contra Cajetanum Ioannes Rhò librũ acerbissimis contumeliis refertum, inscriptum, *Ioannis Rhò Achates ad Constantinum Caietanum*, quod Caietanus alio libello de vitâ S. Ignatij scripsisset, S. Ignatium fuisse initio suæ conuersionis commissum Benedictinum; & alia de S. Ignatio, quæ filii ægerrimè tulerunt. Vtrumque libellum Caietani, & Rhò, prohibuerat sacra congregatio; petiit autem Ioannes Rhò, vt suum libellum correctum sibi denuò edere liceret; sed cum à contumeliis libellum non satis expurgasset, haud illi permissum fuit.

Certè non alio moderamine repellere voluit Caietanum Ioannes Rhò, quam iniuriis & contumeliis, quas tu vocas inculpatæ tutelæ moderamen, eoque in nos vteris, & in Caietanum eruditissimum, & clarissimum virum, quem tu compertissimè semiinsanum vocas, id est, Cassinensis Ordinis Abbatem & Gymnasiarcham, atque institutorem Collegij Romani: quem Clemens VIII. Romam euocauit, & præfecit editioni operum sancti Damiani, cuius cum laude meminerunt Baronius sæpe, maxime ad annum 1570. Bellarminus, in Damiano, Suares Tomo de Religione, Posseuinus in apparatu, Syrmundus & Gretserus.

Cum Leone vero Allatio, nihil disputandum habuit Caietanus, nisi de quâdam antiquâ imagine, ita annis exesâ, vt vix posset agnosci prototypon; Caietanus S. Benedictum, Allatius verò non Benedictum, sed Beatissimam Virginem eâ imagine repræsentari volebat;

& adiudicatum fuit Allatio iuxta rei veritatem attentè perpensam à sacra Congregatione. Quodnam ergo fuit Dominicanorum hâc in re studium partium? Quæ personarum acceptio? Quæ violatio charitatis? Certè ego non video, nec ipse manifestas; sed tantum videris quædam verba fracta, & tertiata scribere, quasi Dominicani nullum ius inspiciant causæ; sed pro suo affectu & commodo faueant amicis, immeritos discerpant pro suo arbitratu. Huius accusationis atrocissimæ aliquot refers exempla ex Bartholomæo Spina, ex Cano, ex Grauina, Bzouio & aliis; vltimò contra Mariales expostulat Ludouicus Cartherius. Singula paucis expediam.

A Cano incipio, de quo tuo more ais, *Aceruandis spiculis verborum, quæ intorsit F. Melchior Cano, in quoscumque agit, exigeretur pharetra admodum capax. Ex quo enim occupatus est œstro in aliquem, non parcit nec pœnitudine flectitur; sed sagittas suas ardentibus effecit.* Hæc tu de Cano: sed an talis sit Canus, qualem tu hîc eum describis, iudicent, qui eius doctissimum Opus de locis Theologicis legerint. Certè efficacissimas rationes, ac validissima argumenta in eo deprehendent, cum singulariſſima sinceritate etiam aduersùs suos coniuncta. Si tu hæc verborum spicula dicis; & Canum Oestro occupari in aliquos, si tuo iudicio adeo ferox, & atrox est Canus, qualis es ipse dicendus, cum comparatione tui, euidentissimè constet, illum vt hominem & Tullium loqui; de te aliorum sit iudicium.

Mirum quantâ acerbitate conuitiorum exagitet Spinam omninò immeritum, quasi in Patres Concilij Tridentini *petulci*, vt inquit Theophilus, *pecoris*, quoquo versus diffuderit, præfatione ad tractatum Cardinalis Turrecrematæ de Conceptione, iis quæ illi affingit verbis: *in Concilio Tridentino non fuerunt docti Theologi, sed homines audaces & vani, qui popularem auram captantes decretum in fauorem immaculatæ Conceptionis beatæ Virginis edendum curarunt.* Ita refert & criminatur Theophilus; sed vt omittam à Concilio nihil hâc de re additum decreto Sixti IV. nisi vt diligenter obseruetur, grauissimis pœnis dum prohibet, ne alterutra sententia erroris damnetur; vt taceam non esse credi-

bile Dominicanum eò impudentiæ progressum, vt eum cætum damnaret, in quo fere quinquaginta ex nostrâ familiâ, id est plusquam cæterarum familiarum Theologi interessent, duo quæ assumit Theophilus, manifestè falsa sunt; quia nec ea verba extant in præfatione ad tractatum Turrecrematæ, nec à Bartholomeo Spina, sed ab Alberto Duimio, à Catano præfixa est. Viderit ergo an Spina eo nomine quibus proscinditur, conuitia commeruerit.

Forte in Theophilum cadunt quæ de Spina congerit. *Semper*, inquit, *crepat conuitia, opiniones probabilissimas, & aliquando certas sententias, si minus arrideant, confodit illico vt hæreticas. Vbique crepat aliorum deliberationes, ingenij hebetudines, iudicij imbecillitates, chimaras, phantasias, stultitias, mentem emotam; & quid non? Sunt semper (si Theophilo credendum esset) Thomistæ in tenebris, & profundâ caligine, & nescientes quid dicant, quidue impugnent, aut defendant, palpant sicut cæci in meridie. Solus Theophilus, & qui cum eo sunt, luce in tenebris fruuntur: ipso quidem iudice Diceres reuenisse tempus, quo filijs Israël luce serenâ potientibus miseri Ægyptij tenebris attrectabilibus offundebantur. Quam religiosa sit hæc cum Religiosis agendi ratio, superuacuum sit exponere; cum luce meridiana clarius sit, Religiosi esse, temperatè semper, ac verecundè cum talibus agere. Nam si Patres etiam cum hæreticis vetant efferari, & verbis amarulentis, aut ex impetu vibratis, ferire aduersarium; tametsi à fide alienum prohibent; quanto magis necessariò est habenda agendi ratio temperata, cum Christiani, & Religiosi lacessuntur. Et saltem Religiosi hominis est cum persona sua loqui, & nihil vnquam indecorum agere.* Quid tibi animi fuit cum illa scriberes? An non in te verius, quam in Spinam cadit hæc reprehensio, qui totum Ordinem Prædicatorum tot conuitiis, tot calumniis, laceras? Non memineras, cum hæc atrocia in nos scribebas, te Religiosum esse, & cum Religiosis agere? Cur adeò longè recessisti ab illo modo à te præscripto temperatè semper, & verecundè cum Religiosis agendi? Qua ratione exemisti te à legibus, quas aliis præscripsisti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Defensio Grauinæ, Bzouii, & Combefisii.

TErtio loco Dominicum Grauinam perstringis, & dicis verba amarulenta fundere assiduo, & ex acidis eius verbis Lexicon spissum confici posse. Sed si Theophile, ex tuis libris faceremus huiusmodi verborum collectanea, quæ collatio esset tui & ipsius vocabularij? Certe Grauina contumelias non profert tuo more sed lacessitus respondet. Vidi Grauinæ responsa ad objectiones Pozæ, quibus nihil doctius, nil modestius. Caueæ autem Turturis respondet acriter quidem, non contra Modestiæ leges, quamuis in cauea illa Turturis tot amarulenta recondantur; vt acriore responsione digna fuerit, ea quam Grauina adhibuit.

Quartò accedis ad Bzouium, quem tuo more habes *vt auctorem perexigui iudicij; nec tam authorem dicendum esse asseris quam confarcinatorem*: sed ex antiquo priuilegio à me relato exerces ius par Regum iuri in omnes. Non dissimili audaciâ in Bzouium fuit Ludouicus Cartherius, qui in libello suarum expostulationum, Annales Ecclesiasticos à Bzouio conscriptos, iniuriosè vocat *stramineum additamentum*. Hostili item animo in Bzouium feruntur ferè omnes Societatis scriptores: causam haud sciui; prætextam autem suggessit mihi vir eruditus; quod scilicet Bzouius in suis Annalibus tomo 15. ad annum 1415. parag. 39. inseruerit Prophetiam quandam sanctæ Hildegardis; & ad marginem Bzouius apposuerit hæc verba, *Prophetia quædam S. Hildegardis, quæ ad hæc tempora referri potest*; quasi Bzouius eam Prophetiam Societati addixerit. Hinc dicunt irarum & odii in Bzouium originem fuisse: cum tamen Bzouius Societatis non meminerit, sed tantum, Prophetiam ad hæc tempora retulerit. Certe de annalibus Bzouij aliud sapientes sentiunt quam quod Authores nonnulli Theophilo similes produnt: nam vt plurimum exacti censentur; & si in hoc peccarit, quod cuncta, in historiis sparsa, suis annalibus voluerit inserere, quasi in historiis narrandis

delectum non habuerit ; Censores Bzouij meminisse debuerant, ad Historicum pertinere, ea etiam scribere, quæ circumferuntur: & authores habuit alicuius nominis, vnde excerpsit, quæ de Scoti morte, & alia, quæ Theophilus ex Bzouio carpit. Fraticellos hæreticos, criminatur Bzouium nullo iudicio confundere cum fratribus Minoribus ; sed illi assentitur eruditissimus, ac prudentissimus Odericus Raynaldus tomo quinto decimo suorum annalium ad ann. 1317. n. 56. & sequent ita habet : variæ fuerunt fraticellorum sectæ ; & certum est ex extrauag. Ioannis XXII. *Sancta Rom. de Relig. Domib. fraticellorum alios prætexuisse, habitum se, & vitæ ritum ab Episcopis, aut Ecclesiarum prælatis accepisse ; alios iactasse se tertij Ordinis sancti Francisci, pœnitentium vocati, habitum induisse ; finxisse alios ordinem fratrum Minorum profiteri, & sancti Francisci regulam ad litteram obseruare, & obiecto eo fuco, ipsos à Cœlestino quinto huiusmodi vitæ, & status priuilegium obtinuisse : quamuis ea ratio non valeat ; cum Bonifacius octauus concessa à Cœlestino rescinderit, ac posteriori decreto standum esset.*

Hæc Odericus, quibus fraticellos vocat pseudominoritas, quod nomen modestè illis attribuit ; vt ab hâc notâ liberet sanctissimum Franciscanorum Ordinem : post pauca vero subdit ; *Secuti vero Pontificiarum constitutionum sententiam fraticellorum nomine, nunc maxime intelligimus Petri Ioannis Oliui sequaces, & alios pseudominoritas, qui sancti Francisci instituta non ex Pontificiis decretis, sed ex nefaria, & delira interpretatione sua, sectari voluerunt, & in varias prolapsi hæreses ab Ecclesia aberrarunt ; in quos veri Minoritæ pie consurrexere, donec ea pestis penitus excisa est. Nec vero hi pseudominoritæ omnes, siue fuerint ord. sancti Francisci Apostatæ, & perduelles, siue ex profana multitudine ad eos se contulerint, eosdem penitus errores tenuere ; quippe nonnulli etiam reperti, vt plangit Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 52. qui Beguardorum impuritatem se ctati sunt*

Hæc Odericus : ex quibus constat, non esse certum, hos fraticellos non fuisse minoritas, quamuis illos pseu-

dominoritas, vt Franciscani ordinis honori consulat appellet. Sicut enim omnes Catholici qui à religione Catholicâ recedunt, appellantur pseudo-Catholici, nec tamen inde fit, eos prius non fuisse Catholicos; sic nec pseudominoritæ nomen tollit, quin prius non fuerint verissimè minoritæ; imo laudatus Aluarus Pelagius insignis scriptor Franciscanus hos fraticellos absolutè vocat minoritas his verbis loco cit. *Multi seculares, & Fratres Minores pro isto carnali spiritu libertatis, per Inquisitores hæreticæ prauitatis incarcerati fuerunt.* Ex quibus liquet verè Fratres illos Minores in eam Fraticellorum hæresim incidisse, & fuisse appellatos Fraticellos, quorum etiam aliquot errores tenuisse alios religiosos Minores Duce Michaele de Cesena eorum Generali supra annotatum est. Et ex his constat narrationem hanc de Fraticellorum erroribus, Religiosis aliquot Ordinis Minorum attributis non esse Bzouij ignorantiam, aut impostruram, vt calumniatur Theophilus, cum Vuadingo, & Haroldo: nam in hâc narratione Bzouio consentit Odoricus; sed hoc differunt, quod Bzouius apertè cum Aluaro Pelagio Authore Franciscano Minoritas, Odericus verò vocauerit pseudominoritas, quia videlicet in errores prolapsi, ab ordine, & fide Catholica defecerunt. Bzouij causam strenuè egit Nicolaus Ianssenius opusculo edito: sed Theophilo Raynaudo alia singularis odij, ac in Bzouium liuoris causa suppetit, quod hic doctissimum librum ediderit inscriptum, *Romanus Pontifex*; vbi de potestate pontificiâ sapientissimè disserit contra hæreticos, multamque inserit eruditionem eximiam; cuius operis comparatione vilescit libellus quidam à Theophilo *de Mitra Pontificis Romani*, inscriptus.

Addit Raynaudus tomos Bzouianos esse potius Annales Dominicanorum, quam Ecclesiasticos, quia est totus in rebus domesticis efferendis, ac dilatandis. Si Theophilus legisset Annales Ecclesiasticos ab Oderico Raynaldo editos, non damasset Bzouium quasi nimium in rebus domesticis efferendis; nam extranei Authores tot, ac tanta de nostro ordine scribunt, vt ab iis mutuari debeant nostri Annalistæ, in suis rebus conscribendis negligentissimi. Quæcumque autem de nostris

aut Odoricus, aut Bzonius scripserunt, sunt compertissima. Cur autem Bzouio fuerunt tacenda nostri Ordinis decora; quæ ratio historiæ ac temporis necessario ferebat, & quæ in oculis totius orbis gesta sunt?

P. Combefisium quinto loco aggrederis, Theophile, ac per plures paginas verberas acerbissimè ob quædam verba in re probabili liberius contra Baronium dicta, quorum causam totis viribus versas, quasi de summâ Reipublicæ Christianæ ageretur. Verum est in historiâ Monothelitarum à Combefisio conscriptâ aliqua duriora contra Cardinalem Baronium; sed si has labeculas tollas, liber est Arce dignus, qualia sunt quæcumque ex eius calamo prodeunt, aut sunt proditura. Omnes in illo summam rerum, & vtriusque linguæ latinæ, & grecæ peritiam, cum pari fide coniunctam, in vertendis Patribus agnoscunt, & mirantur, & qui illi sunt familiares, sciunt Combefisium esse absolutum exemplar regularis obseruantiæ, & vitæ religiosissimæ, quam in sæculo atque in ordine exactam, ab omni graui culpâ immunem impendit, vni orationi, & studio, ab omni ambitione remotissimus.

Et hoc possum addere his quæ iam retuli, eruditionis eius, & incorruptæ fidei non solum apud doctos, sed etiam apud Bibliopolas, adeo constantem esse opinionem; vt ab vno audiuerim, si Patrum græcorum adornanda sit noua editio, præ omnibus, qui sunt in Europâ, eligendum esse Combefisium, vt illi præsit; quod aliorum, vel dubiam eruditionem, vel suspectam haberent fidem, ne immutarent apud Patres, quæ illorum placitis minimè conueniunt; at in Combefisio nihil desiderari, nec diligentiam, nec eruditionem, nec fidem. Ob illa in Cardinalem Baronium à Combefisio durius dicta, iam est prohibita à sacrâ Congregatione historia Monothelitarum.

Quare erras Theophile, dum dicis, Dominicanos suorum Authorum, ac præcipue huius operis Combefisij prohibitione impedire? Illud certum est, opus Combefisij non ob errorem aliquem fuisse prohibitum, sed solum ob ea, quæ liberius de Cardinali Baronio scripsit. Ea tamen de causa vapulare non debuit

Combefisius ; vt audeas illum homulum, & fratercu-lum tuo more appellare.

Sed cur adeo atrociter Combefisium laceras, cui de Cardinali Baronio aliquid seuerius dictum excidit, cum præ iis quæ tu contra glorioſiſſimos Cardiuales de Tur-recremata, & Caietanum euomuisti, sit modestissimus? in te igitur de Cardinalibus Turrecremata & Caietano obloquentem retorque verba, quæ contra Combefi-sium profers. *Quis credidisset hominem religiosum, erga ecclesiæ principes idem cum hæreticis metrum tenuisse? Num ignorabas illud à Paulo quoque vsurpatum, Principes populi tui non maledices, sunt vero Cardinales in Dei Ecclesia Principes: vnde vestimentum eorum è purpura conficitur &c.* nil respondeo ad ea, quæ iterum hic congerit contra Melchiorem Canum, & contra Fran-ciscum Victoria celeberrimos Doctores: nam eorum solâ lectione euanescent.

Non possum tamen tacere quod tragicè & inuidiosis-simè narras gestum Auenione, quo loco ex omnibus tuis libris non est reperire qui tantum habeat veneni, falsi, fraudis, vno verbo malorum omnis generis, à quibus nescio quâ ratione apud Deum iudicem sis tuam cusam tutaturus. In primis narrationem sic assuis superioribus concordem: vis esse è Dominicanis admi-nistros in aula Pontificia magistrum sacri Palatij, & inquisitionis sanctæ Commissarium, cum agitur de er-roribus Dominicanorum, *neque enim moris est in hara, pecudem congeneri pecudi infestam esse, nisi de pabulo, aut sede meliore agatur, vel de lucello in ludo nocturno; qualis ille in quo Auenione ante annos quadraginta, cum Frater Stephanus Dulcis eas insulas teneret, vnus improuidus, & malesanus, in calore (verius æstro) ludi serotini socium Cyriacum colluſorem ludi legum contemptorem, adacto cultello longo quo erat præcinctus pluribus annumeratum fecit. Heu heu! premantur talia horrificat ac ne in sæculo quidem toleranda.* Non habent quod con-querantur de nobis delicatiores, & Theophilo addictis-simi, illum vel olim superstitem, vel modo è viuis su-blatum acerbius haberi, quamuis aliud nihil scripsisset, quam quæ ex illo retulimus, in quibus nescias an plura,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [130] - 110
PUBLIC DOMAIN

an grauiora peccauerit, contra omne fas iusque diuinum, & humanum.

Non dicam, Theophile, te cum grauissimâ noxâ charitatis, à quâ heu timeo ne omnino excideris, refricares rem ex hominum memoriâ ita deletam, vt ipsemet, per triennium Auenione moratus nihil omnino, nisi ex tuo primum libello huius tragædiæ didicerim, quæ aliquid infortunij, nihil habet culpæ, vt modo adiungam. Deinde per summam fraudem ne dicam improbitatem casum, qui ex mero iuuenili ludo contigit vis profectum à studio, & calore, seu, vt ipse loqueris, ab œstro ludi alearum, aut taxillorum, & inde captandi lucri. Illud solum addam te nedum læsâ Charitate, & iustitiâ, quæ vera interdum occultare iubent, & occulta prohibent euulgare, sed ipsemet historiæ veritate, aut veritatis lege enormiter violatâ, historiam texuisse, cui post tot corruptelas reticentiam Rhetoricam, aut potius malignam addidisti, his verbis tragicis. *Heu heu! premantur talia horrifica, ac ne in sæculo quidem toleranda.*

Ita est sane, mi Theophile, & dubius hæsi, an ab historiâ ex vero referendâ abstinerem, ne vnquam futura sæcula audirent te rem nullius culpæ conscium, solo infortunio lamẽtabilem, tot tragicis vociferationibus, tot fraudibus ad inuidiam, & infamiam nostram corrupisse, vt premantur talia horrifica, nec in sæculo toleranda, sed à te non à nobis admissa. Res ita se habuit. Erat quidam senior ab ætate, vel ab indole delirus, quales est vbique reperire, ijs maximè locis quibus venti crebriores vrunt, & desiceant corpora, is tamen eâ specie stultitiæ laborabat, quæ à rabie, & furore remotissima opportunior erat ad iocos, & ad risus, quibus cum iuuior quidem nimis indulgeret, voluit seni noctu, quodam meditato ludo terrorem incutere: ille ratus sagam, aut phantasma esse, cum ad manum per infortunium cultrum habuisset, impegit ictum adolescenti, ex quo vulnere aliquot post diebus mortuus est. En, Christiane lector, historiam tot coloribus fucatam, tot figuris Rhetoricis ad odium Dominicanorum relatam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Responsio ad postremam Diatribæ partem.

LIbrum inscriptum Theatrum Iesuiticum, cuiuscumque sit Authoris non probo. Non credo tamen illius authorem Dominicanum fuisse. Excessit qui illum scripsit metas inculpatæ tutelæ. Scriptionis autem hanc fuisse causam audiui. Excerpsit nescio quis ex Theologiâ morali Patrum Societatis centum circiter & triginta propositiones, quos Dei Decalogo aduersari censebat: Pattū Societatis defensionem suscepit alius quidam Apologista, & hoc maximè nomine defendit, quod Patres Iesuitæ totam hanc doctrinam à Dominicanis hausissent (quod de quibusdam alijs laxioribus opinionibus scriptor nescio quis nouissimus per consequentias remotissimas, & violentas conatur ostendere:) Dominicanos voluit Theatri Iesuitici Author, ab hâc societate, cum extraneis ab illis opinionibus & à Calumnia vindicare; sed studio defensionis abreptus, eius metas excessit: Nam vbi Dominicanos ab illâ suspicione omnino liberauit, Patres Iesuitas non solum scriptis, sed etiam multis rebus gestis probatum voluit, huius esse doctrinæ, & subinde multa euulgauit, quæ siue falsa, siue vera vulganda certe non erant. Et ideo summè laudo æquitatem nostri illustrissimi Tapiæ, qui (si verum est quod refers,) in illum librum idem, quod Senatus Tholosanus, & Aquensis in tuum, Theophile, iure potiori statuit, vt scilicet manu carnificis flammis absumeretur.

Summa seueritas aut potius æquitas in hoc libro damnando Archiepiscopi Hispalensis, dubiam apud me facit, valdeque suspectam responsionem, quâ dicitur excepisse quemdam inter disputandum de gratiæ auxilijs efficacibus sic insultantem, *iamdiu fuerunt & viuere desierunt qui hæc paradoxa propugnabant*: Cui à Tapia dum Complutensis Academiæ primarium Theologiæ Professorem ageret, repositum mihi quidam narrabat; *ita est, huius meæ sententiæ vindices cum miracu-*

lis

lis, impugnatores sine Sacramentis, viuere desiere. Asperius dictum censeo, quam vt potuerit tantæ sanctitatis & prudentiæ viro excidere; quamuis interdum ab hominibus, alias vitæ exactissimæ, nescio quodam veritatis, aut auitæ doctrinæ studio, nonnulla prodeant verba duriora: quod eidem Archiepiscopo, cum aliquando disputationis æstu abrepto contigisset; ferunt ab aduersario acutè & falsè hâc prudenti monitione castigatum: quam miseret me, inquit, huius corpusculi? (manum & oculos dum hæc diceret in Tapiam intendebat:) quia certus sum proximâ nocte cruentissimo flagello pœnas festinatas daturum, horum quibus excipior verborum, quæ otiosis accensenda sunt. Paucis concessa est, quam in D. Thomæ scriptis miramur æqualitas, & moderatio, etiam erga impios, quos non aliis sibi permittit lacessere, quam argumentorum telis, omni verborum asperitate semota. Erubuit Tapia hâc iustissimâ monitione, illumque dicti pœnituit: sed Deus sanctioribus etiam patitur aliquas adhæresce labeculas, vt de se sentiant demissius, nec virtutibus efferantur. Hæc extrà locum de Tapia non sine aliquo fructu narraui, aliis locis aut memorato, aut celebrando.

Sed ad Theatrum & Petrum redeamus. Vbique consuetas fraudes misces. Theatrum Iesuiticum vis Romæ in Cœnobio Mineruæ excussum typis, vt ais, fraternis, hoc est domestico prælo ad vsum sancti Officij concesso. Ridenda potius quam refellenda calumnia; cùm nec in Cœnobio Mineruæ fuerit vnquam aliquod prælum, nec sanctum Officium proprium vnquam habuerit: Nam quæ ad sanctum officium pertinent, à Typographo Cameræ Apostolicæ edi solent. Quare quæ his probandis adducis, mera sunt deliria: certè posses pari verisimilitudine dicere apud nos extare officinam, non solum cudendis libris; sed etiam falsandæ monetæ, nec tibi deessent domestici, quos in delatores & testes aduocares vtriusque criminis; à quo perinde remoti sumus, sicut à sensu communi, & ab omni pudore, qui nobis hæc portenta obiecerint. Nec pari temeritate cares, dum Theatrum Iesuiticum dicis Goliathi spurij manu fuisse exaratum. Nosti Theophile, qualem quantumque principem voces Goliathum spurium, & quam facile illi

esset, in te longas manus extendere. Sed parcit, credo, generosissimus princeps, nec ignoscere videtur, sed nec omnino agnoscit aut sentit, nempe extra omnem teli ictum positus sua magnitudine tutus.

De Anagrammatibus ab Eusebio Nierembergio ex Summi Pontificis nomine, vel à Carolo Iouio ex Eusebij nomine, vel à te ex ipsius Iouij exculptis, nihil dico; nisi quod solebat Cardinalis Iulius Mazarinus dicere de huiusmodi artificibus; eos pro laborum suorum præmio ad triremes damnandos esse. Valde quidem accommodatè ad suum ingenium, ne eos, qui se maximis negotiis implicatum huiusmodi anagrammatibus vexabant, videretur indonatos prætermittere, excogitauit nouum remunerandi genus, vt scilicet ad munus triremium pœnam illis cõdonaret, quas suo iudicio commeruerant. Itaque permitto tibi opus hoc prẽmio dignũ, nec tibi inuideo adeo fœlicem ad nugandum venam.

At si Eusebij Nierembergij anagrammata commendas, & ex eo bona portendi dicis, audiui repositum aliud anagramma purum: nam vbi Nierembergius ex his verbis, *Sanctissimus Pater, & Dominus Alexander Papa septimus; qui erat antea Fabius Chisius*: hoc anagramma collegit; *Quartus è senis Papa, Dei Matri Charissimus, ipse labem Ada non fuisse statuat: tunc pax.* Fuit qui reponeret aliud anagramma purum; *Quartus è senis Papa, Diuum Thomam bene scripsisse de filijs ira statuat: tunc sana pax*, collectum ex iisdem verbis, *Sanctissimus Pater, & Dominus Alexander Papa septimus, qui erat antea Chisius.* Hoc secundum anagramma purum est non Nierembergij, cum desit vnum E. Iniurijs, & contumeliis atrocissimis quas occasione huius anagrammatis in Carolum Iouium, & Dominicanos audacissimè iacis, opus non habeo respondere; nisi hoc vnum, suo Authore digna esse.

SECTIO QVARTA.

Vindicantur Dominicani ab ambitu honorum & liuore in bonos, contra Diatribam octauam.

MIRVM est, Petre, te ad externa, & aliena adeo acutum, & perspicacem esse, & ad proprium

morbum omninò cæcutire, & ſtupidum eſſe, ac inſenſibilem: honoris tui gratiâ commouiſti totum orbem, vt defenderes tuum libellum de corrore populari, de communione pro mortuis, quibus magis proficere dixiſti conſenſus, vel, quod idem eſt, amplexus maritales, quam quæcumque pia communio per ſe exigit. Amore huius ſententiæ tuæ, ne dicam falſæ, ſed fere impiæ, ſacrilegæ, cuius causâ transfixus eſt tuus liber, totum orbem decurriſti, vt haberes ſocios aut defenſores tui erroris: concuſiſti omnia more turbinis, vt iniuriam, quam tibi illatam putabas vlciſcereris; viuos tuis calumniis fatigaſti, at mortuos conuitijs proſcidiſti; nec adhuc ceſſas, & ſentimus tui liuoris acerbitatem, quæ etiam Iudaici in Chriſtum amarulentiam pene æquat. Tui ſtuporis cauſa in promptu eſt. *Elementa*, vt vulgo dicitur in propriis locis non grauitant. Vitium liuoris, & maledicentiæ à naturâ innatum, ſtudio confirmatum eſt, non poteſt aſſuetus malo deſinere perueršè agere, nec bonos continuò vexare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Dominicani ad ambitu remoti ſemper ſtuduerunt de omnibus bene mereri.

Dominicanos hâ Diatribâ duplicis criminis accuſas, primò ambitus honorum, ſecundo æmulationis & odij, quaſi nobis congeniti in bonos omnes. Primam calumniam probas teſtimonio cuiuſdam Domeſtici Abbatis Vallumbroſani, *qui diù*, inquis, *inter Dominicanos verſatus referebat illorum à ſupremo ad imum & à primo vſque ad vltimum cogitationes, verba & opera, promotionem, ac primatum redolere. Itaque*, inquis, *ſchola humilitatis facta eſt ſchola captandorum honorum.*

Adiungis ſecundum argumentum à contentionibus Dominicanorum, cum reliquis omnibus Ordinibus, etiam cum Clericis, & Canonicis regularibus, & affectaſſe ſedes in Conc. Trident. ante quoſcumque Generales. Addis tertio ex eodem fonte manare indictionem ſilentij omnibus, qui quoquo modo velint obſtrepere,

receptis apud Cyriacos placitis, etiam inexplicabilibus; qualis est concordia libertatis cum præmotione, quam iubemus credere his, qui non intelligunt: atque tribus his argumentis probas nos ambitione laborare Pharisaicæ pari.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Dominicanorum à dignitatibus fuga pluribus exemplis confirmata.

NEscio vnde hunc morem hauserint Dominicani; ad minus non excepere suo à Patre, qui moriens hæreditariam reliquit paupertatem, & humilitatem spiritus, quam filij minimè degeneres adeò tenaciter seruarunt, vt Epistolam Vmberti quinti Generalis supra retulerimus ad Albertum Magnum scriptam, quâ illi Archiepiscopatum Ratisbonensem non recusatum improperat, tanquam vitæ præteritæ maculam, & quasi Religionis proditionem, ac ruinam: ergo patres nostri ab incunabulis imbuti sunt humilitate, & non ambitione.

Testes sunt primus Cardinalis Ordinis Hugo à S. Caro, & vltimus Pontificum Pius V. hic electus in Pontificem expalluit, & pene in deliquium incidit: & rogatus causam, ingenuè dixit; *Cum essem Religiosus Ordinis S. Dominici optimè sperabam de mea salute; creatus verò Episcopus cœpi de ea formidare; nunc verò electus in Pontificem pene de ea despero; quomodo enim Deo rationem tot millionum animarum, quot sunt in toto orbe, reddam, qui vix vnius animæ meæ rationem reddere valeo?* Quid vero Hugo Card. morti proximus? *Vtinam* inquit, *leprâ potius, quàm purpurâ tectus vitam finirem.* Quid Benedictus XI. qui suis virtutibus ac meritis etiam inuitus ad Pontificatum euectus, humilitatem quam semper coluerat, etiam in supremo illo fastigio constantissimè seruauit? At inquies, antiqua sunt hæc Exempla.

Sed neque etiam recentibus caremus. Quis nesciat Petrum à Soto Episcopatum, & cognominem Dominicum, Segobiensem vnde natus erat, & alterum nomine Hurtadum, non qualemcunque, sed Toletanum Archiepiscopatum totius Ecclesiæ opulentissimum, à Ca-

rolo V. cui erant à Confessionibus oblatos recusasse? Nonne plures constantissimè in hoc dignitatum contemptu ad mortem vsque perseuerarunt? Quales fuere Oleaster, Forerius, Granatensis. At quibus precibus, quibus machinis cogendus fuit à Granatensi Bartholomæus à Martyribus ad Archiepiscopatum Bracarensem Lusitaniæ, & forte totius Hispaniæ primarium, quem à se octo annis ante mortem abdicauit?

Nec dicas hæc exempla esse alterius sæculi: non desunt nostri nupera, ac recentia: nonne Ioannes à S. Thoma, nonne Aragonius, nonne Tapia pluries recusarunt Episcopatus: & hic vltimus cum resciuisset consilio vnius ex aulâ procerum à comite Duce sead hanc dignitatem nominatum; conuenit Ducem Tapia, cui facie ignotus erat, & monuit illum grauissimè peccasse, delectu vnius hominis ad Episcopatum adeo rudis & inepti, vt nunquam illum Religio dignata fuerit vel minimo officio etiam Portarij.

Vbi Comes primum vidit principem, qui Tapiam commendarat, indicauit quæ acciderant, cum aliquâ suspicione æmulationis Fratrum, quasi ex inuidiâ vellent progressum Tapiæ hâc relatione remorari: sed vbi ex indicatione illius optimatis scitum est ipsummet Tapiam fuisse huius doli artificem, versa est suspicio in admirationem eximiæ humilitatis, cui pares reliquas virtutes Episcopo necessarias, sibi non defuisse huius dignitatis administratione sanctissimâ demonstrauit.

Quid de Patre Dominico à Rosario à duobus mensibus mortuo, quem tres Episcopatus recusasse, & titulum etiam Confessarij Reginæ Lusitaniæ cum officio fungeretur supra memorauimus, nec passum se nominari ad Episcopatum Conimbricensem, nisi eâ spe, quod nomen tantum, non reditus aut curam esset habiturus. Et adhuc Petrus inclamabit Dominicanos à primo ad vltimum, non nisi ad dignitates anhelare? An non illi multoque plures istis similes Dominicani erunt,

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Summa Epistolæ Humberti ad Albertum Magnum quâ hæc calumnia depellitur.

PLacet hîc summam, & præcipua capita attexere Humberti ad Albertum Magnum Epistolæ; quam merito dixeris immortale Dominicanorum modestiæ, & annalium monumentum. Illam inscribit *Charissimo in Christo Fratri Alberto Lectori Colonienſi*: sibi verò modestius & humilius nomen assumit, *Ordinis Prædicatorum inutilis seruus*, precaturque Alberto præter *æternam in Cœlo salutem*, *in terris radiandi glorioſis meritis & exemplis gratiam.*

Hâc salutatione & precatione oportunè præmissâ, exordium sumit ab incerto rumore quodam litteris Româ missis sparso qui ad aures suas peruenerit, & cordis etiam intima penetrarit, se vt loquitur *in direptionem interminabilem funditus deiecturus, nisi de eius virtute concepta fiducia, & opinio nuncij atrocitatem eleuasset.* Relatum quidem illi est, præceptam Alberto à Summo Pontifice alicuius diæcesis administrationem; quæ cogitatio licet potuerit in mentem Pontifici venire, iis tamen qui Albertum probe norunt, incredibile videri, huic præfecturæ consensurum vnquam, & ordini quem suâ eruditione & sapientiâ illustrem fecit, immensam longo vitæ decursu comparatam vltimo actu gloriam maculaturum.

Addebat actum fore nedum de nostris, sed etiam de cuiuslibet pauperùm ordinis hominibus: nullos de statu humilitatis deserendo sollicitatos huic tentationi restituturos, si ipse succumberet, & nisi hoc honore detrectato, cæteris suo exemplo præluceret. Sæcularium inde graue scandalum impendere, quibus, si patiatur se abripi, persuadebit religiosos paupertatem non amare, sed ferre inuitos, quasi graue onus, quam primum data occasione abdicandum. Obsecrat ne moueatur Consiliis, & precibus procerum aulæ, vt quamprimum pareat: cum huiusmodi iussa apud illos cito & facilè in ludibrium soleant verti. Rogat etiam ne frangatur labo-

ribus Ordinis, qui omnes suos alumnos vniuersim diligit, & honorat; sed de illo præ cæteris in domino gloriatur: quamuis enim grauiores essent huiusmodi molestiæ, magisque inualituræ, aut alios fatigare possent & deijcere, non ignorabat quâ ipse alacritate giganteis humeris esset laturus.

Addebat ne flecteretur præceptis Pontificiis, quæ neminem ex animo reluctantem cogunt, nec sanctam hanc ad tempus minimè audientis & contumacis assumptam personam cuiusquam læsisse, sed verius auxisse famam. Subiicit illi exempla eorum, qui se ad hæc dignitatum fastigia, & prærupta trahi permiserunt, vt attendat, quæ illos opinio, quis fructus secutus sit, & quem tandem habuerint exitum: recogitet quam difficile sit in administratione Ecclesiarum Germaniæ offensionem Dei, vel hominum denitare: & cum Scriptura sacra illi semper in deliciis fuerit, & huic legendæ commentandæ, ac conscientiæ puritati studuerit semper; seque totum impenderit; quâ ratione patietur se negotiis sæcularibus implicari, & in periculis peccatorum continuò versari. Si fructum animarum obtendat, monet eâ status mutatione non augeri; sed prope infinitos perire, quos non modo in Germania, sed per totum orbem cum famâ & exemplis, tuum Librorum scriptione edebat certissimos; quos vero Episcopus sit facturus, dubios & esse & fortè nullos.

Iubet etiam attendere, Ordinem è multis calamitatibus, & insectationibus æmulorum, ipsiusmet operâ saluum euasisse; & maximâ in pace frui eius laboribus partâ, & se timere *ne in pace amaritudo fiat amarissima*, & ipsius prouectione, aut verius casu in profundiorem calamitatum & mæroris abyssum delabatur. Et tum addit quod iam rétulimus votum, *vtinam dilectum fratrem meum, potius audiam feretro quam sede Pontificiâ elatum*; ne inquit *amissâ spe firmitatis atque constantiæ in Alberto maximè posita, cæteri fratrum cum mœrore de hoc sæculo recedant: Flexis itaque genibus cordis, per intemeratæ Virginis, eiusque Filij humilitatem adiurat, ne statum humilitatis & paupertatis votiuæ dimittat*: & quod dæmonis superbia & versutia in plurimorum damnum & scandalum molitus est, in caput eius recidat.

& redundet, ad Ordinis & Alberti gloriam, & salutem. Concludit: rescribe quamprimum, quæ nos omnesque fratres solentur & eruant à mærore.

Ex hac Humberti Epistola certius Lector, quam ex Theophili libris intelliget, qui fuerint à primâ institutione Dominicanorum mores, quis honorum non ambitus, sed horror: atque huius institutionis multa supperunt, & dedimus exempla, nedum primæ, & mediæ; sed postremæ etiam corruptioris ætatis; quæ non omninò deletam ex animis recentiorum monstrant hanc parentum nostrorum auitam virtutem, & gloriam.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Leuiores aliquot eiusdem generis calumniæ refelluntur.

SEd de primo inquis, cum aliis Ordinibus Gradu contendunt: cur damnas illos seruare locum iure antiquitatis comparatum, quem ipse, & alij vultis conscendere, nullo vobis iure debitum? Videris mihi velle imitari parasitos, & helluones, de quibus Plutarchus narrat, si quod ferculum, aut edulium mensæ apponeretur delicatius, cui maximè inhiarent, solitos in illa expuere, vt reliquos conuiuas his sordibus absterrerent ab huiusmodi cibis, & se se illis ingurgitarent. Sic tu, Petre, ius ad primas sedes damnas, quasi aliquid pharisaicum, & ipse in illa vis obrepere, imò quidam iure contendunt vobis deberi, quod Clerici sitis & Religiosi; vt hoc vltimo nomine Mare magnum ingrediamini priuilegiorum, quæ singulis Ordinibus concessa sunt: altero vero titulo Clerici regularis, Religiosos omnes antecedatis: Certè Dominicani sunt primi iure antiquitatis, & in Ecclesiam meritis non sunt postremi. Nescio an in Concilio Tridentino locum, quem dicis obenderint: Vnum scio, Laines, & Salmeronem, vbi primum ad Concilium accessere, postremo loco, qui illis, vt institutione vltimis debebatur, honoratiorē expetiisse.

At, inquies, nostri non patiuntur se promoueri ad dignitates: id laudo, si ex humilitate fiat, non ex maiori fastu. Extranei vnius testimonio asseruit Petrus, Do-

minicanos omnes ad vnum honores ambire; at nos licet firmiora habeamus testimonia, non tamen audemus quasi certum dare, quod circumfertur vobis persuasum; penès vos esse Ecclesiæ dignitatum dispensationem, & præstare facere summos in Ecclesiâ Præsules, quàm easdem summas dignitates habere: Si ita sit, quod certè nolim credere, dicerem cum Chrysostomo, illud verbum, aut factum esse totius superbiæ, & infinitis partibus ambitionem maiorem illâ, quâ nos malitiosè grauas.

At, inquies nos tyrannidem exercere, impositio silentio omnibus qui obstrepunt nostris placitis, licet sint inexplicabilia. Infelix esset nostra potestas, si tentaremus silentium aliis imponere, & omnes captiuare ad obsequium nostræ doctrinæ; cum hoc imperio exasperentur homines, loquaciores fiant, & magis à nostrâ sententiâ alieni: hoc solum dicimus, frustra vos gloriari, ita vestris inuentis vos valles implesse, complanasse montes, vt viam possint etiam pueri inoffenso pede decurrere: Ita est certè illis, qui credunt à vobis dicta, etiamsi non intelligant. Verum quæ superiori examine retulimus de triplici statu controuersiarum, demonstrant, vos maximè difficultatibus vrgeri, à quibus minus vos expediatis, quam nos illis quas inijcitis, & quibus putatis nos implicitos teneri.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Studium Dominicanorum benemerendi de omnibus.

PVrgauimus nostros ab ambitione, & liuore, ex quo natum dicit Petrus secundum malum, scilicet odium Dominicanorum in viros illustres, inter quos Petrus pro suâ singulari modestiâ ac virtute, se ipsum numerat cum Poza. Hi autem si adiungas aliquot à Petro omissos, à Ludouico nominatos, accedent ferè ad viginti quinque.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [141] - 121
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Aliquot exempla Dominicanorum in alios charitatis.

SEd antequam ad singula respondeamus, producam non solum singulares homines, sed ordines integros, Gentes, & Nationes, quæ testabuntur Dominicanos non liuore lacessendi bonos, sed de omnibus bene merendi studio semper flagrasse. Plurimum tibi debemus, Petre, quod inuidiosam per se nostrarum laudum & effusissimæ in omnes Charitatis commendationem à nobis inuitis extorqueas, vt tuam Calumniam refellamus; ac proinde boni consulent omnes, quæ de nostrorum hominum beneficiis in totum genus humanum dicturi sumus; neque id à vanæ gloriæ studio, sed à necessitate auertendæ infamiæ profectum agnoscent; quare cum Apostolo dicam, *si voluero gloriari non ero insipiens.*

Nolo priuatos numerare, quibus præsidio, & adiumento fuerunt Dominicani, quia nullus est illorum exemplorum, aut Beneficiorum finis. Innumeras vastissimarum Indiæ Regionum nationes contra te, Petre, vltimo iudicio insurrecturas, etiam nunc hodie in testes aduoco, tamquam in calumniatorem, quod odij in bonos accuses Dominicanos, qui suam defensionem suscepere. Bartholomæus de Las Casas, Victoria, Bannes, alijque innumeri pugnarunt contra politicorum consilia, contra Regiorum Ministrorum auaritiam, & crudelitatem, qui eò deuenerant inhumanitatis, vt bestiis accedere magis censerent Indos, quam hominibus, ac proinde citra vllam culpam posse haberi vt feras, opprimi, spoliari bonis, occidi.

Qui liberius Regum ambitionem? Qui Præfectorum tyrannidem arguerunt? Qui denique tot gentium oppressarum patrocinium susceperunt, quam à me nominati Dominicani, nulla alia mercede, quam indignationis principum, aut bene facti conscientia? Horum quidem populorum lachrymas & gemitus in

Europam detulerunt Patres noſtri: ſed nullæ hactenus inde contra ipſos huc querimoniæ peruenere, quod auaritiæ inhiarent, quod è Religioſis, aut Apoſtolicis prædicatoribus in mercatores euaſerint, aut in Tyrannos; quod populos vexarint, quod Epiſcopos conculcarint. Numquam auditum eſt de noſtris, quod nuper per ipſi vidimus conſpiratione populorum Miſſionarios nauibus impoſitos ex Indiâ in Europam remiſſos.

Sed vt ad ea, quæ nobis propiora accedamus; quis vmquam Ordo fuit noſtro propenſior in alios? Eorum profectus perinde ac ſui curam habuit? Quis neſciat Ordinem à Mercede captiuorum à ſancto Raymundo inſtitutum? Vnde Clemens Octauus in Bullâ Canoniſationis ſancti Raymundi, ſic ait: *Quare hi* (ſcilicet Iacobus Aragoniæ Rex, & Raymundus) *collatis inter ſe conſiliis & conſentientibus animis, Ordinem Beatæ Mariæ de miſericordia, ſeu de Mercede Redemptionis Captiuorum fundauerunt; cui Beatus Raymundus certas viuendi leges præſcripſit ad iſtius Ordinis vocationem accommodatiſſimas.*

Noſter etiam ſanctus Petrus Veronenſis qui poſtea Ordinem noſtrum, & Eccleſiam ſuo Matyrio illuſtrauit, pro Seruorum B. Virginis clariſſimrâ Religione egregiam nauauit operam, & diligentiſſimè examinatis, ac recognitis eius Ordinis Religioſorum moribus, ac regulis, vt Innocentius quartus Summus Pontifex præceperat, eumdem Summum Pontificem, de huius Religionis optimâ inſtitutione certiorem fecit, & apud eumdem Pontificem Seruorum Ordinem ſummis laudibus iuuit. Quare officium ſancti Petri Martyris habet Ordo Seruorum ſub ritu duplici, in Conſtitutionibus ab immemoriabili tempore celebrandum; eidemque ſancto Petro, ac noſtro Ordini Religio Seruorum ſummè ſe obſtrictam profitetur; de quo videri poſſunt Annales Seruorum Centuriâ primâ, libro ſecundo capite quarto.

Sacras etiam Religiones authoritate Apoſtolicâ reformarunt noſtri, & ad priſtinum ſplendorem reduxerunt, inter quos Hugo à ſancto Theodorico Cardinalis, & Guillelmus Epiſcopus Antacanenſis, ambo ex

Ordine noſtro, circa annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum Leges & Conſtitutiones PP. Carmelitis Calceatis præſcripſerunt authoritate ſibi ab Innocentio quarto data, vt refert Caſtillus primâ parte ſuæ Hiſtoriæ, libro ſecundo, capite vigeſimo quinto.

Quoad illuſtriſſimam etiam Carmelitarum diſcalceatorum Religionem, notum eſt, quantum in eâ fundanda iuuerint Dominicani ſanctiſſimam eius matrem Thereſiam. Ipſa teſtis ſit & ipſa loquatur: Non eſt opus alio præcone, quam ipſiuſmet diuæ Virginis Thereſiæ ſcriptis, vt toti orbi innoteſcat, quæ in ſui Ordinis inſtauratione conſilia, adiumenta à Banneſio, aliiſque Dominicanis receperit, qui perinde illius doctrinæ ac ſanctitatis famâ, atque amplitudine inſtituti, ac ſui Ordinis Celebritate gloriantur. Inde illa amantiſſima Beati Ludouici Bertrandi ad ſanctam Thereſiam Epiſtola, veluti à Propheta ſcripta, quæ illi denunciat, Ordinem, quem ibat inſtauratum, intra quinquaginta annos futurum in Eccleſiâ omnium virtutum, & laudum genere florentiſſimum. Sed qua ingenij amœnitate, quibus leporibus, ſuum in Dominicanos gratum animum, & ardorem ſignificat, vna ex ſuis Epiſtolis, quâ *Dominica in paſſione* ſibi nomen aſciſcit? Id eſt quaſi tota affectu in illos ferueret: quem nominis ſenſum accomodatium aliis linguis ineptum, eleganter effert linguâ Hiſpanicâ, quod enim aliis idiomatibus deriuatur à Dominico nomen primigenium eſt idiomate Hiſpano, & lepidiſſimè ſe *Dominicam in paſſione*, id eſt, ex animo totoque affectu Dominicanam eſſe profitebatur.

Leonardus Marinus Archiepiſcopus Laodic. qui & Lanciani Archiepiſcopus fuit, Conſtitutiones, & regulas R. P. Bernabitarum ex delegatione Apoſtolica inſtituit ac ſtabiliuit. His etiam nouiſſimis temporibus P. F. Timotheus Bothonus Dominicanus vir pietate, ac doctrinâ inſignis, qui pluribus annis Ducibus Sabaudiæ fuit à Confeſſionibus, iuſſu, & authoritate Sixti quinti, Religionem Silueſtrinorum viſitauit, & reformauit circa annum 1587. & P. F. Paulinus Bernardinus Nobilis Lucenſis Dominicanus eximiæ vir pie-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [144] - 124
PUBLIC DOMAIN

tatis, Congregationem illam quæ Matris Dei appellata est, sua opera nascentem iuuit. Vnde Paulinum, ceu singularem benefactorem, ac veluti fundatorem eadem congregatio veneratur, eiusdemque Paulini Effigiem, cum hoc elogio inter suos habet; *Paulinus Bernardinus Prædicatorum Ordinis grande ornamentum, Congregationis nostræ, nec dum affulgentis spe eius condendæ, Leonardo Author fuit: mox aggredientem consilio, manu, authoritate iuuit, rexit, confirmauit. Itaque Congregationem Bernardo, huic Leonardum debemus.*

Et ne vllum videar prætermittere Ordinem, nonne cum Carthusianis, cum Cistercienſibus, cum Hieronymianis, Augustinianis perpetuam, & arctam amicitiam colimus? Nonne Constitutiones nostræ iubent pacem seruare cum Franciscanis? Et si præterita tempora repetantur, certum est controuersiarum originem fuisse ab his, quibus aura popularis afflabat.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Dominicani etiam de Societate benemeriti, & de insigni quorumdam humanitate.

SEd numquam atrocius lacessiti sumus, quam à Ludouico, qui cum in Epistolâ ad Lectorem fuisset pollicitus lenitatem; adeo sui promissi oblitus est; vt capite 13. scripserit, nos aduersus Iesuitas, plus quam Vatinianum odium concepisse, & ex liuore nascentem Societatem obruere voluisse; quod fortè aliquid luminis inde defluueret.

His pauciſſimis verbis Ludouicus Petrum penè æquauit, & calumniæ, ingrati animi vitium adiunxit. An Dominicani voluere vnquam & extinctam Societatem, qui eius institutum totis viribus propugnarunt, & auxerunt? Nonne Mathæus Ori inquisitor Parisiensis sanctum Ignatium à furore æmulorum, à rabie scholasticorum eripuit? Et si vnus Canus ex nostris fuit Societati minus fauens, nonne ex eâdem familiâ insurrexerunt pro Societate innumeri; in Hispaniâ Bartholomæus Tortes Episcopus, Mantius à corpore Christi Complu-

tensis & Salmanticensis Professor ? Nonne Leonardus Marinus nuncius apud Regem Catholicum potentissimè Societatem protexit ? Quid Ludouicus Granatensis in Lusitaniâ ? Nonne Societatem perinde charam habuit, ac suum Ordinem ? Amplissimis laudibus eius institutum, eius martyrem Campianum Inductione ad symbolum fidei prosequutus est, & apud Reges summa qua valebat gratia, commendauit ?

Quid Bartholomæus à Martyribus ? Nonne Conuentum Vianæ, & Collegium Bracharæ suis expensis Societati extruxit ? Et cum ad Concilium Tridentinum vocatus, vtrumque ædificium reliquisset imperfectum; suo Vicario Generali ex ordine Religioso, vt prosequeretur iussit, & parem vtriusque ædificij curam haberet, pari incremento promaueret; vnde Tridentin. illi scripsit : *si duorum ædificiorum vnum plus altero vrgeas, & copiosius expendas in Conuentum, quam in Collegium, denuntio tibi, te agere contra meam mentem.* Vide Dominicanos, qui odio Vatiniano Iesuitas infectabantur.

At certè non erant in eâdem sententia cum Ludouico primi Patres Societatis, qui experti fuerant effusissimam patrum Nostrorum in se Charitatem. Testes sunt inter reliquos Henriques, Rubius, & alij : haud scio, an fuerint vnquam bono, aut doctrinæ Ordinis vlli nostrum istis addictiores ; nempè experti fuerant Vatinianum illud odium Torres Mantij, Granatensis &c Sed ne quid grauius dicam, malè respondet Ludouicus his beneficiis, & ad minus se ingratum testatur. Sed habet animum principum, qui iniuriarum memores, beneficiorum obliuiscuntur, & nullos peius oderunt quam quibus Regnum, & vitam debent.

Si Dominicani in viros illustres liuidi, & maligni fuerunt, ita inuidus fuit Conradus primus ex Ordine inquisitor in Germania qui D. Elisabetam sanctitate quâ in totâ Ecclesia elucet, instituit Oedini Franciscanorum, qui saltem illam suis Diuis annumerat ?

Inuidus fuit Guillelmus Petit Episcopus Trecensis, Regibus Galliæ à Confessionibus, qui seculo renascentium scientiarum Mæcenas fuit omnium literatorum, vt testantur tot libri, qui ex prælo Ascensiano prodierunt, vel à viris doctis illi dicati sunt, quibus tamquam

litearum præsidium, & ornamentum summis laudibus extollitur. Inuidus fuit Pius quintus, qui Surium suis literis dignatus est laudare, & ad honestum studiorum laborem perhortari; qui non putauit esse infra culmen sedis Apostolicæ, Ronsardo principi Poetarum Gallorum gratias agere, quod elegantissimo Carmine hortatus fuisset Galliæ populos, ne à fide auita discederent. Inuidus Granatensis, qui cum suis libris esset toto Orbi Christiano celeberrimus, non est dedignatus Thomæ à Kempis, & Ioannis Climaci interpretem agere, & Ioannis D'Auila Concionatoris Apostolici vitam scribere.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Charitas Dominicanorum in omnes, pluribus extraneorum testimonijs comprobata.

NVllum laudis genus purius, minúsque suspectum eo est, quod extranei non modò non inuident, sed etiam nolenti conferunt, aut non cogitanti. His gloriæ monumentis abundant Dominicani, quæ ad illorum commendationem faciunt: plura reperies in extraneorum, quam in domesticis Annalibus: ex illo genere prope sunt infinita, eóque pertinent quæ iam attigimus: nonnulla etiam illustriora addam.

Primum suggerit Arnauldus Ferronius rerum Gallicarum scriptor elegans, qui Pauli Emilij Historicorum huius sæculi, teste Lipsio facile principis, imperfectum opus excepit à Carolo VIII. & ad initia Henrici II. prosecutus est: ille ad annum salutis 1544. & ad finem regni Francisci primi rem narrat à nostris omnino tacitam, licet nobis glorioſissimam. Flagrantê bello cum Carolo Imperatore fere ad portas Lutetiæ, cum ingenti exercitu grauissimam cladem minitante, *iniecta* inquit *inter reges fuit pacis mentio, Gabriele Cosmano Hispano, vno è sodalium Dominicanorum cœtu, vtrinque in castra vicina cursitante. Hunc gallici Scriptores putant, in eam rem à Ferdinando Vngariæ Rege delegatum; alij à nepte*

Cæsaris, quæ Lotharingiæ principi nupserat, simul ab aulicis aliquot potentioribus, inscio Rege, missum pacis putant authorem fuisse. Illum Galli pugnæ auidi agrè cursitantem intuebantur, vix ab eo manus temperaturi; ni Ennebaldus prohibuisset, qui & ipse cum Francisco Errantio Chemantio iuris prafecti locum tenente, in castra hostium venit: tandem inita est pax.

Miror patres nostros adeò incuriosos rerum à suis gestarum; vt istius post hominum memoriam celeberrimæ, & reipublicæ Christianæ eo potissimum tempore, cum hæreticorum furor tantum ad desperationem non vergebat, imprimis necessariæ, ne meminerit quidem vllus eorum quos legi.

Ab vno è nostris excepi, quasi hæreditariâ traditione, Cosmanum missum ad tentandam, & vrgendam pacem ab alio Dominicano, qui Cæsari à Confessionibus aderat, illique absolutionem negauerat; nisi à Galliâ inuadendâ abstineret, & pacem æquis cum Francisco conditionibus iniret: quod veri specie non caret, nec summâ nostrorum laude, sed alto silentio reipræclarissimè gestæ prædicat Dominicanos adeo ab alienæ gloriæ inuidiâ, vel odio, quod illis perpetuum vitium affingit Theophilus, remotos esse; vt propriam etiam videantur aspernari.

Ab istis nihil dissentit Scipio Duplex; imo narrationem Arnauldi Ferronij paulò obscuriorem apertius interpretatur. Ait enim Gabrielem Cosmanum à Confessionibus fuisse Ferdinando Regi Hungariæ, qui iam à Turca regno spoliatus, cum sibi, & Austriæ, ac toti Germaniæ à potentissimo hoste timeret, misit Cosmam ad Fratrem Imperatorem: is consilio cum altero Dominicano qui Cæsari erat à confessionibus inito, pacem vtrique Principi persuasit rebus suis vtilem, & toti reipublicæ Christianæ necessariam. Hæc non longe à nostra ætate gesta, probant Dominicanos fuisse ad Confessiones Regum admotos, eoque munere præclare defunctos.

Non est prætermittendus eiusdem Familiæ Petrus Banquerius à Mezererio, nouissimo rerum Gallicarum Scriptore accurato, cum laude memoratus, ob defen-

sam

ſam ſummâ conſtantiâ Aurelianenſis Virginis à Tyrannis oppreſſam, ab omnibus etiam Theologis laceſſitam Innocentiam.

Illa tamen labentis imperij Gallici columen & præſidium, & ſuæ patriæ decus immortale, à Burgundionibus capta, & per ſummam perfidiam Anglis pretio vendita, Theologorum qui Pariſiis hæſerant ſub Anglorum Tyrannide, in illorum gratiam magicarum incantationum, & Valdenſium hæreſeos grauata, Bellouacenſis Epiſcopi, aliorumque nihilo Scribis & Phariſæis meliorum Iudicum ſententia, primum longæ inediæ & carceri perpetuo addicta, cum id genus pœnæ per ſe atrocis inimicorum crudelitati non faceret ſatis, mutato iudicio ad rogum viua lento igne abſumenda damnatur.

His vnus Dominicanus, cæteris aut præ ignauia tacentibus, aut inſontem per ſummam impietatem infectantibus, intrepido animo interceſſit, & publicis concionibus ſanctam conteſtatus, & à Deo vindicandæ patriæ miſſam miraculis illuſtrem, iudicibus Rothomagi, vbi crudeliſſimum, & nequiſſimum ſupplicium decreuerant, & iuſſerant inferri, diuini iudicii grauiſſimas pœnas comminatus eſt, & dictorum fidem breui diuina iuſtitia abſoluit: vnus illorum lepra corroſus, alter in cloacam caſu delapſus, loci fœtore enectus; tertius dum Virginis capillitium tondebatur, ſubita morte abreptus fuit. Nec felicius cum duobus iudicum nequiſſimorum ad Ludouici XI. vſque regnum ſuperſtitibus, ad patibulum damnatis actum eſt. Atque inde agnoſcet Lector prudens, nullo tempore, nullâ orbis Chriſtiani regione, defuiſſe Dominicanos; qui miſeris & inſontibus, etiam publicam damnationem paſſis, vti Daniel Suſannæ ad ſupplicium raptæ, inuicto non ſint animo patrocinati.

Eiuſdem generis licet diſparis gradus, de omnibus bene merendi ſtudium Dominicanorum, monumenta produnt prope infinita, aliarum religionum hiſtoriæ ſcriptores florentiſſimi, Orlandinus, & Sacchinus, & Silo; priores duo Societatis; poſtremus Patrum Theatinorum, paris eloquentiæ, ſtyli, & grati in bene meritos de ſe Patres noſtros hiſtorici.

Si Silo fidem habeamus, vix vlla religiosorum hominum societas est, cuius institutioni, incremento, & instaurationi fauerint impensius, quam suæ, cuius duobus Tomis Annales Liuiani sermonis copiâ, & elegantia complexus est. Diceres velle omnem suorum hominum gloriam in nos referre.

Clericorum regularium superioris sæculi prima institutio fuit Summorum Pontificum authoritate confirmata, anno 1524. opera Ioannis Petri Carrafæ, & B. Caëtani Thienei; quorum primus adhuc puer, semel & iterum à Patre furtim ad Dominicanos confugit, eorumque institutum ambiuit; sed vi paterna inde auulsus aut potius diuino consilio amotus fuit noui ordinis instituendi causâ seruato quandiu vixit affectu in Dominicanos; apud quos grati sui in illum testificandi animi à Pio V. honorificentissimè conditus fuit.

Caëtanum verò idem Scriptor refert nihil tentasse, aut fuisse molitum ad instaurandam nostro sæculo vitæ Clericalis formam, ab Apostolis inductam, nisi consilio vnius Dominicani in Confessarium delecti, cuius arbitrio regendum se permiserat: & cum potuisset maximum illud sanctitatis, & sapientiæ ornamentum suo Ordini comparare; diuinum tamen potius lumen, quam priuatum sensum, & affectum secutus iudicauit vir Deo plenus, Caëtanum Dei prouidentiâ potius electum nouæ instituendæ, quam antiquæ familiæ illustrandæ: ideoque assensus, author illi fuit vt diuinum supra se consilium impleret. Quare aliis non inuident Dominicani, vt criminatur Theophilus; sed cæterarum religionum perinde bonis fauent, & gaudent ac suis.

Nec Theophilo assentiuntur suæ Societatis Scriptores nominati, qui passim prædicant prope infinita Dominicanorum in suos beneficia. Equidem Orlandinus Mathæum Ori Dominicanum, Quæsitorem, sancti Ignatij, ad suum tribunal semel & iterum delati, non tam iudicem describit, quam vindicem & defensorem libri primi num. 70. & 98. Nec solum Parisiis & in Gallia D. Ignatium ab eo Dominicano humaniter & perhonorificè tractatum narrat; sed etiam libri a-

num. 31. illius testimonio Salmanticæ, & in Hispania & tutatum fuisse.

Ex Sacchino iam retulimus Bartholomæi Carranzæ cura inductam Toletum Societatem; pari beneuolentiâ licet minori authoritate illam prosecutum & iuuisse Petrum Esquiuelium ex Ordine Prædicatorum Cæsarauguſtæ Priorem, in eadem Ciuitate constitutum, cum summa grati animi significatione scribit Orlandinus libri 11. num. 63. his pene verbis, quæ ex illo mutuabor, qtia paris elegantiæ aut fidei non possum reponere.

Laborabant, inquit, *Cæsarauguſtani Collegij exordia, nec facile aliud fuit in Hispania domicilium, quod plures à principio fautores siue oppugnatores habuerit in fautorum primis, vel pietate animi, vel operis effectu Prædicatorum fuit Cœnobij prior Petrus Esquiuelius, religione vir & pietate magna: is cognito duos, qui soli de Societate tum Cæsarauguſta sedebant, discessum Ignatij iussu moliri, quod tanto interuallo nihil esset ad diuturnitatem constitutum; bonum è prima nobilitate numerum ciuium, quos propensiores nouerat suum in cœnobium conuocauit: tum longam accuratamque habuit orationem, de noua huius familiæ institutis & laudibus, edocens quantum ampliſſimo illi populo commoditatis afferre posset, & ad extremum adhortans, ne aliquot annos iam Cæsarauguſtæ hærentes Dei famulos paterentur domicilij & alimentorum inopiâ sedes alias quærere, nec recentis ordinis sua ciuitati, suisque posteris nouum hoc & ornamentum & præsidium abesse vellent. Valuit apud Liberales animos religiosa cohortatio, opesque suas operamque polliciti, inter se conueniunt, vt causam ad communem ciuitatis conuentum referendam curarent: conuocatur itaque in publicas ædes Concilium, eoque accessit Esquiuelius, quæque priuatim in suo cœnobio ad amicos, ea ad frequentem Conuentum sedulò agit, ac sine mora persuadet, vt idoneus conquireretur locus.*

Sed ne loci iniretur possessio, addit religiosos Carmelitas, vt suorum finium iura tuerentur, grauissimè contendisse; at Dominicanos non ita fuisse in Societatem comparatos, vt longius à suis sedibus semouerent, nec ea de causa litem illi mouisse; præter domos

quas Romæ, Parisiis, Tholosæ, aliisque locis, extrui nedum passi sunt suis proximas, abdicato iure de quo alii pertinacius contendebant; sed etiam illâ viciniâ lætari solitos, luculento demonstrat exemplo idem author libri 14 num 42. *Viennæ*, inquit, in Austria, *diuersabantur nostri etiam tum Dominicanos apud Patres, separata quadam cœnobij parte.* Nedum proximam ferebant, sed suis domibus vltro excipiebant Societatem Patres Dominicani, alieniſſimi à calumniâ quam Carterius & Theophilus inuidiæ in Societatem important atrociſſima: illique depellendæ nouum, nec minus superioribus luculentum suppeditat idem Author exemplum, eiusdem libri 14. num. 70. quam enim Carranza Toletanæ, Esquiuerius Cæsar-augustanæ Valentinæ constituendæ curam gesserunt Beatus Ioannes Mico, Francisci Borgiæ antequam Societati se adiungeret à confessionibus, cuius proinde suscipiendæ illi Author fuisse merito credi potest. Ille igitur doctissimus ex Dominicana familiæ Theologus: *qui perditos* (narrationem prosequitur Orlandinus) *interdum homines implicatissima conscientiæ, cum sani esse cœpissent, & suos mores componere, in animam induxissent; auxilij consiliique causâ mittebat ad nostros; majori cum Societatis laude, quam referre modestum sit: insignis vir ille fuit, & illius decus ætatis, quem miraculorum commendatione sanctitas illustrata beati vocabulo decorauit.* Addit Orlandinus, *maxime Societatis æstimatione sua authoritate consuluisse, dum à maleuolorum obtrectationibus eam vindicabat, eiusque rebus perinde ac si vnus aliquis de nostris esset, delectabaturi nec secùs ad eum nostri, quam ad parentem consilij auxiliique causâ confugiebant.*

Miconi Societatis Patronum adiungit sanctitate illustriorem, eiusdem Valentinæ ciuitatis æternum ornamentum, beatum Ludouicum Bertrandum; *Horum*, addit, *quo conspectior authoritas erat cum sua luce tum splendore per tot sæcula coruscantis familiæ; hoc majorem inde commendati sociorum labores in populis, ad eos iuuandos curandosque vim habebant.*

Nullibi gentium deerant Dominicani Patribus So-

ætatis; Sacchinus libri 8 num 110. paulò dissimiliorem se Petro probat dum Dilinguanæ Academiæ, in Germania prima decora refert in Petrum à Soto Prædicatorum ex ordine. Cuius opere, consilio, authoritati prima deberi fundamenta operis, & incrementa, vsque eo Otho Cardinalis Augustanus Collegij Fundator profitebatur; vt aliter neutiquam processurum in eum locum fuerit.

Taceo Collegium Braccharense Bartholomæi à Martyribus munificentia extructum & locupletatum, vt idem Sacchinus scribit libri 4. num 150. & ad commendationem, aut grati animi significationem in virum sanctissimum hæc habet. *Parente gloriatur Bracharense Collegium Bartholomæo de Martyribus. Is eius ciuitatis Archiepiscopus fuit è generosa S. Dominici Sobole eximium germen. Præsul omnibus Euangelica sapientiæ luminibus clarus, qui demum abdicata administratione, cœnobio sibique se reddidit: cuius & opera oppido salutaria duo extant: quorum alteri compendium Spiritualis doctrinæ, alteri stimulus Pastorum titulus est: vnde qualem seipse Canobitam, qualem Pastorem formarit est in promptu cognoscere. Societatem intimè norat iam inde ex eo tempore, quo Antonio Ludouici fratris Regis Filio notho, vnaque nostris aliquot iuuenibus Theologiam Eboræ explicarat; & vbi primum designatus est Antistes, ad Lainium scriptis litteris suam mentem de Collegio Societati extruendo aperuit.*

Is ipse sine dubio est qui Eboræ, vt refert idem Sacchinus eiusdem libri num. 136. cum aliis Dominicanis tanta charitate, & modestia habuit Franciscum Borgiam; vt totius quadragesimæ diebus Dominicis, in templo vrbis Principe rogarint vt concionaretur; iurique multorum annorum consuetudine adepto illius suggesti decesserunt; rati è Dei maiore gloria fore si inde Franciscum populus audiret.

Vides Lector Dominicanis Societatis progressum suis iuribus & oculis chariorem; nec in illam affectu & studio Granatensis Bartholomæo à Martyribus arcta amicitia coniunctissimus dissentiebat, vt luculenter testatur Sacchinus libri 11. num. 99.

E Societatis aduentu, inquit, Ludouicus Granatensis, ex Dominicana Familia nobilis Ecclesiastes ac scriptor, deque tota Christiana re suis voluminibus optimè meritus, magnam hausit animo voluptatem, Cardinali in super Henrico, qui eius opera plurimum vtebatur, ea de re tanquam de sua mirificè gratulatus; & cum vicissim ei Cardinalis mandasset; vt ipsius pro concione consilium de instituendo Collegio significaret; id ille prolixè, nec sine magna Societatis commendatione fecit; cum diceret eam Apostolicum quemdam cœtum esse, qui ad hominum salutem tuendam, renouandamque in Ecclesia Dei veterem sanctitatem, totis viribus conspiraret. Hæc fuere Dominicanorum de Societate iudicia, & in illam beneficia singularia.

Dices cum Theophilo & Cartherio his bonis inualuisse odium Cani, quasi plus vnus offenderit Societatem, quam tot & tanti enumerati, & statim recensendi, de illa benè mereri potuerint; ita statuet ingratus animus iniuriarum memor, beneficiorum obliuiosus: at secus sentiet quisquis ab his prauis affectibus fuerit remotior. Tantum vero abest, vt beneficiis plurium vnius Cani præponderet infectatio vt sua excusatione non careat, à fidei quo flagrabat zelo: nec vel minimum suspectis ex nouitate erroris parcebat: grauissimæ in Carranzam, litis authorem ex eâ causâ quidam volunt: vt mirum non sit minus fuisse in extraneos beneuolum, qui suis etiam infensissimus fuit; & si quid eo præpostero zelo peccauit, abundè compensatum est à duobus præter reliquos Dominicanos, qui causam Societatis acerrimè propugnarunt: ii sunt ab Orlandino laudati, nempè Mancius & Ioannes Penna.

De hoc postremo ita habet libro 8. num. 49. *Ioannes Penna ex eodem Ordine Pradicatorum, singulari pietate ac doctrina vir, & Salmanticensium Doctorum è numero, acri studio diuini honoris accensus, non dubitauit recentem ordinem iniuriâ vexatum, aduersus collega morsus scripto etiam litterisque defendere.*

De altero, inquit, libri 13. num. 38. *Plurimum profuit Mancij quoque sententia, qui sacro Pradicatorum se ordine vir magni nominis, in Hispania, Complutique*

nobilis Professor diuinæ Sapientiæ è Principe Sella; idemque cum perstudiosus Familiæ nostræ, tum ipsi præsuli Toletano percharus erat, & permisso eius examini exercitiorum volumine, eoque accuratè perlecto, liberâ voce respondit, nihil se in eo deprehendisse censoriâ notâ, vel animaduersione dignum.

Duorum Dominicanorum nempe Cardinalis Toletani, & Ægidij Foscararij testimonia alio loco retulimus : sed postremus Episcopus Mutinensis, non ea solum occasione de Societate benè meruit: alia refert Orlandinus illius beneuolentiæ testimonia libri 14. num. 32.

Vix possum comprobare ardentissimum in omnes Dominicanorum, & præ cæteris in Societatem studium illustriori testimonio quàm Pij V. Nam vt obmittam priuilegia innumera, illi ab hoc Summo Pontifice concessa; quid dicam? Testatus est, sibi fore antiquiorem propriæ familiæ iuribus : Nam à fide dignis accepi Patribus nostris primùm basilicam vaticanam Sancti Petri, Liberianam Sanctæ Mariæ majoris, vulgò dictam Vaticanam minorem Patribus Societatis contigisse, excipiendis & absoluendis, qui ex toto orbe Romam confluunt Religionis, & peccatorum veniæ causa pœnitentibus, eumque seruatum ordinem ad Pontificatum vsque Pij V. cui visum est beneuolentiæ comprobandæ causâ, mutandum : Vaticanæ, Patribus Societatis, & Majori Liberianæ, nostris suffectis.

O Dominicanum inuidum! ô Societatis Osorem! quam suorum decremento augebat, adeò nedum à liuore vel à parentum & cognatorum; sed etiam à sui ordinis nimio amore, vel priuati honoris & commodi respectu longè aberat vir sanctissimus; vt suorum humilitati quam dignitati mallet consultum, & ad carnis atque sanguinis consilia surdus, munera Ecclesiæ partiretur; vt cuiusque saluti & bono communi Ecclesiæ conueniebat.

Hæc à me fusius fortè relata, ne quis interpretur, quasi commemoratione harum rerum gestarum à Dominicanis Societatis causâ, illi velim aliquam ingrati animi notam inurere, vel cum eâ de beneficiorum vltrò citroque collatorum numero & magnitudine contendere.

nihil horum meditor : sanè vanus essem & ridiculus, si hanc cogitationem admitterem; cum nihil ad huiusmo-susp iciones amouendas efficacius, id est nihil gratius fieri aut dici possit illa commendatione & prædicatione, quæ à Patribus nostris recepere officiorum suis Annalibus inserta : nec ferè melior est alia cogitatio; hæc enim est legitima, de beneficiis contendendi ratio, vt qui maiora confert se victum reputet, ne mercedis & gloriæ parte præcipua se vana persuasione fraudet.

Quò igitur spectabit tam longa oratio ? Arcendæ tantum calumniæ Petri, Dominicanos esse hominum osores & bonorum inuidos. Vix vllum genus Cœnobitarum longius ab his pestibus abesse, luculentis, ni fallor, exemplis demonstratum est.

Nec reponat Petrus nos iisdem officiis Societatem non prosequi, quibus illam Petrus à Soto, Penna, aliique decem memorati demeruerunt : ita est : nec mirum, quia sic iam adoleuit, vt nec eius conditio iis egeat, nec nostra facultas id patiatur. Hoc tamen tum meo, tum meorum nomine contestabor, si res priore essent statu, aut in illum recidérent; nos magis Pium V. Granatensem, aliosque de Societate benè meritos, quàm vnum Canum illi minus æquum ex nostris esse imitaturos.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Referuntur & expenduntur calumniæ in contrarium obiectæ.

HÆc habui è plurimis pauca, quæ opponerem, Petre tuis calumniis ; vt demonstrarem Dominicanos nullius vmquam virtuti, & doctrinæ inuidisse; sed vitia, & errores perfecto odio fuisse persecutos ; sicut confirmatum eo responsionibus ad tuas calumnias, & ad Ludouici expostulationes.

Hoc in vniuersum de vestris exemplis assero, nullum conuincere, quod obtendit Theophilus Dominicanos fuisse maleuolos, & inuidos bonorum : laborat enim

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [156] - 136
PUBLIC DOMAIN

quodlibet illorum exemplorum duplici vitio : vel non probat bonos illos, quorum instituit Catalogum, exemptos fuisse ab omni culpa : aut si fuerint omnino immunes ab errore vel peccato, nulla ratione demonstrat Dominicanos illos fuisse insectatos. Cæterum si vellem exempla colligere virorum, nedum ingenio, & eruditione, sed etiam sanctitate illustrium, quibuscum contendistis, nescio quibus de causis ; darem plura intra triginta annos, quam tu potueris ex annalibus quatuor sæculorum contra nos proferre.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Lullij & Petrarchæ causa discutitur.

AD singula descendam : si attenderem quæ in Raymundi Lullii historia scribis ; vt probes immeritum multa passum fuisse à Nicolao Eymerico Inquisitore Aragoniæ, nihil addendum esset superioribus ; quia tu nihil profers, nisi testimonia Dermitii Thadæi, & Lucæ Vuadingi quos certum est interdum magis affectu, quam ratione duci. Sed adiungam, Lullium fuisse accusationibus opportunissimum ; esto apud Deum iustus fuerit ; quia nullus illo vixit in speciem magis erronum more, nullam sedem vnquam fixam habuit ; omnes Reges Christianos, & Maurorum etiam plures adiuit, & sæpissime Summos Pontifices, & ab illis semper repulsam passus est. Omnia scientiarum fundamenta penè labefactauit ; nam præter demonstrationes à priori & à posteriori, tertiam fingit, quam vocat æquiparantiæ. Demonstrationem mysterii Trinitatis promittit, & tentat his rationibus quas Vasquez censet nullam habere verisimilitudinem : ita rebus chymicis incubuit, vt Professores illius artis suum Principem agnoscant.

Cæterum Eymericus, nec temerè, nec solus iudicauit : diligenter eius libros numero viginti magnâ ex parte Cathalonicè linguâ maternâ scriptos collegit, Auenionem asportauit, cum actis processus : Viginti iudices & Theologi post causæ examen pronunciarunt, Lullium multa noua & erronea docuisse. Quid peccauit

Eymericus ? Sola ne inuidiâ infectatus est Lullum, quem suo seculo omnes Principes ex sua aula expulerunt tanquam hominem vix sani capitis : & cum Latinæ linguæ omnino rudis esset, voluit de omnibus scientiis ex suo priuato sensu scribere, qua ergo ratione potuit non impingere in multos errores ?

Certè Raymundum Lullum in errores multos lapsum fuisse indubitatum est, vt supra ex Odorico Raynaldo ostendimus ; nec Eymericus nec Bzouius errores illos Lullo affingunt, cum eos re vera Lullus docuerit ; nec Eymericus occasionem aliquam habuit confingendi bullam, quæ nec subreptitia dici potuit ; cum nullum inde commodũ Eymericus esset reportaturus, nec odio in Franciscanum Ordinem hoc peregisse dici potest ; tum quia ex commissione Summi Pontificis in Lullum fuit animaduersum ; tum quia Lullus fortè Franciscanus non fuit, quamuis Franciscanum habitum gestauerit ; vnde nec Bellarminus suo Scriptorum Catalogo, nec Vasquez, nec Raynaldus, nec Summi Pontifices in diplomatibus Lullum vocant Franciscanum. Dicunt tamen Franciscani, Lullum fuisse sui tertij Ordinis, ex illis videlicet, qui tunc cum habitu in domibus secularium degebant.

At Vasquez & Vuadingus referunt cognatos Lulli, (quem quidam mercatorem faciunt, alij volunt fuisse nobilem, & Regis administrum, quem Scenescallum vocant :) vindicasse à condemnatione Auenionensi, Iudice Episcopo Bernardo, qui contra Eymericum pronunciat. Quid inde ? Ergo insons est Lullus, reus Eymericus ? Quasi iustæ sententiæ rescindi non possint ; interfuere ne tot Theologi secundo iudicio, quot interfuere primo ? Dicam cur ita Eymericus Theophilo displiceat : duo occurrunt primo ægrè fert Inquisitionem tandiu hæsisse apud Dominicanos : & cum alibi scribat, illos sentibus scholæ assuetos ad negotia fuisse ineptissimos, & contra stent duo exempla illustria, nempe Nicolai Rosselli decessoris Eymerici, qui ob Prouinciam sapientissime administratam, ab Innocentio VI. Cardinalis creatus est ; & Eymericus etiam nihil inferior summâ humanitate à Pontifice exceptus, & Capellani honore auctus ; hi duo Inquisitores, &

opinio de his concepta à Summo Pontifice sunt argumenta, quibus Petrus calumniarum conuincitur; adde etiam directorium à Nicolao scriptum, vim habere regulæ, & legis apud Inquisitores.

Suspectus est Raynaudus liuoris in Dominicanos; sed illum male habet, cum videt, hoc directorium Francisci Pennæ commentariis illustratum: nescias, quem peius oderit, an Authorem, an interpretem? Vnde ab hoc iudicio semouendus est; cum adeo aperto odio flagret in Dominicanos omnes, & è Dominicanis in Inquisitores, ex Inquisitoribus in Eymericum Pennæ commentariis illustratum. Quid ex tot causis odij congestis, boni aut veri expectare possis?

Nec quidquam tentatum esse in Lullium à nostris odio Franciscanorum, probant Dominicanorum cum Franciscanis arctiora quibus ligantur charitatis vincula, quæ sane antiquiora ac firmiora sunt, quam vt abrumpi possint vllo conatu Petri Albæ aut à clausa valle. Nam vt omittam antiquam amicitiam confirmatam Comitiis generalibus Valentiæ in Hispania anno 1644. His verbis, *cum Seraphica S. P. Francisci Religio, nostrum ordinem charitatis Fraterna brachiis amplexa sit vltimis Toletanis Comitiis, præcipitur magistro ordinis, cæterisque omnibus perinde recipiant suis conuentibus ac ipsos Fratres: cum vt aliqua ratione compensent charitatem ipsi Patri nostro Generali exhibitam; tum vt foueant amicitiam ab vtriusque instituti Authoribus suo & filiorum nomine initam.* Vt recentia hæc pignora prætermittam: extant antiquiora, nec minus firma: hinc missos legimus vtriusque instituti Patres à Gregorio IX. ad Tartaros, aliosque Orientis populos fidei prædicandæ causa: hinc teste Spondano ad annum 1274. ab eiusdem nominis Gregorio X. injunctum Prouincialibus Prædicatorum & Minorum, vt suos Fratres mitterent bello sacro indicendo & prosequendo ardentius. Et multo ante ad annum 1233. ex eodem Spondano duo Dominicani, & Franciscani item duo legati Pontificis accesserunt ad Græcos, pacis cum Ecclesia Latina instaurandæ causâ, quam enim, inquit Spondanus tot Cardinalium cura præstare haud

potuerat, ſibi procurandam ſtatuit, per Fratres Prædicatores & Minores, illâ maxime tempeſtate, doctrinâ, pietate, atque integritate præſtantes. Hinc ex eodem Authore ad 1245. vtroſque vexatos infeſtatione magnatum Innocentius IV. indiuisâ protectione communiuit, & in Concilio Florentino, Eugenius IV. duos ex Dominicanis, Franciſcanum vnum elegit, qui collato pede cum Græcis, ſpectante tota Synodo diſſertarent. En concordiæ ſine vlla æmulatione ſinceriſſimæ vtriuſque Ordinis teſtimonia indubitata, quæ fruſtra moliantur inuidi delere ex hominum memoriâ, aut ex animis vtriuſque Ordinis Religioſorum.

Lullium ſequitur Petrarcha, quem multa à noſtris omnium Litterarum rudibus paſſum dicit Theophilus ob ingenii famam, & Poetices præſtantiam. Sed accuſatio eſt ab vno, vt ait, Hieronymo Squarciafico; qui Marcum Picenum de Solipodio refert voluiſſe iniicere manus in aliquot Poëtas illorum temporum. Deinde probandum eſt Raynaudo, Petrarcham innocenter, & caſtè Poëticen tractare, ſicut conueniebat Chriſtiano, Sacerdoti, Archidiacono Parmenſi, qualis erat Petrarcha. Poëticam per ſe nemo damnat, niſi ſcientiarum, aut rerum diuinarum ignarus, eſt certè non contemnendum hominis ornamentum: cum enim triplici facultate polleat, memoriâ, ratione, & imaginatione; quælibet ſuam dotem, & artem habet, qua excellat. Ratio excolit ſcientias omnes, & maximè Ethicam. Hiſtoria rerum geſtarum ad memoriam pertinet; Poetica ad imaginationem, quæ multa fingit ad delectationem, vel vtilitatem. Neque hæc artium diuiſio aliena eſt à libris ſacris: tota enim Scriptura, vel Ethica eſt, quæ rationem, & mentem ornat, & vitam dirigit, vel Prophetias continet; quæ cum præteritatum rerum narratione hiſtoriam ſacram conficit: quia ex Dei præſcientiâ, de futuris perinde loquitur Scriptura ſacra, ac hiſtorici de rebus geſtis. Parabolæ, quandam (ſi liceat ſic loqui:) Poëſim referunt & reſipiunt: quia vtrobique ficta apponuntur ad audientium inſtitutionem.

Poëtica igitur per ſe eſt ars innoxia, & in vſum ſcripturæ à Sancto Spiritu adiuncta. Cur ergo damnata

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [160] - 140
PUBLIC DOMAIN

fuit non ſolum in Petrarcha à Solipodio, ſed etiam à Platone, qui è ſuâ Republicâ abiicit Poëtas, & à Cicerone, qui damnat Homerum, quod fingeret, & humana ad Deos transferret, cum ſatius fuiſſet, inquit, *Diuina ad nos transferre.* Certè Poëtica inſtituta eſt, vt Ethica moralis, eò vtilior futura, quò ſuauior, addito ſolum eloquentiæ, & fictionis lenocinio, vt documenta ſalutaria ſuauiùs in animos inſinuaret. Si Petrarcha Poëticam his finibus continuiſſet, certè Solipodij cenſuram non incuriſſet.

Vt Dominicanis hanc duplicem inuidiæ, & ignorantiæ notam inureret Theophilus ex Petrarchæ, cenſura, debuerat probare, Petrarcham Poëtica ſanctè fuiſſe vſum. Qua vero id ratione poteſt aſſerere? Cum Petrarcha in laudãdâ ſuâ Laurâ amatorijs verſibus laſciuiùs ſcripſerit, quam Ouidius de ſua Corinnâ, quam Propertius de Cynthia, quam Catullus de ſua Lesbia. Sed Religioſus ſenex Poëticam laſciuam defendit in Sacerdote & Archidiacono, quam debuerat damnare etiam in Ethnico. Adeo Dominicanos odit, vt vitia defendat, Sed ignorauit Theophilus, aliqua Petrarchæ Carmina fuiſſe prohibita in indice Concil. Trident. inter incertos Authores. Et idem Petrarcha in ſuis epiſtolis atrociſſimè, ac impudentiſſimè detrahit ſacris Eccleſiæ Cardinalibus. Hos Authores defendit Raynaudus, quia ſimul propriam cauſam defendit. Ab indice librorum prohibitorum legendo abhorret, ne ſuos libros inter proſcriptos legat: Reliqua, quæ de noſtris Theophilus refert circa Poëſim, ſunt ab eo conficta.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Dominicani in Thomam Vualdenſem quid egerint?

TErtium exemplum à Vualdenſi Carmelitani Ordinis ornamento petitum, apertius inſcitiæ Theophili exemplum nobis ſuppeditat. Canus inquit ſecundo de locis Vualdenſem notat iniuriæ erga præſentem Eccleſiam, quaſi ei negauerit authoritatem definiendi ſub-

orientes de fide controuersias, deferens eam authoritatem seriei Apostolorum, Laicis non exclusis: Huic leni in Vualdensem censuræ inducit vtrumque Sotum subscribentem, & concludit suam accusationem, *sed Vualdenses, quia insignis sua ætate vir fuit, Cyriacarum Harpyarum vngues effugere non debuit.*

Quis ad istas voces non obstupescat, vel cohorrescat? Non dubitauit tres superioris sæculi præstantissimos Theologos; sanctitate etiam, aut Pontificali dignitate illustres, quorum omnium Sapientia fuit toti Concilio Tridentino admirationi, & de tota Ecclesia optimè merita, quorum duo fuere etiam à Confessionibus Imperatori Carolo V. Harpyarum nomine traducere: Qua id vero de causa? Hoc ipsum iniuriæ atrocitatem & stuporem omnium de audacia Theophili auget: sic discerpuntur Theologi celeberrimi, quod dignitatem, & authoritatem totius Ecclesiæ, vno Doctore priuato antiquiorem, & potiorem habuerint. Hæc est præter odium in Dominicanos vnica conuitiorum causa.

Canus lib. 2. cap. citato, quæstionem illam intricatissimam enodat, nec solum cum hæreticis, sed etiam cum Doctoribus Catholicis acerrimè agitatam, num ad Ecclesiam pertineat definire quinam libri sacri sint admittendi, vel quinam sint à Canone repellendi; & cum omnes conueniant id ad Ecclesiam pertinere, non parua quæstio se offert, inquit Canus, an nomine Ecclesiæ significemus Ecclesiam quæ fuit tempore Apostolorum, an fidelium Congregationem qui modò sunt, an potiùs Vniuersam collectionem Christianorum à Baptismo Christi per Apostolos, & cæteros successores eorum vsque ad hæc tempora propagatam. Iuxta hanc triplicem Ecclesiæ acceptionem (à qua lucem acceptura est hæc quæstio) diuisæ sunt Theologorum sententiæ. Durandus, & Gerson huiusmodi authoritatem sacros libros approbandi, vel etiam non sacros reprobandi, ad Ecclesiam referunt fidelium, qui cum Apostolis extiterunt; Ioannes vero Driedo Thomas Vualdensis hanc Authoritatem existimant referendam ad Ecclesiam tertio sensu, & statu acceptam, nempe ad seriem patrum omnium, & Fidelium ab Apostolis suc-

cedentium : & ne quidquam videatur detrahere de sententiâ Vualdensis, asserit in ea fuisse Irenæum, Tertullianum, Augustinum : alij denique, licet non negent hanc authoritatem Ecclesiæ Apostolorum, vel ab illis ad nos vsque deductæ; illam etiam tribuunt huius temporis Ecclesiæ, quæ videlicet eadem est cum antiqua, habetque eundem veritatis Spiritum assistentem.

Quid vero inter has dissidentes opiniones Canus? Illas vel conciliat, vel ad verum & legitimum sensum reuocat : atque illud in primis statuit ad Apostolos pertinuisse libros sacros secernere à non sacris : Deinde asserit traditionem hanc Apostolorum, qua firmatur authoritas librorum Canonicorum, & discrimen ab illegitimis, non alia ratione meliùs innotescere, quàm per seriem Patrum Ecclesiæ post Apostolos succedentium. Adiungit tertiò (& hoc est principium dissidij à Vualdensi) Ecclesiam fidelium nunc viuentium, licet non habeat Authoritatem scribendi Canonicum librum; posse tamen definire, si quod dubium sit, quis liber sit Canonicus; & hanc authoritatem definiendi asserit Ecclesiæ, primùm à Diuinâ prouidentiâ, quæ in necessarijs Ecclesiæ non deficit : oportet autem iudicem viuum in Ecclesia esse, qui fidei controuersias decidere possit; at nulla grauior, aut magis necessaria est hac, quam præ manibus habemus, quis liber sit Canonicus.

Probat secundò ab vsu Ecclesiæ, quæ Apocalypsim Ioannis, Baruch, & Machabæorum libros, de quibus aliquod dubium suberat, Canonicis libris adiunxit; qua vero id fieri ratione possit, declarat egregia hac distinctione. Duo sunt, inquit, in disciplinis principiorum genera, vnum remotum & primum, alterum proximum & postremum : Et sicut per illud conclusiones referuntur ad prima initia, sic fides succedentium refertur ad eos, qui nos ætate anteceſſerunt, donec ad Apostolos, & inde ad Christum peruenitur; vbi tamquam in primo fundamento Catholica fides consistit.

His ita constitutis, ad examen venit sententiæ Vualdensis : & notat duobus à veritate recessisse : sed eâ modestiâ, & more adeò in scholis recepto, vt si quis velit Canum, & vtrumque Sotum iniurios dicere in Vual-

denſem, quod eius ſententiam improbarint, nullus Theologorum futurus ſit immunis ab hoc crimine, cum omnium ſanctiſſimi, & modeſtiſſimi eam libertatem in alios vſurpent, quam ita atrociter Theophilus damnat in Cano, & Soris, vt Arpyas appellauerit: ſed cenſurâ Theophili omiſsâ, ad rem noſtram redeamus.

Notat prudentiſſimè Canus (quod ſummè obſeruandum eſſet pro intelligentiâ plurium controuerſiarum, quæ aliquando oriuntur, aut oriri poſſunt) aliud eſſe quærere quid Eccleſia præſens definire poſſit, & quouſque habeat controuerſias diſcernendi authoritatem; aliud vero inueſtigare, quanam viâ & ratione ad rectam, & firmam harum rerum definitionem valeat peruenirì: At nos quidem, inquit, ingenuè fatemur, non eſſe nouas reuelationes expectandas, ſiue à Concilio, ſiue etiam ab Eccleſiâ totâ. Sed inquirenda potiùs maiorum documenta, atque ſanctorum ſcripta, Apoſtolicas, rurſum traditiones, ſacras etiam litteras conſulenda, atque per huiuſmodi conquiſita media quæſtionem de fide propoſitam decernendam; idque confirmat exemplo Concilij Hieroſolymitani, quod factâ magnâ conquiſitione, cum de rebus ante actis, tum ex ſcriptis Prophetarum ſententiam de re propoſita tulerunt.

Quid vero Canus, & vterque Soto in Vualdenſi reprehendunt? Duo potiſſimum. Primò quod Eccleſiæ præſenti det facultatem ex antiquâ traditione teſtandi tantum, & non definiendi iuridicè, ſi quis verè ſit libet Canonicus. Secundo quod ad huiuſmodi teſtificationem perinde aduocet ſæculares Laicos, ac Eccleſiæ Doctores, & Paſtores; vnde Thomas Vualdenſis Anglus di videtur præiuiſſe Thomæ Anglo ex Albijs, qui nuper ſuo libello cui titulus (*ſonitus buccinæ*) & altero in ſubſidium prioris, cui (*tabulæ ſuffragiales*) nomen dedit, Eccleſiæ ac religionis vnicam agnoſcit regulam, nempe traditionem à Chriſto per Apoſtolos ad nos vſque per totum orbem, & ſæculorum ſeriem, qua Eccleſia Catholica late patet, ſeruatam: & hanc vnicam vult eſſe Conciliorum œcumenicorum authoritatem, vt teſtentur quid à maioribus ſuis hac de re receperint: & vbi conſtat conſentire omnium Eccleſiarum voces & in vnam conuenire ſententiam, tanquam receptam ab Apoſtolis;

Apostolis, qualis est de sacrificio Missæ, de Confessione auriculari, de meritis operum, & de alijs, quæ doctissimus & integerrimus Oldem, suo aureo libro de resolutione fidei 2. part. operis late deducit, & ex hac regulâ confirmat; tunc certa & firma est Concilij & Summi Pontificis assertio, sine vlla authoritate definiendi, vel addita certitudine vltra illam, quæ illi obuenit ex Traditione, & consensu omnium Ecclesiarum.

Hæc est vtriusque Thomæ Angli opinio, quam meritò improbat Canus, & quam censurâ vtriusque operis Thomæ Albij Ecclesia Romana damnauit. Vnde alterum istorum tibi Petre incumbit probandum; Thomam Vualdensem non esse, quoad hoc eiusdem sensus cum Albio; quod difficilimè euiceris; cum laicos admittat ad approbandos libros Canonicos; certum autem est illos habere ius testandi non definiendi. Vel suscipienda est tibi defensio sonitus Buccinæ, & Tabularum suffragialium, quarum hic vnicus est error, Concilia, & Patres testari res fidei, non definire.

Venerat mihi in mentem tibi Palæstritam dare Thomam Albium, & vt scripturitandi libidinem posses innoxiè explere, statueram tibi author esse, susciperes sonitum Buccinæ, & Tabulas suffragiales refellendas, vt confirmares potestatem Conciliorum, & Pontificis definitiuam, quam ille conatur conuellere: sed statim pœnituit huius consilij; quia ita te strenuum conuitijs, ita te argumentis infirmum sensi, vt si tibi hanc rem aggrediendam persuaderem, reum omninò me putarem proditæ authoritatis Ecclesiæ: Oh te miserum si ferociæ illius Angli auderes te obiicere, tuos etiam inimicos miseratio tui caperet, cum à scriptore tibi reliquis dotibus superiore, tota Europa spectante, discerpereris.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Examinatur D. Bernardini controuersia.

QVartum testem liuoris Dominicanorum in bonos aduocas S. Bernardinum, quem à nostris dicis ac-

cusatum apud Martinum V. quod nomen Iesu radiatum in tabella proponeret adorandum, & suaderet populo sanctissimum illud nomen ante ostia domorum depingere malorum auerruncum, quod videretur æquare nomen scriptum cultu cum diuina Eucharistia.

Ad hæc plura possem reponere. Primò male à te probari, hanc accusationem à Dominicanis Diuo Bernardino intentatam fuisse: quia quod dicis ex sancto Antonino, Martinum V. vrgentibus nostris Patribus, metu alicuius superstitionis, principio prohibuisse huiusmodi vsum à S. Bernardino inductum, & postea prohibitionem reuocasse; reuocationis non meminit sanctus Antoninus illius ætatis scriptor, quo superstite retulit Eugenius IV. Diuum Bernardinum in diuorum album, testatus se non dubitare æquè viuum Antoninum, ac mortuum Bernardinum sanctis accensere. Vnde cum reuocationem huiusmodi decreti non scripserit, mirum est tacuisse hanc historiæ partem, nisi dicas fuisse Dominicanum, & laborasse communi familiæ morbo, inuidisse gloriæ Bernardini, quam ex Eugenio merebatur, nec poterat, si inuidisset.

Sed mirum est quàm varios & inconstantes facias Pontifices, vt inde aliquot argumentum arripias in Dominicanos: Pontifices tueris, nisi faueant Dominicanis. Addo etiam tertio, licet nomen scriptum Iesu possit, sicut crux, vel alia Passionis instrumenta, vel ipsum Euangelium adorari cultu relatiuo, non autem absoluto, sicuti Eucharistia qua Deus homo continetur; & ideo, quamuis omnia liceant, non omnia expediunt, nec accusandi tibi fuerunt Dominicani tanquam præcipites & inuidi in Bernardinum, quod non paterentur induci inscriptum nomen IESV, cultum parem illi, & promiscuè, qui Eucharistiæ exhibetur.

Præterea Sanctus Antoninus 3. par. hist. tit. 22. cap. 7. parag. 5. & non tit. 14. vt citat Raynaudus, non dicit à Dominicanis sanctum Bernardinum apud Martinum V. tanquam hæreticum accusatum; sed ab aliquibus qui nouitate rei permoti ad superstitionem, vel Idololatriam illud pertinere arbitrabantur. Et Odoricus Raynaldus Tomo 18. Ecclesiasticorum Annalium ad annum 1432. num 24. dicit, hæreseos calumniam S. Bernardino

ſtructam fuiſſe à Michaele quodam cauſarum fidei in Romanâ curiâ actore.

En verba Odorici. *Vindicauit hoc anno Pontifex Bernardinum Senenſem Minoritam, qui poſtea fuit Sanctis adnumeratus, ab ignominioſa hac hæreſis calumniâ, quam ex pio illius facinore, in ſanctiſſimo ſcilicet nomine Ieſu nouis efformato characteribus ad adorandum propoſito, ipſi ſtruxerat Michael cauſarum fidei in Romana Curia actor, qui perperam interpretatus nonnulla alia eius geſta, adductis aliquot falſis teſtibus, Ioannem tit. S. Sixti Presbyterum Cardinalem excitarat, vt ſuperiori anno Bernardinum ipſum, illique ſacris ſtudiis coniunctiſſimos vocaret, diemque peremptorium conſtitueret.* &c. Verum eſt, ait idem Odoricus ad annum 1417. num. 13. *S. Bernardinum paſſum fuiſſe æmulum concionatorem ordinis Pradic. plurima auctoritate, & æſtimatione pollentem: is vero Menfredus erat, de quo hæc narrat S. Antoninus: venerabilis vir quidam Manfredus nomine Vercellenſis Religioſus ordinis Pradic. erat peritus & timens Deum: hic pradictus in partibus Longobardiæ, neſcio quo ductus ſpiritu, populis nunciabat propinquum Antichriſti aduentum, & quaſi tempore ſuo eſſet futurus, inducebat ad hoc ſuas rationes ex ſcripturis, præcipuè Apocalypſis &c. Examinari fecit Papa illum Manfredum, & nihil reprehenſione dignum in eo inuentum eſt &c. prædicabat Bernardinus contra eum arguens factum illud: & Manfredus contra Bernardinum in aliquibus doctrinæ ſuæ eum ſugillans.*

Vuaddingus quidem, & Haroldus dicunt ab iſto Manfredo S. Bernardinum accuſatum. Quod ſi verum eſt, non ideo dicere debet Raynaudus, à Dominicanis S. Bernardinum accuſatum; cum potiùs fuerit diſſenſio priuata inter ſanctum Bernardinum & Manfredum. Sed quod ab vno Dominicano peractum eſt, illicò clamat Raynaudus à toto Ordine profectum.

Infeliciter, vt ſolet, rem propoſitam confecit. Suſceperat Dominicanos arguendos liuoris in D. Bernardinum, nec hactenus, quamuis diligentiſſimè inquiſierit, vel minimum huius inuidiæ veſtigium potuit deprehendere: ſed cur tacet aut diſſimulat luculentiſſimum S.

Vincentij Ferrerij, in eumdem Diuum beneuolentiæ argumentum, & futuræ eius sanctitatis oraculum? Turpe esset Theophilo omnia legenti, nihil se nescire reputanti, excusare silentium illud nomine ignorantiæ rei quam norint, qui illius sæculi, quo hi duo Diui coætanei vixerunt, historiam à limine salutarint,

Dum Vincentius per Europam Apostolum ageret, & primæ Ecclesiæ concionibus, ac miraculis, mores, & gloriam instauraret, Italiæ fines ingressus, statim inde in alias regiones discessit in reuerentiam Bernardini, cui hanc orbis Christiani partem longè nobilissimam illustrandam reliquit. Bernardinus Vincentio facie, & fortè etiam nomine ignotus ad concionem Vincentij, infinitâ populorum turbâ frequentissimam accessit, & confertæ multitudini sese immiscuit. Substitit Vincentius, quasi aliud cogitans, & subinde hæc verba protulit Prophetico Spiritu abreptus: *Adest huic concioni iunior quidam, D. Patris Francisci filius dignissimus; eum oportet crescere me autem minui, & festinatis bonoribus ante me eum Ecclesia colet, cui iubet me Deus locum cedere, & Italiam relinquere illius exemplis institutis & concionibus excolendam.*

Bernardinum designabat sui sæculi, & suæ Patriæ Apostolum, quem Eugenius IV. Calixti decessor, in Diuorum catalogum adscripsit, ante Vincentium eò relatum à Calixto. Et adhuc Theophilus quæret, falsóque confinget argumenta inuidiæ Dominicorum in Bernardinum, cuius Sanctitatem antequam adolesceret, Diuus Ferrerius oraculo Prophetico celebrauit: cui Apostolici muneris primas partes concessit. Hoc boni ex malo aduersarij consilio decerpimus, vt locum det pro falsis inuidiæ testimonijs, reponendi plura Patrum nostrorum eximiæ humilitatis, charitatisque exempla & monumenta.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [168] - 148
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS QVARTVS.

De Toſtato, Pico, Viues, Reuclino.

TOſtatum, & Picum illi Mirandulanum, quos in §. & 6 teſtem tuarum calumniarum aduocas, iungo non ſolum cognatione virtutis, Magnitudine ingenij, atque eruditionis germaniſſimos, & ſui ſæculi Phœnices, aut portenta; ſed quod tu nullo teſtimonio, niſi tuo ſuſpecto, maximè cum de Dominicanis agitur; probas, primùm illos omni culpâ vacaſſe; ſecundò à Dominicanis fuiſſe accuſatos. Hoc enim neque apud Toſtatum in ſuo defenſorio, neque apud Picum q. 4. quam citas ſuæ Apologiæ inueni, neque tu vllius verbis quam tuis confirmas.

Cur ergo Dominicanis malignè inuidiam conflas malorum, quæ paſſi ſunt duo viri Illuſtriſſimi, quos ſcio cum Dominicanis fuiſſe amicitia coniunctos? Nam de Toſtato memini me legiſſe, & referunt Andreas Schotus Soc. Ieſu in Biblioth. Hiſpanica & Aub. Miræus in Biblioth. Eccleſ. illum in Concilio Baſileenſi fuiſſe maximè delectatum familiaritate Ioannis Capreoli Monachi (vt ſcriptoris illius verbis vtar;) doctiſſimi.

Controuerſiam Toſtati cum noſtris Patribus, ex vero & omni affectu ſepoſito refert Spondanus ad ann. 1443. laudato ſupra modum Toſtato ob infinitas animi dotes, tandem adiungit hic Senis tum iunior, necdum Epiſcopus Theſes vnam & viginti ex intimâ Theologiâ depromptas, diſputandas cum propoſuiſſet, in ijs, aliquot locis offendiſſe, Eugenius edito diplomate notauit: impugnauitque dicato opere Ioannes de Turrecremata doctiſſimus ille Cardinalis Hiſpanus ex Ordine Prædicatorum, contra quem reſpondens Toſtatus ſuo commentario in Pontificum authoritatem inuectus, iniuriuſque præ ſtudio tuendi ſua, apparuit.

Quæ vero accuſabantur è multis hæc erat vna aſſertio: Etſi nullum peccatum cuiuſcumque conditionis, & pro quocumque ſtatu irremiſſibile ſit; à pœnâ tamen aut à culpâ Deum non abſoluere, nec id vllum Sacer-

dotem posse. Hæc & his similia habuit Tostatus à Summo Pontifice damnata ante impugnationes Turre-crematæ. Viderit ergo Theophilus, an hæc disceptatio Dominicanorum cum homine à Summo Iudice prædamnato non potuerit aliunde, quam ex liuore nostro in bonos proficisci.

Nec apertior est vindicatio à liuore in Picum, ipsomet teste & Iudice; nam suæ apologiæ præfatione videtur quasi præsagâ mente, omnes Theophili in nos instructas calumnias profligare, dum ait aggressum se apologiam scribere; non vt quemquam laceret, vel accuset; sed vt à maximo, quod sibi iniuriâ objiciebatur, impietatis crimine iure se excusaret. Quod vero refert Theophilus ex ipso, interrogatum quemdam ex Cœnobitis quid esset Cabala, respondisse perfidum quemdam hominem, & diabolicum fuisse, qui dictus est Cabala.

Hæc Picus, nec nomine, nec ordine designato illius qui ità insulsè & imperitè responderat. Sed Theophilus inuito Pico, Dominicanum fuisse interpretatur, qui negotia illi faceſcebat; quasi solos Dominicanos infensos sensisset, nec omnium ordinum Cœnobitæ, teste Pico Nepote, in ipsum eiusque Theses, maximè ex Cabala depromptas, velut conspiratione factâ, insurrexissent. Sed quod Picus in omnes generatim Religiosos spargit insciti æ conuitium, Theophilus pro suo in Dominicanos affectu, vult in illos tantum intorqueri & valere, in alios irritum esse & falsum.

Parum est Theophilum à vero aberrare, à seipso etiam dissentit, & is ipse qui partitione prima Erotemate 13. Cabalam traducit, tanquam errorum & ineptiarum sentinam, hic Dominicanos sibi consentientes de Cabalæ vitijs lacerat: huius nigræ scientiæ vindices & Magistros purgat à sordibus, quas in nos regerat. Quid facies hoc homine à seipso discordi? ne sibi excidat vlla nos criminandi occasio, etiam cum suo maximo & nullo nostro dedecore.

De Pico certum est ipsum in extremis agentem voluisse Religionem Dominicanam, & veste nostra testamento voluisse sepeliri, ad S. Marci Florentiæ in sepulchro communi fratrum: vt agnoscas non fuisse dum viueret seiunctum, à quibus etiam mortuus noluit auelli.

Sed qui putas, te omnia scire ex insciti Historiæ hallucinaris, dum per Galliam peregrinum vel exulem, Ioannem patruum Nepotis Ioannis loco sufficis. Iste enim, non ille cognatorum primùm perfidia suis ditionibus pulsus fuit, deinde per inauditam crudelitatem confossus.

Nec quæ ex Reuchlino verba de Cornorum vario colore, quo Ordinem fugillare dicis, fidem faciunt; nam præterquod erat rabie actus in nostros, non dubito quin loco Nepotis patruum apposuerit. Neque exulabat rei litterariæ, sed hæreditariæ causa.

Addere possum non defuisse causam legitimam vtrumque virum doctissimum reprehendendi studio veritatis, non ex liuore; quia singulares, & à vero alienas opiniones sectati sunt, qualis est illa Tostati de Concilio, supra Pontificem constituendo; vnde in odium Dominicanorum pro Tostato Concilium Basileense, cui adhæsit, defendes, Turrecrematam, qui partes Eugenij, substinuit constantissimè, tanquam inuidum, vel hæreticum damnabis. Mira est Theophile, tua æquitas, parum pensi habes vitia quæque in summas virtutes mutare, dum possis suspicionem Dominicanis creare liuoris in bonos.

Vnde etiam eodem consilio, & animo stas pro Campnione, aut Reuchlino contra Iacobum Hogostratum: quia hic Dominicanus est, & acerrimè impugnauit Campnionem; non quod Latinorum primus Lexicon Hæbraicum ediderit, quod laudandum est; sed quod Hæbraicæ Cabalæ Mysterijs initiatus, totum se his nugis, & in somniis deuouerit; vnde, inquit Genebrardus, natum est dissidium cum Iacobo à me nominato: & licet illum ob peritiam linguæ Hæbraicæ, laudet Genebrardus huius linguæ studiosissimus: tamen in sua Chronologia, damnat nimium Cabalæ studium, cuius solius causâ, fuit illi acre cum Dominicanis bellum; ergo non est à liuore natum. Adde ipsum, ni fallor, me vidisse permixtum Principibus Caluinistis apud Bezam libro suarum Iconum. Quod eadem accusatione mentionem facis Petri Galatini de arcanis, scis illud opus esse Raymundi de Martinis Ordinis nostri, vt probat doctissimus Ioseph de Voisins Exsenator Burdegalensis edi-

tione Parisiensi nupera, quam summa cura adornauit, & hoc ornamentum Ordini Dominicano restituit, nec in eo opere aliquid contra Dominicanos habetur.

Sed si scire aues qui fuerit Reuclinus; consule Genebrardum, qui Appendice ad Innocentium VIII. à Spondano relatus, ita de Reuclino censet. *Vir magnus, nisi Linguæ Hebraicæ mysteria Cabalicis nugamentis maculasset*: atque hinc cum ortæ sint eius aduersus patres nostros simultates; viderit Theophilus, ipsi ne magis nos damnanti excusato Reuclino, an Spondano, & Genebrardo, in nostram gratiam contra Reuclinum pronunciantibus fides sit habenda.

Misces sacra prophanis; quia magis impetu, quam iudicio scribis. D. Ignatium constituis inter duos authores minùs pios, quasi Christum inter latrones. Non dubito quin Ludouico Viues, non solum Erasmi laudes effusissimas, sed etiam in omnia fidei nostræ mysteria blasphemias condonares, vt persuaderes insontem esse, & Dominicanos illum solo liuore fuisse insectatos, quod non pepercisset imperitiæ à te assertæ tium Dominicanorum, qui in lib. D. August. de ciuit. Dei scripserunt; quos imperitos perperam dixisti, cum ea scripserint, quæ cæteri omnes scribunt, vt supra vidimus; sed post tuum de *errore populari*, & *de Martyrio per pestem* damnatum Opus, Dominicani tibi sunt pæne execrabiles, sicut Ethnici. Si Viues laudasset solum eruditionem, & eloquentiam Erasmi, vt fortè fecere Leo decimus, & Paulus Tertius, non fuisset reprehendendus: sed ipse parum ab erat à sensu Erasmi, & longissimè à pietate, vt Grammaticus, qui magis verba curabat, quam mysteria, cui fides erat fastidio, cui elegantia verborum fere Deus erat. Atque ita comparatus suos libros scripsit: Sed nihil in illis eradendum fuisse dicit Raynaudus, & hoc ex odio & liuore in Dominicanos, non ex ipsa veritate.

Itaque tibi placet, quilibet quantumvis impius, dummodo inde possis arripere aliquod argumentum, vel in speciem apparens, quo possis aliquam liuoris suspicionẽ Dominicanis conflare. Sed non est ferenda profectò Theophili audacia, dum libros à sacra Congregatione, & ab ipso Concilio Tridentino prohibitos, tue-

tur, quasi immeritò confixos, & quos Concilium, & sacra Congregatio prohibuit Theophilus vult à Dominicanis damnatos. Huiusmodi sunt Annotationes Ludouici Viues in S. Augustinum, prohibitæ in Indice iussu Concilij Tridentini confecto, vbi littera L. sic legitur: *Ludouici viues Valentini annotationes in S. Augustinum, nisi expurgentur.* Quas deinde Theophilus ineptias, & ignorantias se deprehendisse dicit in Commentario in idem opus D. Augustini à P. Thoma Valois, Nicolao Triuet, & Iacobo de Passauant, confecto; satis supra ostendimus, non esse ignorantias, & ineptias: sed ab his tribus Patribus asseri, quæ communiter ab omnibus asseruntur, & quæ in Calepino, in Passaratio, in Theatro vitæ humanæ, aliisque authoribus passim habentur; quos cum non legerit Raynaudus, inscitiam prodit. Thomas Valois, alias Vualens fuit Philosophus eximius, ac eruditus Theologus, & egregia multa scripsit Opera, de quo noster Fernandez. Doctissimi etiam fuerunt Nicolaus Triuet, & Iacobus de Passauant, qui opera, eruditissima & doctissima scripserunt: de quibus idem Fernandez. Sed Dominicanus quisque præstantissimus, vilis est Theophili Raynaudi criterio.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Quibusdam Iesuits & duobus alijs, quos à Dominicanis exagitatos dicunt Raynaudus & Cartherius.

HAc Diatriba cæteris longiore, & molestiore, triplici contra nos agmine incedis, & pugnas. Primum composuisti externis, & auxiliaribus copiis octo virorum pietate, aut eruditione illustrium, quos ex inuidia sine vlla causa Dominicanos frustra probare tentasti infectatos esse. Secundum agmen constat viris ex tua familia decem, ni fallor, quibus adiungi possunt tres alij, pro quibus Cartherius expostulat: hoc secundum, agmen ad pugnam, vel ad terrorem nobis ostentas, quasi Dominicanis formidabile. Tertium denique

agmen collegisti ex nonnullis extraneorum, qui parem pœnam tuæ, censura, aut damnatione librorum passi vindictam à Dominicanis repetunt, te instigatore, qui agmen, & Diatribam claudis longa enarratione, & expostulatione eorum, quæ contra te statuit sacra Congregatio Indicis, & quæ vni Patri Marino, tanquam malorum omnium authori imputas: sed profligato primo agmine, ad secundum accedo.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De Diuo Ignatio.

SAnctum Ignatium nono loco ex omnibus, qui hac Diatriba longo ordine recensentur, & primum ex tuis, reponis, quasi victimam inuidiæ Dominicanorum. Iam dixi, te Regium animum habere beneficiorum obliuiosum, quasi non beneficia sint, quæ præstantur tibi, sed obsequia: solam iniuriarum, quæ tamen nullæ fuerunt, memoriam tenacissimè seruasti.

Nonne debueras meminisse, vt aliàs diximus, D. Ignatium, ac subinde totam Societatem, cuius author futurus erat, ab Æmulorum manibus, & Academiæ Parisiensis Auditorum furore fuisse liberatum, potentiâ & authoritate Religiosissimi Dominicani Matthæi Ori Inquisitoris Parisiensis fortè vltimi, vt D. Ignatio à periculo mortis liberato officium Inquisitoris clauderet?

At tu quæ in Academia Parisiensi gesta sunt, in illius gratiam taces, vt refrices memoriam iniuriæ, quam putas illatam in ciuitate Salmanticensi, dum per speciem prandij allectus à Priore, varijs circa librum Exercitiorum spiritualium percunctationibus agitatus est, & triduo in Conuentu detentus; vnde dimissus est in publicum carcerem, ad examen sui libelli, quem à Cano refers impugnatum, defensum à Mansio Dominicano, & tandem agente Francisco Borgia confirmatum à Paulo III.

Ego etiam expertus libri vtilitatem, aliasque dotes, summè laudo; nec assentior illis, qui volunt illorum authorem esse Garciam Cisnerium Montisserrati Reli-

gioſum Benedictinum. Crediderim equidem cum D. Ignatius Manreſæ, loco illi conuentui proximo, rebus Diuinis initiatus fuerit, aliqua documenta, & fortè operis lineamenta excerpſiſſe à Garcia Ciſnerio, atque vt vrſa fætum identidem lambente lingua format, ſic Diuus ille variis experimentis opus illud progreſſu temporis abſoluiſſe.

Tacuiſti etiam, Theophile, eadem S. Ignatij Exercitia iuſſu Pauli III. Summi Pontif. recognita fuiſſe à P. Foſcarario Magiſtro ſacri Palatij, qui egregium de illis protulit teſtimonium præfixum libello editione Romanâ primâ impreſſo anno 1596. *Non poterunt tam ſancta Exercitia non maximum commodum præſtare cuilibet ſtudioſo: Ideo obuijs etiam vlnis amplectenda ſunt.* In ſecunda vero tranſlatione ſic ait: *Cùm nequeat ſubſiſtere diu Chriſtiana Religio ſine exercitijs, & meditationibus aliquibus ſpiritualibus (in meditatione enim, inquit vates, exardeſcit anima mea;) nullas arbitror magis opportunas, his, quæ procul dubio ex Scripturarum ſtudijs, & longo rerum vſu natæ ſunt.* Nec contra illum imploratus fuit per fratres, vt tu dicis, Epiſcopi vicarius; neque Maffeius, quem tu laudas, hæc narrat. Sed Theophilus non niſi iniurias, quæ nullæ ſunt refert, reclamantibus Maphæo, & Ribadeneira.

Ita enim hic poſtremus teſtatur, exceptum conſortio, & communi mensâ Fratrum: Theophilus, inducit Patres noſtros omnes diuos infeſtos: ſed contra Ribadeneira, ait plures illorum laudaſſe conatum Sancti; & vocat religioſos & timoratos. Quidam tamen timebant ne pietatis ſpecie, tempore calamitoſo, & hæreſum feraciſſimo, error aliquis lateret: & ſuſpicionem augebat carcer, quo iam ſemel iniectus fnerat Compluti, à vicario Archiepiſcopi Toletani. Sed magis inuidioſum, & falſum eſt, quod ait implanatum Epiſcopi Salmanticenſis Vicarium à noſtris Patribus; eorum conſilio iterum in carcerem iecisſe: cum tamen Ribadeneira dicat monuiſſe tantum bono animo, eorum quæ toto triduo compererant.

Sed vbique Theophilus Ribadeneiræ diſſimillimus iniurias auget leuiſſimas in maius, vel omnino commi-

niſcitur ; beneficia vero, & argumenta Dominicanorum beneuolentiæ in ſuum Parentem in totum tacet. Nam præter innumera huius generis teſtimonia, quæ iam retulimus ; non poſſum ſilere quod quidã obſeruant, Mathæum Ory verum ſeruatorem Ignatij, eo fuiſſe animo in Diuum, vt eius Exercitia in Gallicum idioma conuerterit, ad ſuum aliorumque profectum : Et poſt hæc, ſi ſuperis placet, ſi fides Theophilo & Cartherio, Dominicani liuore, & odio Vatiniano in Diuum Ignatium, eiuſque inſtitutum, atque exercitia flagrarunt.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

De Leſſio & Molinæ.

SEcundo loco inducis, Theophile, Leſſium tanquam, Sodij Dominicanorum in benemeritos luculentiſſimum exemplum. Mirè excurris in laudes iſtius viri, tanquam alterius Herculis, qui excuſſo duriſſimæ ſeruitutis iugo, totius generis humani voluntatem, rationemque in perfectam libertatem aſſeruit, omnes Theologiæ nodos diſſoluit, aut diſcidit, conſtituto ad ſalutem ſufficienti auxilio, ne quidem exceptis pueris in materno vtero extinctis, vel cum perpetua amentia natis, vel inter barbaras gentes educatis, quæ vix, vel minimum luminis naturalis radium ſeruarunt. Vbi autem tot meritis impleuit Solis vtramque domum ; ita liuore exarſerunt Dominicani in authorem, & in eius libros, vt hæc omnia extincta vellent.

Verum cùm Sixti quinti authoritate in tuto eſſet ; ſicut, inquit, Panthera ferociſſimum animal, implacabili hominis odio æſtuans, cum in perſonam effundere iras prohibetur, oblatam eius imaginem lacerat, aut ſicut Diabolus, cum in Deum furere nequeat, hominem, eius imaginem rabiendo perſequitur, & diſcerpit ; ita, inquit Petrus, Dominicani imaginem Leſſij, ſuo furori ſubducti leuibus typis expreſſam, & libello de eius vitâ præfixam, quod circum appicti eſſent Angeli tanquam Apotheoſim Leſſij præferentem, abolere omni ſtudio ſategerunt Obſerua, erudite lector, quibus nos coloribus depingat, Pantheram, & Dæmonem vult nos imitari

vt inde iudices nobis condonandum, si videamur à solitâ, & innatâ nobis moderatione recedere: quia necessarium duximus hominis audaciam non leui brachio contundere.

Sed ad rem accedamus. In hoc Dominicanorum cum Lessio, si quod fuit, dissidio, tria tacet, quæ omnem à Dominicanis odij, vel liuoris notam in Lessium amouent. In primis qui responderunt Lessio scholam nostram lacessenti, eam modestiam seruarunt, vt ne verbum quidem illis asperum exciderit: Consule Aluarez suis responsionum libris; nescio, an ipsa modestia posset aduersario alias præsidenti, & præferoci humaniùs, & moderatiùs respondere: atque hoc exemplo si vlla resipiscendi esset spes in Petro, potuisset desinere odisse, & accusare Dominicanos.

Deinde disceptatio cum Lessio fuit potius totius Academiæ Louanienſis bellum, quàm Dominicanorum: illa enim Augustinianæ, & Auitæ doctrinæ schola, qua haud scio an vlla fuerit Academia in toto Orbe Heroum feracior, aut hæresi magis aduersa, & fatalis; cum progressum in Belgio cohibuitu: Illa inquam totius Orbis Christiani eò dignior magistra, quò se Pauli, Augustini, & Thomæ discipulam profitetur, non est passa se ab antiqua doctrina deduci nouis inuentis Lessii: de quo, vt paucis verissimè, & modestissimè dicam, rationem humanam vbique fidei, non tam ancillam, quam sociam velit, & ipsam tum maximè audiat, cum Apostolus non habet, aliud quod respondeat, quam illas voces; *O altitudo diuitiarum! O homo quis es tu qui respondeas Deo?*

Et dum à communi tramite Patrum recedit, ratione humanâ duce, se se difficultatibus implicat, multo magis insuperabilibus, his quas putas se euasisse. Improperat Petrus Bannesii dictum, *si non, intelligunt credant*: At certissimè assero, nulli magis necessarium hoc monitum, quam his qui Lessium Magistrum sequuntur. Quid enim si reuocem ad rationem humanam, vt ipse facit negotium prædestinationis, & media illa sufficientia ad salutem, parata pueris ab ortu extinctis, & omnibus denique hominibus, nullo excepto, elut ad regulam exigas, eris, sicut prouerbium habet,

quasi auis in viſco, vel mus in pice. Nulli de rebus diuinis, & arcanis fidei minus mihi ſatisfaciunt; quam qui omnium rationem quærunt, & pollicentur.

Agnoſco magna ex parte dotes in Leſſio, quas laudat Petrus; ſed vellem minus de diuinis rationem humanam audiſſet; vel docuiſſet nos reuerentiùs de diuinis myſteriis loqui, & ſentire; & apertiùs ſine reticentiarum ambiguo cum hominibus loqui, nam liber cuiuſdam Benedictini Iacobi B. Barneſij in ipſum ſcriptus, indicat ipſum minus amaſſe candorem, & ſimplicitatem humanæ locutionis: & quæ de prædeſtinatione, & auxiliis edidit, monſtrant illum parum habere commercii cum Auguſtino, & liberiùs in arcana inquirere, quæ hominum oculis Deus ſubduxit.

Sed obſeruandum, quàm temerè loquatur Theophilus de Dominicanis, dum dicit, *quod Leſſius traditiones Cyriacorum, de Deo ad quæuis opera (etiam ſcelera) præ determinante, reiiceret, &c. graui cenſurâ, agentibus Cyriacis pro humanæ libertatis deuinctione ſollicitiſſimis, perculſus eſt.*

Vbinam Theophile, Dominicani tradunt, Deum prædeterminare ad ſcelera, vt tu dicis? Itane in Dominicanos furis, vt eam impietatem illis imponere non dubites? An idem putas Deum prædeterminare, aut præmouere ad entitatem actus peccaminoſi, ac præmouere ad peccatum, ſeu ſcelus? Hoc ſecundum nunquam Dominicani aſſeruere, vt tu malignè imponis; primum aſſerunt abſque erroris periculo; cum entitas actus peccaminoſi diſtincta ſit à peccato: ad quod proinde non præmouet Deus, præmouens ad entitatem.

Sed cur etiam nos dicis, *ſollicitiſſimos pro humanâ libertatis deuinctione?* Non pro deuinctione humanæ libertatis, ſed pro defenſione diuinæ gratiæ ſolliciti ſumus; cuius tu efficaciam, euertere totis viribus videris, vt libertatem independentem à Deo hominibus aſtruas. Stat enim argumentum de non ſeruatâ dependentiâ debitâ cauſæ primæ, ſi Deus non præmoueat; & huic argumento nulla huc vſque adhibita fuit ſolutio vera, ſed tantùm verba prolata: Verum vltrò concedimus tibi defenſoris libertatis titulum,

relicto nobis glorioso titulo defensorum diuinæ gratiæ. Reliqua, quæ contra Lessium à Dominicanis acta refers, mera sunt commenta.

Tertio loco Lessium sequitur Molina, quamuis iure primogenituræ antecedat. In illius etiam laudes effusissimè vagatur Petrus, *Ludouicus Molina Theologus in paucis excellens, apud Fr. Dominicum Bannem, & reliquos Cyriacos, grauiter offendit quòd nihil moratus Cyriacas traditiones seniorum de auxiliis ineluctabiliter mouentibus (quæ quomodo cum vertibilitate humanæ voluntatis conciliari possint, arduum est intelligere:) viam & cogitasset, & expeditam, & solidam, efficacitatis auxiliorum cum iuribus libertatis concordandæ, &c.*

Qualis fuerit qualisque sit Molinæ, & eius sequacium omnium, qualis verò sit nostræ scholæ, de hac re doctrina, iam Orbis vniuersus nouit; nec opus habeo huc transferre, quæ in nostris Doctoribus passim leguntur, aut eadem repetere; quæ supra dixi: vnum addo, viam hanc à Molina, vt asseris, excogitatam ad conciliandam libertatem cum efficaciâ gratiæ, gratiæ efficaciam non astruere, sed eleuare, cum re vera ponat auxilia efficacia non ex se, & à Deo, sed à consensu humano; nec solum Molina asseruit gratiæ efficaci nos dissentiri posse, (hoc enim & nos admittimus absolutè, & in sensu diuiso,) sed vlteriùs addidit, nullam dari gratiam ex se efficacem independentem à nostro consensu. In hoc sita est nostra controuersia, quam Theophilus multis verbis, ac tergiuersationibus celat: interim obseruo, à Theophilo nostram sententiam vocari Seniorum traditionem, quam tamen Cartherius dicit quid nouitium esse, & à recentioribus Thomistis excogitatum. Vnde non sunt conuenientia testimonia Reynaudi, & Cartherii.

Addit Raynaudus; *quòd Bannes impar congressus Achilli*, hoc est Molinæ; egit omnibus studiis, vt Molinæ doctrina damnaretnr. Sed hæc Raynaudi dicta consuetæ sunt ipsius militares iactationes. Norunt omnes quis, & quantus fuerit Dominicus Bannes, nouit Hispania, nouit Orbis vniuersus. Sed, vt iam monui, oportuit Molinam, priuatam, & domesticam emendationem pati, vt publicam & iuridicam euitaret: ergo accusatus à Banne omnino

insons non fuit qui à suis debuit castigari. Hinc enim in illo postmodùm, ea verba desiderantur, quibus in Domino gloriabatur, si quæ scilicet ad conciliandam libertatem arbitrii cum diuinâ gratiâ tradidit, *data explicataque fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter negassent liberum arbitrium, neque ex Augustini opinione, contentionibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, & ad Pelagianos defeciſſent.*

Quis, ne dicam, Theologus, sed etiam fidelis traditionis, & reuerentiæ Patrum studiosus, potuisset ista, & his similia audire, & tacere? Ergo non odio, non inuidiâ in Molinam, sed zelo fidei Dominicani insurrexerunt; quodque damnationem euasit, hoc suorum debet prudentiæ, qui emendastis, & correxistis plurima, & vestræ authoritati, quam fatemur non esse contemnendam, & variis experimentis iam probastis, quid possit: sed vos nil timemus, certi si quid fors ferat, nos stante Augustino numquam casuros, & ferè mallem nos cum illo errare, quam Molinam sequi, cum ipse apertè præ se ferat & res ipsa clamet, se in totum ab Augustino dissentire.

Baësa lib. 15. cap. 20. n. 7. temperamentum laudatissimum sequitur, à quo vtinam nunquam recessisset Petrus, nec visus esset nostros aliquantulum in suum vitium abripuisse. *Laudo in hoc maxime sacrum Ordinem Societatis Iesu, qui pro fide ab incunabulis stetit, & nullam aduersariam fidei doctrinam non notauit, non confutauit, non scriptis libris confecit. Laudo etiam sacrum Prædicatorum Ordinem qui pro fide stans vbi Ludouici Molina Societatis Iesu splendissimi Theologi concordiam de libero arbitrio suspectam habuit, rem ad fidei Iudicem Pontificem detulit, & vel suspecta commata asteriſco notans, coràm tanto Iudice alacriter pro fide pugnauit.* Æquioris est Baësa in nos animi quam Theophilus, aliique nonnulli, quibus hæc nostra de Molina visa nedum violentæ, sed etiam iniquæ agressionis nomen mereri.

PARAGRA-

Paragraphvs Tertivs.

De Bellarmino, & Martino Delrio.

Qvarto loco succedit Bellarminus, pro quo etiam grauiter expostulat Ludouicus. Ille est meo iudicio duobus superioribus causâ melior: & quamuis in illum vterque plenâ manu laudes congerat, plures etiam addi vellem; quia maiorem omni laude puto: sed præ omnibus dotibus, quibus magis eminet, quàm purpura, miror grauitatem & modestiam, quâ causam fidei defendit: Et vere gloriari potest Ecclesia, sibi defensorem contigisse se dignum, id est, non minùs strenuum quàm sincerum, nec minùs veracem, quàm doctum, & vt vno verbo dicam, Petro licet instituto iunctum omnino dissimillimum.

Nam si Bellarmimus etiam Ecclesiæ hostibus, quæcumque permittit officia iustissimæ causæ defensio, exhibet; si cum summâ modestiâ, & veracitate disputat, nec etiam Aduersariorum difficultates aut effugit, aut dissimulat: è contra Petrus nullum decorum seruat, veracitatem vix seruat, omnia sibi permittit in eos, à quibus obtendit se aliquam iniuriam passum esse. Verè Bellarmini antipodem agit. Quæ verò Mariales scribit de Bellarmino, licet non sint aliena à Morosoum opinione, quòd causam hæreticorum iuuerit; & à ministri ore excepi, Bellarminum de suis Ecclesiis reformatis optimè meritum, quòd illarum Theologiam miro Ordine digesserit, quòd fortiora argumenta proferat, quàm extent apud suos Authores: & addebat se audiuisse Bellarminum in Hispaniâ prohibitum, quòd ab eius lectione aliquid mali timerent Catholicis; quia argumentis validissimis debiliores dabat solutiones.

Et hunc etiam fuisse sensum doctissimi Cardinalis Perronii refert Cardinalis Bentiuolus in Libro edito, quem inscripsit, *Memoriæ*, pag. 100. vbi dicit, se hæc eadē propriis auribus à Perronio excepisse. Chamierum legi omnium Caluinistarum meo iudicio mordacissi-

mum, & vt dixit Gretserus, caninæ eloquentiæ, eius aliquot loca notat ex Sanctis Patribus non sincere citata, idque ex inaduertentiâ, quæ sine dubio potuit diligentissimo, & veracissimo in opere prope infinito obrepere: hæc in ore plurium sunt contra Bellarminum, neque Dominicanorum est singularis, sed communis plurium accusatio.

Verum quod illi vitio vertunt, summè laudo, nempe sinceritatem illam, & bonam fidem quâ hæresim impugnat, vt si quas habeat vires, non dissimulet; & hoc ipsum mirantur hæretici, & eius solutiones reddunt illis acceptiores, quòd videant emanare à pectore verè candido, & Christiano: Nec ab hoc sensu aberat ille, qui lectis omnibus eius controuersijs, non potuit ab hæresi curari, illam vero eiurauit post lectum eius testamentum, quòd summam sanctitatem respiraret, quâ se affici & conuinci magis sensit, quàm tot argumentis.

Cæterum dum eius modestiam & candorem laudo, nolim quis interpretetur, me oblique in illo prudentiam, & eruditionem desiderare, quasi argumentis hæreticorum succubuerit. Alia mihi planè mens est, & censeo argumenta hæreticorum non modò soluta ab ipso fuisse, sed planè contrita. Hoc solum adiunxerim quod in defensionem Bellarmini me aliàs audiuisse memini, mysteria fidei hoc habere, quòd, cum superent captum rationis humanæ, faciliora sunt sensui argumenta, quæ impugnant, quàm responsa, quæ defendunt.

Contentio *de Gemitu Columbæ, & voce Turturis* cum Grauina, vel cum Petro Caluo *de lachrymis iustorum*, non excessit metas Christianæ modestiæ: quia quisque suum sensum cum grauitate propugnauit, & vtrinque multa refutata sunt, sine acerbitate: ac dubium erat, in quam partem victoria inclinaret, quod ex ipsomet Petro coniicio: nam licet purpura, & authoritas Bellarmini Grauinam videretur obruere, parum tamen abfuit quin liber *de gemitu Columbæ* prohiberetur. Non debuit ergo vitio verti Grauinæ quod putarit sibi tantum licere ad defensionem antiquarum Religionum, quantum sibi assumpserat Bellarminus, ad illarum reprehensionem. Et fortè verum erat quod ab vtroque

diceba tur, quia notum est Religionum Ordines Ecclesiæ materiam lachrymarum, & gaudij præbere copiosissimam: forsan satius fuisset, ne pro hac causa natum fuisset dissidium inter duos fortissimos Ecclesiæ pugiles, qui pro illius defensione validissimè pugnarunt, nec *gemitus Columbæ*, aut *vox turturis* filiis Ecclesiæ, id est Turturis, & Columbæ natis, non displicuisset, nec fuisset scandalo, nisi *cauea Turturis* author, eiusdem genij cum Petro contentionem honestam in conuitiorum procellas & tempestates mutasset: Sed non impunè passus est Grauina Religiones antiquas conculcari, & validissimè hominis audaciam contudit, & quam maledicendo hic voluptatem perceperat, iustæ castigationis dolor compensauit.

Sed mirum est quod librorum omnium prohibitionem tribuit semper Theophilus Dominicanis; ita Roberti Bellarmini tomum primum dicit relatum in indicem vetitæ lectionis operâ Dominicanorum, cùm tamen constet iussu Sixti V. in eum indicem fuisse relatum; nec video dehonestationem illam in caput nostrum, quos Raynaudus vocat Criminatores fuisse, retortam. De Grauina gemitui Columbæ à Bellarmino edito opponente vocem Turturis, iam supra dixi: falsissimum autem est quod hic addit Raynaudus, à Grauina curatum, vt liber Bellarmini de gemitu Columbæ damnaretur; licet hoc periculum liber ille passus sit, vt diximus.

Bellarminum consequitur Martinus Delrio, aliquâ argumenti similitudine, nam sicut Bellarmini controuersias, nonnulli viri dubitarunt, an expediret fieri publici iuris, & amplius inde emolumenti sperandum esset, quàm damni timendum: multò id verisimilius censuerunt aliqui de disquisitionibus magicis Martini Delrio, quibus videbatur magis malum doceri, quàm arceri; nec, vt patet exemplo Bellarmini, adeo à probabilitate hoc plurium iudicium abest, vt possit Petrus censere ex liuore natum.

Delrius totus in Disquisitionibus magicis, rebus illius furiæ scientiæ eodem ardore, & fortè maiori incubuit, quàm Archimedes figuris mathematicis, & machinis conficiendis, quibus patriam propugnaret, ipse non

erat morosus in corrigendo suo opere, sicut Virgilius in suâ Æneide, in quâ nævos nobis ignotos deprehendebat, & iusserat flammis absumi: at contra Delrio placebat sibi in suis Disquisitionibus: vnde apposuit nomen, non solum indaginis, sed etiam amoris & delectationis: nec dubito quin ægrè tulerit non sibi applaudi in hoc labore longissimo, & plures dixisse plus fortè damni posse, quam vtilitatis ex huius libri editione capi, quòd plura doceret, quæ expediret nesciri.

Erasmus notat in Seneca, interdum abripi incautè nimio odio in vitia; & dum ea reprehendit accerimè, nimis accuratè describit; vt videatur illa potiùs docere, quàm execrari, & damnare; at si quæ sint, quæ expediat ignorari, maximè magica pertinent ad illud genus. Sed quis nesciat maiorem esse authorum in suos libros quàm parentum in liberos indulgentiam, & affectum? Sinamus primo in re dubiâ quemlibet suo iudicio frui; defendat Delrio suas disquisitiones, propugnet illas Petrus: sed multi aliis assentient, vel certè dicent, ex vero, & ex boni communis studio, quàm alieni inuidiâ fuisse locutos. Quæ tamen Theophilus dicit, reperiri in operibus Maluendæ contra Delrium, in illis certè non extant: Lustraui opera Maluendæ etiam antiquioris editionis, nec asserta à Theophilo inueni.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

De Francisco Suario.

SExto loco ex suis producit Petrus Suarium, *iubar* inquit, *Theologiæ eximium, quo clarius micabat, vehementiùs Cyriacorum inuidiâ flagrauit.* Vult ergo Suarium gratis, & ex liuore lacessitum, primò ob Conceptionem Christi ex Beatissimâ Virgine concursum actiuum præbente, de quo iam supra dictum est, & hic etiam addimus, opinionem illam Suarij quoad concursum actiuum B. Virginis in Conceptione Christi esse opinionem minùs conformem doctrinæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, qui totam efficientiam Conceptionis Christi tribuunt Spiritui sancto: est præterea

contra communem opinionem Philosophorum, & eorum Principis Aristotelis, cui Theophilus opponit Paulum Zacchiam Medicum Romanum.

Dicit etiam Theophilus concursum istum actiuum in Suaresio accusatum, in Caietano dissimulatum 3. p. q. 31. art. 2. At nec D. Thomas, nec Caietanus hac de re agunt art 2 sed art. 4. eiusdem quæstionis, vbi D. Thomas cum Aristotele docet, fœminam passiuè, non actiuè concurrere ad Conceptionem, ideóque etiam B. Virginem in Conceptione Christi non actiuè operatam fuisse, sed tantummodo materiam ministrasse, quamuis ante Conceptionem operata sit aliquid actiuè præparando materiam, vt esset apta conceptui Idem autem docet Caietanus in Commentario illius articuli; quamuis enim subtiliter distinguat, Beatam Virginem actiuè operatam fuisse ad ipsum actum conceptionis; quatenùs instanti terminante tempus præparationis materiam idoneam ministrauit ad terminum suæ actionis. concludit tamen Caietanus his verbis, *ad ipsum autem conceptionis actum non concurrit actiuè, sed passiuè, suscipiendo in materiâ ministratâ actionem agentis Spiritus sancti, loco seminis.* Cur ergo dicis, Theophile, opinionem Suarij edoceri à Caietano, cum doceat secus Caietanus?

Secundò addit Theophilus priuatim Suarium à Francisco Combefisio lacessitum, quòd dixerit veritatem coniugij B. Mariæ cum Ioseph ad fidem pertinere; & hoc inquit Theophilus inconsultò, vt alia pleraque, à Combefisio agnoscas, ita ex scripturis liquido haberi: verum Theophilus nescit, quæ ex scripturâ non habentur immediatè verbis expressis, sed tantum medio discursu Theologico, vt conclusionem, ad fidem non pertinere. Sed ipsemet Combefisius suo apparatu, verb. Chrysostomus hanc Theophili accusationem ita refellit, *licet quiduis ludo fingere & comminisci fratri Theophilo Raynaudo Videat, quaso, quam ipse Chrysostomum obseruet, qui illius, ac penè omnium Patrum sponsa Maria, seu desponsata, nec dum coniugi cum Spiritu sancto obumbrante concepit, opinionem hæresis infamem cum Suaresio.*

Tertium caput disceptationum Suarem inter & Thomistas, quòd secundo loco reponit Raynaudus, omninò immutat, vt fucum faciat lectori, & à notâ censuræ Suarium liberet, & eâ grauet Clementem VIII.

Iam pluribus experimentis probauit Raynaudus (neque ipse solus huius est mentis) authoritatem, & infallibilitatem Summi Pontificis, tamdiu cordi esse, quam diu ipsi, eiusque placitis faueat. At si vel latum vnguem à proprio ipsius commodo, boni etiam publici, aut veritatis causâ recedat, iam incipit ea authoritas illi esse exosa.

Non repetam quæ ab ipso de Ioanne XXII. dicta sunt non solum falsò, sed etiam cum quadam specie impietatis, neque etiam illa, quæ toties effutiit in contemptum decretorum, quibus eius libri, vel amicorum confixi sunt, modo aliud occurrit de Suaresio exemplum.

Quid potest apertiùs falsum, aut Ecclesiæ contumeliosius dici, quàm quod ipse narrat de causâ Suaresii? Primò falsissimum est contentionem, aut decretum Clementis fuisse de absolutione moribundi, qui Sacerdotem ad confitendum expetiit, & ante eius aduentum amisit sensuum vsum, nec constat sacerdoti, quòd pœniteat ipsum suorum peccatorum, nisi ex testimonio astantium; sed quæstio, & decretum erat de confessione faciendâ per litteras, quam Pontifex damnabat, & post eius decretum ausus est Suarez defendere, vt legitimam, vnde sententia in ipsum lata est, & in eius librum, quam ex Petro Faio, & Isamberto supra memorauimus.

Cur ergo Petrus historiam infinitis artibus corrumpit vt Suarem in tuto ponat, & tota infamia recidat in Clementem Octauum? *Paulus*, inquit, *Quintus saluam voluit totam Suarez doctrinam, erasâ dumtaxat Clementis mentione, vt periculum labendi, in quod Clementem inducere fratres tentarant, posteros lateret; nam sategisse fratres liquet, vt per Clementem antiqua decreta ad stabilienda domestica placita conuellerentur Hoc tantum voluit Paulus V. è Suaresij libro expungi, incolumi eius vniuersâ doctrinâ Quod in Clementis potiùs, ac fratrum dehonestamentum cessit, vt per se liquet. Hac Theophilus.*

Quid dicam de isto scriptore, qui omnem reuerentiam in Summos Pontifices eiurauit? quis potest negare, nisi per summam imprudentiam decretum Clementis VIII non fuisse de absolutione moribundi, sed de confessione per literas? Quâ ergo conscientiâ ausus est scribere, *Fratres per Clementem fategisse antiqua documenta ad stabilienda domestica placita conuellere?* Quis non meminit ipse nostris Theologis improperasse tanquam errorem confessionem per literas legitimè fieri posse; ergo nisi desiperemus, non potuit nobis in mentem venire, vt operâ Clementis vteremur ad stabilienda nostra placita, conuulsis antiquis, quandoquidem decretum Clementis perinde erat contra antiquos Thomistas, ac contra ipsum Suarezium?

Deinde: quid peccauit Clemens Octauus censurâ confessionis per litteras, vt opus fuerit consulere eius honori, & dehonestamentum, quod incurrerat, delere? Quis non videat Theophilo nil sanctum, cui potior sit vnius Doctorum è suis honor, quàm omnium Pontificum authoritas? Præterea si huius decreti finis erat, quem fingit, vt consuleretur honori Clementis VIII, quẽ non sine blasphemiâ dicit à Dominicanis in errorem abreptum, non verò vt Suarez doctrina improbaretur; Nonne satis cautum fuerat memoriæ & honori Clementis VIII. conclusione abrasâ è 4. tomo Suarez?

Cur igitur iam ætate, & studiis confectus Suarez iter è Lusitaniâ Romam, & inde in Patriam suscepit, quo ex labore mortem accelerauit; an vt Clementis Octaui memoriam, vel vt se ab errore purgaret? Promptum tibi erit aliam huius longissimæ, & molestissimæ seni quieti, ac studiis dedito profectionis causam fingere, quam sui nominis purgandi, vel præcepto Pauli V. qui ad se euocauerat, parendi necessitatem. Tanti fuit Clementem VIII. liberare à suspicione, quòd legitimam Suarez doctrinam improbasset, vt oportuerit primam iniuriam secundâ cumulare, & senem de Ecclesiâ bene meritum à suis studijs abripere, terræ marisque periculis obiectare, ac denique præcipitem agere in sepulchrum. Hoc nobis suâ eloquentiâ persuadendum suscepit Theophilus, vt nos conuincat Summum Pontificem in errorem nostrâ fraude deduxisse. Quam bene con-

sulit sedi Apostolicæ, vt Suarez Clementem vincat & sit illo infallibilior!

Verum est, decretum Clementis Octaui ad suam opinionem firmandam trahi ab illis Dominicanis, qui, vt supra diximus, etiam post editionem Ritualis Pauli Quinti, docuerunt non esse absoluendum moribundum, qui morti proximus dedit signa pœnitentiæ, confessionemque petiit, sed aduenientе Confessario amisit sensum & vocem: At quamuis ab illis authoribus ad casum moribundi perperàm non trahatur decretum Clementis, mens tamen Clementis fuit damnare confessionem per litteras, seu inter absentes, cui contrauenit Suarez, non quia dixerit, morti proximo, priuato vsu omnium sensuum impendi posse absolutionem, si ex relatione aliorum Confessario innotescat, moribundum pœnitentiæ signa dedisse: nam hoc Suarij assertum non est contra Clementis decretum, qui, vt refert Syluius 3. p. supp. quæst. 9. art. 3. dubio vnico, super hoc interrogatus, respondit non fuisse sibi propositum hunc moribundi casum comprehendere: sed in hoc repugnauit Suarez decreto Clementis Octaui, quia dicit, Clementis decretum intelligendum esse copulatiue, non diuisiuè, scilicet, damnatam esse Confessionem & absolutionem copulatiuè, non vero diuisiuè; in hoc, inquam, peccauit Suarez, & hoc delendum fuit ex ipsius opere, de quo videri potest Syluius loco cit.

Addo etiam, si dicamus, decreto Clementis Octaui, quo prohibetur confessio, vel absolutio inter absentes comprehendi etiam casum illius moribundi, scilicet, eo necessitatis articulo non esse moribundum illum absoluendum; etiamsi hoc inquam, dicatur, rectè dicitur, & stat etiam quo ad hoc decretum Clementis, cui non est contrarium Rituale Pauli Quinti: nam vt optimè distinguit & appositè Pater Diana par. 3. tract. 3. resol 4. & 5. Si testes deponant coram infirmo sensibus destituto, illum petiisse confessionem, vel signa contritionis ostendisse; infirmus potest absolui, quia dum adstantes Sacerdoti præsenti pœnitentiam, & desiderium moribundi explicant, coram ipso moribundo quamuis sensibus destituto, sunt veluti interpretes, qui moribundi Confessionem Sacerdoti præsenti

confitentur, & hoc dici potest præscribi à Rituali Pauli V. & non prohiberi decreto Clementis Octaui; secùs autem dicendum, cum testes non coram infirmo, sed statim in eius absentiâ manifestant Confessario illum petiisse confessionem, vel signa contritionis ostendisse; nam in hoc secundo casu testes exponunt Sacerdoti pœnitentiam moribundi, ipso absente, ideoque est confessio facta per nuncium in absentiâ, à Clemente damnata, de quâ Rituale nequeat intelligi. Videndus est Pater Diana loco cit.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

De tribus alijs adductis à Carterio, Valentiâ, Vasque, & Fasolo.

SVperioribus PP. Societatis à Theophilo in theatrum, aut ad pugnam productis adiungit tres alios Ludouicus, id est Valentiam, Vasquez, & Fasolum, pro quibus expostulat contra Mariales, qui illos conuitiis insectatus est, &, vt hoc dedecus compenset, innumeris laudibus illos ornat.

Accusat Mariales violati decreti, quo historia Pennæ de Congregationibus auxiliorum prohibita est; Decretum veneror latum in historiam Pennæ, sed non puto in memoriam hominum; quia scio summâ humanitate, & suauitate, sicuti diuinam, ita Pontificiam potestatem temperatam esse, nec vim suam exercere in fidem, aut traditionem publicam. Et sicut ex illo ante desumpsit Ludouicus, quæ narrat à Cardinali Perronio dicta Clementis VIII. hæreticos scilicet Galliæ subscripturos sententiæ Thomistarum; ita ex eadem publicâ traditione, & non ex Pennæ historiâ, refertur, à Valentia, non bonâ fide citatum Augustinum, atque eâ de causâ reprehensum à Pontifice, dolore, & morbo correptum fuisse, quo breui expirauit.

Certè non minùs timenda erit Ludouico violatio decreti, quo acta congregationis prohibentur, relato Perronij dicto, quam nobis, si Valentiæ casus mentionem faciamus: neque enim ea fuit mens Summi

Pontificis, vt hoc decreto deleret, quæ recepta sunt, & conseruata, non vnius Pennæ fide, sed tot testium, qui illo tacente locuti fuissent: id vnum timeo, iam monitus exemplo Theophili, sicut dixit decretum Pauli V. de abradendâ conclusione ex quarto tomo Suarez, factum, vt consuleretur honori Clementis, & erroris, aut suspicionis notâ eximeretur; ita etiam proscriptam fuisse historiam Pennæ, ne posteritas vnquam sciat duos Pontifices à sententiâ Molinæ, quod perinde est apud vos, atque ab ipsâ veritate Catholicâ, fuisse alienos, vel ad minùs non illi apertè, & impensè fauisse.

Pro Vasquez etiam Ludouicus expostulat contra Mariales, & pro illo amplissimas laudationes de more suo congerit Cartherius, Vasquesium appellans, *Theologiæ solem, & Magistrum Magistrorum, Angelum vitâ, & intelligentiâ, Hominem admirabilem, Theologorum Coryphæum, & Antesignanum Scholæ Theologicæ, & nostri sæculi magnum decus, lumen, & ornamentum; is demum fuit*, inquit Cartherius, *qui citra vllius iniuriam, & inuidiam, Orbis Doctor, vt olim Chrysostomus dici potuit* Videant quæso, sapientes omnes, & attendant, an, de Diuo Thomâ Aquinate; de Alberto Magno, de Scoto; imo de Diuo Paulo altiora dici possent his quæ de suo Vasquesio iactat Cartherius, & ab aliis prolata narrat.

Addit Cartherius, *Gabrieli Vasquez solemne fuisse, vt discipuli, & Auditores in eius verba iurarent, illiusque doctrinam, & sententias mordicus tuerentur.* Sed cur Cartherius pro laude Vasquezij recipit, quæ in nobis reprehendit? Laudi nempe tribuit Gabrieli Vasquesio, quòd Discipuli, & auditores in eius verba iurarent, illiusque doctrinam, & sententias mordicus tuerentur: & nos reprehendit, quòd in verba Sancti Thomæ iuremus, illiusque doctrinam, & sententiam mordicus tueamur. Sed certe eo non peruenerunt, ne vniuersitates in eorum verba iurent, vt summis votis optatur, sicut iurarunt, & iurant vniuersitates in verba Diui Thomæ, imo etiam Durandi Dominicani.

Iam aliàs monui Vasquezium æquè ferè debilem in suis confirmandis opinionibus, ac validum in alienis refellendis se probare. Id non gratis, aut ex alieno

sensu, sed veris experimentis dico, quòd obseruauerim grauissimas Theologiæ difficultates, vel in apertam petitionem principij, vel in entia rationis resoluere solitum esse: iam puto me aliàs indicasse, admisso concursu obiecti ad cognitionem humanam per species, & negato ad Angelicam, vel diuinam, nihil habere quod respondeat ad quæstiones difficillimas de cognitione possibilium, futurorum, cogitationum cordis, & his similium, nisi puram petitionem principij, vt latè demonstrat Suarez eius æmulus, & hac parte sine dubio superior, toto Tractatu de Angelis, de Visione Beatâ, & de scientiâ Dei.

Sed id mihi singulare, & mirum semper in viro subtilissimo, & acerrimo censore, qui nulli parcit; quòd grauissimas Theologiæ res, aut quæstiones ad entia rationis deducat. Si quæras, quâ ratione constituatur in Deo, vel in nobis liber actus, vel valor operum Christi, vel nostrorum meritorum: hæc omnia si Vasquesio credimus formalissimè constant entibus rationis, & innascibilitatem, qua primam in diuinis personam constitui arbitratur, totam in ente rationis reponi t. Hæc in promptu habuimus, quæ à Vasquesio scimus entibus rationis componi: si liceret per tempus, aut per huius Apologiæ breuitatem eius tomos decurrere, plura nobis præberent exempla huiusmodi resolutionum, quas si quis subtiles velit esse, vix poterit asserere solidas, nisi velit enti rationis suam constare soliditatem.

Sed illum Cardinalis de Lugo benignè interpretatur, & intelligendum monet de fundamento, seu causâ, non de essentiâ entis rationis. Esto sit illa mens Vasquesij: sed quam quæso, nouam lucem obscurissimis Theologiæ difficultatibus contulit, cum actum liberum Dei, vel creaturæ, cum peccatum, aut meritum dicit formaliter esse ens rationis, vel (quod certe clarius non est:) fundamentum entis rationis? Prorsus hæ subtilitates in aristam desinunt; & nisi aliquid solidius proferas, rerum Theologicarum contemptum inducunt.

Thomistarum, Peripateticorum, & Arabum Phi-

losophorum sententia est, ens rationis obiectum esse logicæ, quod secundas intentiones speculetur, quæ formalissimè sunt entia rationis, & operationes mentis dirigit, vt ab illis natæ sunt resultare, sicut in horologio vmbra styli quota sit hora significat: iidem Thomistæ Sacramenta formalissimè constituunt per ens rationis, quia sunt signa ex institutione, & ad placitum; quæ cum signis naturalibus commune habent genus relationis, hoc discrimine, quod signa naturalia respiciant exemplar relatione reali, signa vero ad placitum relatione rationis. Quamuis hæc Thomistarum doctrina solidissimis nitatur fundamentis, tamen de Lugo & alii recentiores, vt figmenta, vel monstra reiiciunt: at Vasquez diuini Theologi nomen est consecutus, cum solidissima quæque ad entia rationis reuocat.

Nec feliciùs efficientiam diuinæ Omnipotentiæ, & voluntatis expliçat, vult enim totam eius vim & causalitatem positam in ipsamet volitione, aut causalitate creaturæ; ita vt omninò necessaria consecutio sit huius circuli vitiosissimi, creatura agit, & vult, quia sic visum est Deo, Deo autem sic placitum est, quia creatura ita vult, & agit.

Hæc à me dicta sint vt omnes agnoscant, qui maximè putant, se complanasse omnes Theologiæ difficultates, & aliis negotium facescere, insuperabilibus difficultatibus, se, suosque assecias inuoluere, à quibus nequeant se expedire; vnde cum vbique tot occurrant ambages, tenebræ, difficultates, dubito an melior futura sit conditio eorum, qui à viâ communi ad istas nuper stratas diuertunt. Nec minùs certum est Vasquezium ab Augustini mente in quæstionibus de gratiâ, & prædestinatione longissimè recessisse, vt Patauius fortè in Augustino peritior Vasquez agnoscit, & ideo, vel noluit, vel non est permissus de gratiâ scribere, ne apertè profiteretur Doctrinam aliquot Societatis, aliam esse à doctrinâ Augustini.

Quod ad Fasolum attinet pro quo etiam expostulat Carterius: sicut non approbo, si quæ in illum Mariales, ita nec assentioriis, quæ Ludouicus è manuscripto de controuersiâ auxiliorum affert, vbi inquit doctri-

nam Societatis egregiè firmauit, & Aduersariorum rationes dissoluit: cum tandem ad conuitia, calumnias, aliaque id genus ab Aduersariis, Iesuitis asperſa descendit, omissâ omni responsione, vno verbo sese expedit, his omnibus ad iudicium Dei reiectis.

Vellem Fasolus, aut Ludouicus indicarent, vbinam legerint apud Thomistas huiusmodi conuitia, an apud Aluarem, qui in eodem Regno Neapolitano scripsit, vnde natum credo Fasolum? An apud Nazarium, vel Gonzales, alioſque Thomistas, quos videre potuit ipse Fasolus; qui perinde à conuitiis abstinent in Aduersarios, sicut à blasphemiis in Deum? Nec detrectamus iudicium diuinum, ad quod prouocat Fasolus, nec opus habemus condonatione iniuriarum. Certè timeo, qui gloriantur, se veritatis causâ quoddam martyrii genus pati, ne sinant sibi ab aliis hanc palmam præripi, aut ipsis coronas parent, & conficiant. Vtinam perinde de transactâ vitâ, ac de doctrinâ, quam in scholâ Dominicanâ hausi, rationem reddere mihi tutum esset; certè iudicia Dei minùs timerem.

Paragraphvs Sextvs.

De Ioanne Fero Minorita, & Ferdinando Mascarenas Syluensi Episcope.

His nouem è suis Patribus admiscet Petrus duos extraneos, Ioannem Ferum concionatorem Moguntinum è Franciscanorum Ordine, Mascarena & in Lusitaniâ fidei inquisitorem. Primum dicit à Soto accusatum, & à Michaële Medina defensum.

Ioannem Ferum cuius ferè opera omnia prohibuit Sacrum Concilium Tridentinum, absoluit; additque Ferum accuratè purgatum à Michaële Medina; cum tamen Apologia pro Fero ab eodem Sacro Concilio Tridentino damnata sit, in indice librorum prohibitorum, vbi littera A, sic legitur: *Apologia F. Michaëlis Medinæ Belarensis, aduersus F. Dominicum Soto Segouiensem pro F. Ioanne Fero.*

At non mirum, hæc ad Raynaudi notitiam non

peruenisse; nam vbi sacra Congregatio Indicem librorum prohibitorum edi iussit, Raynaudus Indicem illum prohibitum vellet, ne in eo sua opuscula de Martyrio per Pestem, & de errore populari damnata legerentur. Sed apud illum insontes sunt, quotquot à Dominicanis, vel damnantur, vel accusantur. Miror, non absoluisse Græcos ab omni errore vel aliquot Basileenses quòd Ioannes de Monte Nigro Dominicanus illos in Concilio Florentino publicâ disputatione confutarit, & istis Turrecremata fortissimè restiterit.

Quoad Mascarenham: vidi tractatum de auxilijs ab illo editum; sed nunquam audiui, contra ipsum à Dominicanis aliquid agitatum, vt ait Raynaudus. Mascarenha è nobilissimâ familiâ prodijt, cuius nepos Dominicanus nuper viuere desijt.

Hi omnes secundum agmen componunt, quod ad pugnam contra nos eduxit Raynaudus; quo successu, iudicet æquus Lector. Sed antequam accedam ad tertium agmen illorum, quos sibi societate infortunij, id est librorum censurâ aggregauit, superius certamen hoc verbo concludam.

Continui me, ne te, Raynaude; imitarer; Inuectus es in priuatos, in capita nostri Ordinis, & in totum Corpus; Nihil intactum, & illæsum reliquisti; nec doctrinam, nec mores, nec institutum. Denique plura tibi permisisti in nos, quam vnquam hostes & hæretici. Hac diatribâ pluribus exemplis falsissimè inductis aggressus es probare nos communes bonorum, & litteratorum hostes; si vellem tibi par reponere, quàm copiosa, quàm recentia, quàm comperta exempla suppeterent; vix occurreret alicuius nominis vir Doctus, aut Sanctus, qui non sit passus multa, & grauissima ab his, qui profitentur se datos ad communem omnium salutem, & vtilitatem.

Legi querimonias Ariæ Montani, satis ipso nomine noti. Audiui expostulationes Valerij Magni Cappucinorum familiæ Concionatoris per totam Germaniam vitæ exemplo, & conuersione ad Ecclesiam Langrauij Damstrat, Negronij aliorumque hæreticorum celeberrimi. Sed quid mirum si extranei hæc dura patiantur, cum Ruuium, Azorium, Inchofer, & alios plures D.

Thomæ affectos, eius doctrinæ causâ non bene habitos fit rumor? Quid de Carmelitis discalceatis dicam? Quid de Ioanne à Cruce, vero nostri sæculi Dionysio? Quot Apologijs opus habuit ad defensionem altissimæ illius, & sapidissimæ scientiæ? Quid de ipso Balthasare Aluares dicam, quo è Societate sanctiorem non noui, & cui inter Diuos meo suffragio locum darem? Ipsemet, quodam martyrio domestico non caruit, quod spiritu Dei ad orationem passiuam abriperetur.

Sed vt ab his omnibus abstineam, quæ viderentur habere quandam vindictæ speciem, vel imitationem Theophili, à quâ maximè abhorreo: velim dicat, an in superiorum quatuor sæculoruum Annalibus, & historijs legerit vnquam Ordinem nostrum litem mouisse Vniuersitatibus, & Academijs, vt illarum sibi iura præriperet? Audiuit ne vnquam Dominicanos gratiâ, quâ sæpe non vulgari valuerunt apud Imperatores & Reges, alienas domos, reditus, & Abbatias expetiuisse? Inde ergo agnoscas, nos à te falso accusatos inuidiæ, & liuoris in bonos, & bene meritos, à quo vitio propiùs abes, quàm quos grauas; vtinam nobis hæc respondendi, necessitatem nunquam imposuisses.

Hæc nolim ita quisquam interpretetur à me dicta, quasi damnem in totum, quas Patres Societatis cum nonnullis magni nominis, & interdum etiam boni hominibus contentiones exercuerunt. Neque enim mihi assumo, vt adeò temere de rebus mihi incompertis iudicem vti solet ille, qui vbique pronuntiat in gratiam nostrorum Aduersariorum, quasi iniuriâ à nobis lacessiti fuerint omnes, atque ita existimat simultates à nobis natas & ius stare pro æmulis. Absit à me adeo præceps, & temeraria opinio, cuius vnius reatu, etiamsi totam vitam ab omni culpâ immunem exegissem, certò crederem me iudicio diuino æternùm fore damnandum.

Nec si ita exertè scriberem, vererer tantùm Deo iudici æternas, iustasque meæ audaciæ pœnas dare: sed puderet etiam apud homines, me Christianum, & Religiosum æquitate vinci ab Ethnico: Ciceronem intelligo. Ille dum apud Cæsarem pro Ligario, aut Marcello

ni fallor, orationem haberet, & mentio incidisset belli ciuilis cum Pompeio gesti; cum in maximam Reipublicæ preniciem tot malorum causam in nullius consilia, sed in fatalem quamdam necessitatem retulit, quâ visus est omnes excusasse. Ita planè censeo, & multò veriùs, disceptationes, quæ vobis cum pluribus intercessere, ex bono vtrinque fortè animo natas esse; & si quid vitij aut improbandum intercurrerit, cùm res obscurissima sit, & ad diuinum magis, quàm ad humanum iudicium pertineat id inquirere, solusque Deus cordium inspector certè norit, illi rem iudicandam reliquo: mihi tantùm indico, quantùm in me est, excusare omnes, de nullo temerè statuere, diuina consilia, quæ huiusmodi contentiones permittit, reuereri.

Vellem eadem mens fuisset Theophilo nostras antiquas, vel recentes cum extraneis contentiones reuoluenti. Huic sine dubio regulæ charitatis certissimæ adhæsisset, si sibi per nimium nos insectandi studium licuisset attendere, quod puto demonstrari hac, quam subijcio, obseruatione.

Si quis semoto omni affectu expenderit controuersias à vobis, aut à nobis susceptas cum Æmulis, & Aduersarijs, agnoscere licebit Dominicanos perinde, aut fortè magis visos sincero animo egisse, & paulominùs etiam gratiæ & odio indulsisse: atque hoc vnum est, meæ defensionis consilium; erit etiam fructus non pœnitendus, si hoc æquis lectoribus persuaserim, bonos inter & Catholicos feruere sæpius contentiones bono animo, malo interdum euentu; similes apum certaminibus accerrimis quidem, & vtrinque luctuosis quæ tamen mellis & fauorum causâ ineuntur. Ita puto omnes veritatis & charitatis studio contendere; & ex ipsiusmet charitatis lege excusandos: quamuis non desint vtrinque aculei acriores & acerbiores quàm æquitas patiatur.

Sed quem mihi dabis, qui sibi temperet, & affectibus moderetur, cum persuasum habet se ex charitate & ex vero pro ipsâ charitate & veritate pugnare? In hac caligine positis vnum supereſt ad Deum orationis perfugium & remedium, vt veritatem aperiat, aut si velit, eam

tam nos latere, ignorantiam condonet, & animis nostris affectus mitiores & æquiores immittat, quos non est visus sensisse; & fuisse assecutus Raynaudus, dum omnes nostrorum hominum contentiones cum Reuclino, Ludouico Viues, & aliis refert in odium, liuorem & maledicendi rabiem: æquiùs nos de illo pronuntiamus ista scripsisse fortè bono animo, sed peruerso iudicio.

Et sanè si vellem omnia proferre illius præposteri, ac corruptissimi criterij, quo virtutum & vitiorum nomina mutat odio Dominicanorum, exscribendæ essent ferè omnes diatribæ, quarum summa hæc est, vt nullam in Dominicanis virtutem, vix vllum in Dominicanorum inimicis agnoscat vitium. Impios & improbos quosque absoluit, vel excusat, vt omnium scelerum Dominicani pœnas dent, & infamiam patiantur. Omissis cæteris exemplis quibus scatet liber ille famosus, atque ex solo nomine abiiciendus, argumento sit Cabala Rabinorum. Illa apud pios omnes malè semper audiuit, & meritò; nam præter quod Reuclinus ipse huius sectæ instaurator & apologista acerrimus contra Dominicanos, non diffitetur Cabalam Platonicorum erroribus perspersam, & cum Platone ante mundum conditum agnoscere chaos, seu materiam coæuam; certum est à Rabinis ortam, Thalmudicis fabulis compactam; & quod multo deterius est, arctam illi interesse cum Magiâ etiam nefandâ & sacrilegâ, & cum dæmonibus necessitudinem, atque illorum opera plura stupenda moliri supra humanam facultatem & industriam. Ideo Cabalistarum libri maximè Reuclini à Concil. Trident. damnantur.

Quid ad hæc Theophilus? Insons & sanctus est Reuelinus Cabalæ defensor, Sacrilegi Dominicani, qui in illum ausi sunt mutire. Vera reputat quæcumque prædicat huius artis miracula; compertissimam censet historiam, quam Dominicanis apud Bernates ob ficta miracula ad ignem damnatis narrat; Fabulam, & Poëtam laudat, qui in gratiam Reuclini scripsit satyram contra Fidei Inquisitores. Blasphemi sunt Dominicani, qui ausi sunt verbum hiscere in Picum Mirandulanum, quòd Cabalam visus sit nimium amasse;

hoc tamen à Reuclino discrimine ; quod eâ imbutus, Picus vero vix tinctus fuerit, & ex illâ quasi è stercore margaritas legerit, & argumenta, semotis erroribus, inde exprompserit, quibus fidei mysteria confirmantur. Sed mos, & summa prudentia est huiusmodi rebus quæque timere, cùm plus inde periculi immineat, quàm sperari possit emolumenti. Si hæc attenderet Petrus, laudaret Dominicanos, quòd Picum suspectum habuerint Cabalæ nomine, quàm delibauit tantum. Reuclino verò, qui apertè illam professus est, bellum indixerint. Sed vix hanc humanitatem, & æquitatem à Petro sperant Dominicani quibuscum adeò iniquè agit, ne scelera reputet maxima quæque eorum in Ecclesiam merita.

ARTICVLVS TERTIVS.

Examen aliorum à Congregatione indicis damnatorum.

AD vltimum tandem agmen accedo eorum quos refers, tecum à Congregatione indicis damnatos, quorum videris te ducem constituisse, sicuti Dauid exul ab aulâ Saulis profugos, & reos ad se vocauit. Huius agminis primipilus est Poza, quem sequuntur Nouarinus, Ludouicus Sydereus, Eusebius Nerembergius, Philibertus Marchinus, & tu tandem, quasi Dux agmen claudis. Id vnum vero totis viribus ac tui & sociorum causâ is probatum, iniquissimè, & per summam iniuriam ex solo liuore Dominicanorum damnatos, quod non possent illorum gloriam, & splendorem doctrinæ sustinere: sed cum vnica sit tuæ scriptionis causa, & iam sæpius eadem vsque ad nauseam obtruseris, & nos etiam sæpe demonstrauerimus, te istâ accusatione non Dominicanos, sed Congregationem ipsam indicis, Eminentissimos Cardinales, & Summum Pontificem apertissimè petere, quasi ab vno, vt loqueris, fraterculo, patiantur se illudi, & ad illius arbitrium circumagi, quo quid dici ab ipsis hæreticis possit contra Romanæ Ecclesiæ dignitatem contumelioſius, non video.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [198] - 178
PUBLIC DOMAIN

Addo etiam hoc singulare, quod nondum arrigi, Congregationem indicis librorum differre ab Hispanâ, & aliis, quod istæ aperiant suæ sententiæ causam, illa taceat, quia putat hoc ad maiestatem Principis pertinere, vt illi constet sui iudicii ratio: tamen certum est, nihil pronunciare nisi post longum, & maturum examen eorum quæ librum grauant, vel excusant; atque hoc, sin dolorem omnem tollit, & maximi est apud homines æquos solatii loco, & longissimè abest ab illâ quæ hodie vsurpatur, & in morem abit, potestate, viros Religiosos, & doctos à suis officiis amouendi, & in varias regiones relegandi inauditos, indefensos, hoc solum nomine, quòd suis æmulis non placeant, vel sint suspecti, vel nolint se illis adiungere, vt iam locum habeat: *Qui mecum non est, contra me est.* Nunquam ab institutione Ordinis Dominicani id genus occulti iudicij in suos æmulos exercuerunt, quamuis facultas non deesset, & si in annalibus superiorum temporum, aut nostro sæculo vel vnum occurrisset exemplum huiusmodi tyrannidis, certè Raynaudus non tacuisset.

At inquis, constat, illos, qui inauditi maiorum imperio relegantur, reos esse, aut conscios, vel errorum, vel criminum. Licet id reuocare possem in dubium, & multò verius credere ex partium studio, & ex liuore nasci quæ adeò præpostere aguntur contra omnem iuris rationem & vsum, vt inauditi qui legibus publicis parent, amoueantur: Ad minus id æquitas à te postulabat, vt cum librorum censura magis ad legitimi Iudicij formulam & leges accedat, iudices vel ex æquo pronunciare censeres, vel certè excusares, & vno verbo minùs atrocem iniuriam saltem in speciem eâ esse reputares, quam vis pati, nec finis, verbum hiscere eos, qui inauditi, quia tibi suspecti non conuicti puniuntur, & relegantur. Vtinam animis omnium hæreret lex illa, vel potiùs legum omnium origo. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* Vel *quod vis alios à te pati, patiare ab aliis*: maximè si minùs durum sit, si minùs habeat iniuriæ in speciem, & magis accedat ad iudicia legitima, & aliundè summa sit iudicantium authoritas, & par sapientia. Hoc vno verbo responsum est ad

ſeptem exempla, quæ affers Philiberti Marchini, Aloyſij Nouarini, Ludouici Syderei, Euſebij Neremb ergij, Ioannis Rhò, Poza, Theophili Raynaudi, vel aliàs Petri à Valle Clauſa

Hos omnes in eadem tecum iniuſtâ damnatione eſſe Dominicanorum inuidiâ, cæcitate Iudicum, probas argumentis, quæ illo vitio laborant, quòd vocant non cauſæ, vt cauſam, quale eſt illud, quod examine ſingulari refutaui. Superos, hominesque conteſtaris, tuum *popularis erroris de communione pro mortuis* prohibitum per ſummam ignorantiam libellum, quòd doceret certam omnium conſenſu hanc aſſertionem, Communionem ſicut alia Sacramenta non prodeſſe ex opere operato niſi ſumenti. Falſiſſimum eſt hanc fuiſſe condemnationis cauſam. Sed quod malo fine ex inuidiâ contra Patres S. Andreæ ſcripſiſſes, & peiori affectu auocares à frequentiâ cõmunionis populum, & ab exercitio operum pietatis. Quòd videreris negare Communionem præter opus operatum ex inſtitutione Sacramenti nullâ aliâ ratione mortuis proficuam: & quod cumulus eſt impietatis; magis illis proficere complexus, & conſenſus maritales, quàm vnionem Chriſti Sponſi cum animâ ſibi dilectâ in hoc cœleſti coniugio, cuius typus eſt & conſummatio hoc Sacramentum. Ea fuit vera & legitima cenſuræ ratio, quam tu taces, & fictitiam euulgas, vt crees Patri Marino, aut potius Sac. Congreg. & Summo Pontifici infamiam ignorantiæ, & iniquitatis.

Eodem fine, iiſdem artibus vrges illa tua exempla de Euſebio Nerembergio. Vita Diui Ignatij ab ipſo Hiſpanicè ſcripta prohibita fuit non ratione miraculi quod refert, ſed aliorum, quæ in proceſſu Canonizationis S. Ignatij fuerant conuicta falſi, & illa narrat tanquam comperta. Sed vt efficaciſſimè tuas querimonias & accuſationes retundam; certiſſimè ſcio Ludouicum de Aro primum Regis Catholici Miniſtrum ſcripſiſſe Romam in gratiam Euſebii, vt ad minus liber caſtigatus permitteretur legi. Datus eſt Patri Lezanæ, vt iterum recognoſceret, & referret Congregationi, quid potiſſimum emendandum eſſet: paruit mandato Congregationis P. Lezana uit Romæ, & in

Hiſpaniâ maximæ integritatis, & ſapientiæ famâ celeberrimus, & iudicibus Congregationis teſtatus eſt, adeò mendoſum librum, vt omninò eſſet inemendabilis, & à capite ad calcem ſpongia delendus: nonnulla etiam notauit, quæ ſtomachum, & indignationem audientibus mouerunt. Vide quas tu cenſuras iudicio, & priuato odio P. Marini imputas, prodeunt non ſolùm ex iudicio, ſed etiam ex indignatione totius Congregationis, quæ non poteſt pati abſurda, & falſa, quibus fortè tuæ aures aſſueuerunt.

De Patris Rhò libris contra Caetanum, & Caſtaldium refers intricatiſſima, quibus enodandis opus eſſet œdipo. Abſit vt referam titulum, vel argumenta librorum Caëtani; & Caſtaldi, quia parco tuo pudori: quamuis enim illum videaris non curare credo tamen tibi erubeſcendum eſſe, ſi refricarem memoriam illius contentionis Rhò inter Caetanum & Caſtaldium. Et cum Ioannis Rhò liber dedecus illud augeret magis, quàm extingueret, prudentiſſimè Congregatio iudicis vobis conſuluit, amouit ſcandalum, prohibitis huiuſmodi libris; atque hæc cenſura ſummum fuit in Societatem beneficium pro quo tibi gratiæ agendæ eſſent, reponenda conuitia.

Ludouici Syderei libellus non eſt damnatus causâ propoſitionum tantùm; quas accuratè defendis nullo fructu, quia defendi non poſſunt, vt infra dicemus: ſed erant plura, quæ minùs excuſari poſſunt, & quæ magis ad errorem accedunt. Imò, & erronea planè erant, vt Sacræ Congregationi, & Cenſoribus patuit, qui illius libelli errores retulerant poſt longam, & maturam diſcuſſionem: de hoc infra.

Nouarini opus de Conceptione immaculatâ non eſt damnatum, ſed liber, cui titulum dedit Vita Mariæ in vtero ſanctæ Annæ, in quo multa congerit quæ aures Romanæ nouitatum impatientiſſimæ ferre nequeunt.

Philiberti Marchini opus, cui titulum fecit Bellum Diuinum, in quo quæſtiones tractat, quæ circa peſtem à Theologis agitari, poſſunt, dicis damnatum, quod adhæſerit ſententiæ de Martyrio per peſtem. Doles curantibus Cyriacis, proſcriptum librum in ſuo genere optimum, & in tempore neceſſitatis peropportunum; ſed addis hanc neceſſitatem non multum attendere;

Dominicanos, quia proximè superioribus annis grassante in tot Prouinciis pestilentiâ, multi passim auditi sunt omnium Ordinum Religiosi in eo pio officio defuncti, Dominicanorum vix vlli.

Quæro à te, Raynaude, antequàm hæc scriberes, an quæsieris diligenter in Religiosorum nomina, qui variis in locis animarum causâ caput periculo pestis obiectarunt, an nullâ inquisitione factâ hæc scripsisti? Si hoc secundum respondeas, te temeritatis, & maledicentiæ accusas, qui de re incertâ certò pronuncias in odium aliorum. Si verò diligentior fuisses, vix locus occurrisset tibi, in quo Dominicani, inter primos non præbuissent opem languentibus cum vitæ discrimine, vt Burdegalæ, Auenioni, Carcassonæ, Claremonti, Massiliæ, Romæ, Neapoli, Viterbi: & vbique terrarum tibi nomina indicata fuissent eorum, qui se saluti proximi deuouerunt, & tui martyrij palmam adepti sunt, quâ te indignum probas tuâ in illorum manes licentiâ.

Vis Theophile, in Philiberto Marchino tuum defendere errorem de martyrio per pestem, & addis, Dominicanos ad cumulum vindictæ librum quoque Marchini *De Ordine*, voluisse proscribi; quasi hæc Marchini opera non sint proscripta à sacrâ Congregatione, sed à Dominicanis, & immeritò, quasi nullum errorem contineant. Sic nimirum more tuo, quæ à sacrâ Congregatione gesta sunt, Dominicanis tribuis, vt vim, & notam damnationis tuorum librorum effugias; idem vis de Aloysio Nouarino in quo alia plura castiganda occurrunt; præterea quæ refers.

Quoad libellum inscriptum *Camino del Cielo*, Authore Vincentio Carrafa præposito Generali Societatis, nomine Ludouici Syderei editum attinet; ita Potzæ commenta resipit, tot scatet absurdis & paradoxis, vt malè consultum sit honori Carafæ viri religiosissimi à piis, qui opus esse illius genuinum agnoscunt. Satiùs planè fuerat negare ab illo scriptum; quod veri specie non carebat: nam adeo alienum est ab opinione de viri grauitate & sanctitate receptâ, vt incredibile videatur ab illo prodiisse. Plura sunt, quàm quæ refert

ex illo, & excusare frustra nititur Petrus, quæ censuram commerebantur.

At quid mali, & absurdi habet, vt obiicit Aduersarius, quòd scripserit Deiparam, quandiu in templo versata est, pastam & potam fuisse nectare cælesti manibus Angelorum propinato, cum Vasquez disput. 125. in tertiam Partem referat, Germanum, Georgium, Cedrenum, Andræam Cretensem, & Bonauenturam, qui ita sentiunt? Sed præter quod probanda non sunt quæcumque extant apud aliquot antiquorum, Carrafa in maius auget, quæ ab illis excepit. Scribunt quidem ab Angelis ministratum Virgini cibum: sed de suo addit id genus cibi fuisse nectar cœleste; & cum dicta horum Patrum essent piè explicanda & mitiganda, ille contra auxit, & cibum communem ex SS. PP. nouo miraculo in Ambrosiam mutauit.

Conqueritur 2. librum immeritò damnatum, quòd vnius Deiparæ gratiam collectim hominum, & Angelorum gratiâ maiorem asserat post Richardum suis in Litanias Concionibus, qui id docuit impunè nullâ censurâ notatus. Cur non licuit idem Sydereo scribere? Sed meminerit Petrus hoc ipsum, quod modo excusare nititur, se prius in Patre Monstro damnasse. Cur igitur à seipso dissentit? Necesse est, aut Patrem Monstrum absoluat à suâ censurâ, aut illa notet Sydereum.

Nec verior est, aut minùs à seipso dissentit defensione tertij capitis, quòd post Bernardinum virginem Deam appellarit: sed præterquod Author ille non aduocat Bernardinum in asserti à se tituli Patronum, quem sortiri non potuit Virgo, nisi à gratiâ sanctificante, quæ Iustos omnes naturæ diuinæ, ac subinde nominis Dei consortes cum illâ facit; ipsemet Theophilus Deæ nomen Deiparæ collatum acerrimè impugnat suo opusculo inscripto nomenclator Marianus: Quare vnâ manu euertit quod alterâ astruxit. Cæterum vitam Vincentij Carrafæ à Bartolo scriptam miror, & longè pluris facio, quàm euis opera sub alio nomine edita, quæ probant abundasse Diuinâ gratiâ ad vitæ sanctitatem comparandam, caruisse ad scribendum, neque ex illis esse, qui vtraque dote præstant, & scribunt agenda præclarè vel scribenda

agunt: si vna forte contentum esse oporteat, potiorem reputo, quæ cumulatè illi contigit, ipse etiam sibi quasi diffisus, hac parte videtur; & eâ de causâ nomen occultauit. Vtinam sanctitas Carafæ mihi contingeret, certè non inuiderem Theophili in scribendo gloriam.

Quoad Eusebium Nerembergium in vita S. Ignatii, norunt omnes quot, & quanta ibi habeantur spongiâ delenda; nam præter quod de S. Ignatio affert Eusebius ineptias omninò consimiles illis quas de S. Francisco habet P. Alua, sunt alia innumera, & ferè omnia in eo libro, à Congregatione indicis improbata quæ spongia indigent. Et addo, præter conficta, quæ in vita S. Ignatii à Nerembergio conscripta afferuntur, alia etiam de S. Ignatio circumferri quæ à Sacrâ Rituum Congregatione reiecta fuerunt, qualis est apparitio illa, quâ fertur Christum Dominum S. Ignatio dixisse, *Ego vobis Romæ propitius ero.*

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

De Ioanne Baptista Poza, & de Theophilo Raynaudo speciatim.

MIror, quod dum prò suæ Societatis claris viris expostulat Cartherius, non dubitet expostulare etiam pro Ioanne Baptista Poza, & se adiungere Petro à Valle clausa, qui Baptistam Pozam vocat, *Virum ingenio, ac doctrinâ præcellentem*: additque Petrus, *Pozam triplici Apologiâ doctrinam suam stabiliuisse; ac monstrauisse nihil ab se dictum, quod non dixisset ante ipsum Cyriacus quisquam.* Ita ne stabilitam dicit Petrus doctrinam, quæ stare non potuit, sed omnino corruit? Ita ne triplicem Apologiam laudat, quæ Sacræ Congregationis decreto confixa est, damnatis etiam iis omnibus, quæ in Pozæ defensionem parari possent, aut edi? Nimirum hac ratione eludit Petrus à Valle Clausa Sacræ Congregationis decreta, immò irridet, & quæ venerari debuerat, iniusta conqueritur; & Dominicanorum in Pozam odio attribuit, quod iustissimo Eminentissimorum Iudicum decreto contra

errores Pozæ ſancitum eſt ; audetque effutire nihil à Poza dictum, quod Dominicanus aliquis non dixiſſet.

Sunt adeo craſſi errores Pozæ, vt non ſolum ab aliquo Dominicano, ſed nec ab homine ſanæ mentis dici potuerint. Teſtem ac iudicem appello ipſam Hiſpanicam Inquiſitionem, quæ Pozæ errores damnauit. Sed neque Inquiſitionem Hiſpanicam, nec Sacram Congregationem Eminentiſſimorum Cardinalium, nec ipſum Summum Pontificem Iudicem volunt Poza, & Raynaudus. Norunt omnes Pozæ, & Raynaudi contumaciam cum ſcandalo totius Eccleſiæ, & ludibrio hæreticorum, quorum Patriarcham in hoc ſecuti ſunt: vti enim Lutherus causâ nouorum dogmatum, quæ ſenſim ſpargebat, ſuſpectus cœpit eſſe hæreſis, & ab Epiſcopis Germaniæ in iudicium vocatus, appellauit ad Summum Pontificem, & cum ſenſit Leonem X. ſibi infenſum ſe damnaſſe ; ab illo prouocauit ad Concilium Oecumenicum, ratus nunquam conuocandum: ſed cum præter opinionem colligi, & haberi audiuit, ſtatim in Concilia, quæ imploranerat in ſuam defenſionem, calamum diſtrinxit, & inutiliſſima, & Eccleſiæ noxia conatus eſt probare toto vno libello, cui præter cætera tanto Theologo digna, hanc interſerit concluſionem : *Etiamſi per infundibulum omnia Concilia in corpus tuum tranſmittantur, adhuc, non eris Chriſtianus, adeo parum conferunt.*

Non longè ab huius veſtigiis recedunt Poza, & Raynaudus ; cum enim Pozæ Elucidarium per totam Hiſpaniam denſiſſimas tenebras offudiſſet, & Inquiſitio Hiſpanica, atque celebriores Academiæ in illud parārent cenſuras, ab illorum iudiciis ad Summum Pontificem appellauit : ſed cum Romanis cenſuris appeteretur, à Summo Pontifice ad Regiam Poteſtatem confugit. Non ſic Dominicani, non ſic, nec per quadringentos & vltra annos vllius noſtrum extat par in Sedem Apoſtolicam exemplum, quale adhibuerunt Poza, & Raynaudus, vt inde agnoſcamus, illos in ſpeciem tantùm obtendere reuerentiam in Sedem Apoſt.

At obſequium Dominicanorum in Summos Pontifices præter quod diuturnius, & compertius eſt, & ab omni ſtudio partium alieniſſimum, non priuatas, aut

nouas sententias, sed communem doctrinam traditione receptam propugnat, non priuatum commodum captat, sed Ecclesiæ bono, & publicæ saluti consulit. Atque hæc est etiam immunitatis nostrorum Authorum à censuris causa. Illæ veluti fulmina in cacumina procerarum arborum, in montium supercilia frequentiùs cadunt, quàm in depressa præ reuerentia capita. Illæ sunt veluti secures positæ ad radices arborum sterilium, quæ foliis verborum luxuriant, & interdum veneno nouitatis non carent; sed non contingunt arbores plantatas secùs decursus aquarum, & iuxtà fluenta pleniſſima traditionum, quæ fructus dant temporibus suis. Cum tui, Raynaude, libri similiores sint erectis abietibus quàm pomariis hortorum, & pietatis etiam sterilitatem inducant; quid mirum, si patiantur fulmina Vaticana, à quibus nostri absunt, sicut ab illorum causis? Noua Roma antiquæ gloriam superat illa arte, quæ docet, parcere subiectis, & debellare superbos.

Eodem libro, quo falsò nobis crimen imponis, idem veriſſimè incurris: quid enim aliud illius verba, sicut Apologiæ *martyrii per pestem*, nisi contemptum Sedis Apostolicæ spirant, & censurarum illius ludibrium, atque in Summum Pontificem apertam rebellionem? Da mihi vnum è nostris Authoribus per quatuor sæcula, qui ad tuam, vel Pozæ proteruiam, & peruicaciam contra Sedem Apostolicam accesserit; & tunc concedam, quod contendis, Dominicanos in Summum Pontificem iniurios, & contumaces, atque immeritò immunes à censuris fuisse, quibus percussus doles nec potes tacere. Sed hoc malum cum tuæ audaciæ esset imputandum, ascribis odio æmulorum, & iudicum ignorantiæ, atque improbitati. Tuo exemplo, ac re ipsa euertis, quod astruendum argumentis susceperas. Et si daremus gratis, quod hactenus nulla ratione probasti, in aliquo è nostris desideratam fuisse reuerentiam erga Summos Pontifices, facilè excusaret, & penè deleret hanc culpam tua in Congregationem Pontificiam aperta contumacia, quæ proximè accedit ad rebellionem, & impietatem hæreticorum. Itaque si qui sint, vti non sunt, Dominicanorum rei, colla-

tione tui insontes sunt, & absoluentur.

Nec Pozæ verum peccatum dicis, dum subdis, *quod postremi Tractatus Elucidarij toti sint in detegendis, ac publico exhibendis Scriptorum D. Thomæ adulterationibus, atque falsationibus*: quamuis enim hoc etiam graue crimen fuerit Pozæ, imponere nobis falsationes, & adulterationes D. Thomæ, quæ fieri omninò non potuerunt, vt supra iam ostendi, ex connexione totius doctrinæ D. Thomæ; alia tamen longè grauiora damnata sunt in Poza, quæ eius Elucidarium legentibus patebunt, & nonnulla etiam refert P. Dominicus Grauina in suo Cherubim Paradisi lib. 5. cap. 1. 2. & 3. ad quem lectorem remitto: sunt Pozæ errores circa Beatissimam Virginem, & ipsum Christum Dominum, iique noui, inauditi, nusquam ab alio excogitati, & adhuc Petrus à Valle Clausa, & Ludouicus Cartherius dicere audent, nullum alium in Poza displicuisse, nisi quòd in Sancto Aquinate multa à Dominicanis expuncta, corrupta, & adulterata, immo & illi afficta fuisse scripserit. Audet etiam Raynaudus collaudare librum eiusdem Pozæ de bonâ ad mortem præparatione, quem tectus nomine Balthasaris Villelæ ediderat; cum tamen libellus erroribus scateat, & à Sacrâ congregatione merito confixus fuerit, non à Reuerendissimo P. Nicolao Rodulfio, cui multis titulis illustrissimo non parcit Raynaudus.

At prorsus horrendum quod refert, & probat Theophilus Raynaudus in suo libello inscripto, *Erotemata de malis, ac bonis libris*: ibi pagina 294. refert & laudat virum quemdam eruditissimum, & catholicissimum (è suis videlicet, ni mauis ipsummet Theophilum) castigasse Symbolum ipsum Apostolorum, & ad singulos quosque Symboli articulos censuram aliquam apposuisse, quâ dicit, posse pruriginiosâ censurandi libidine, etiam ipsum Symbolum æquiuocationis, falsitatis, & erroris notari: vnde è propositionibus in fidei Symbolo contentis, alias dicit posse intelligi sensu impio, & blasphemo, alias esse fallaces, alias æquiuocatione laborare, alias sumi posse in sensu hæretico, alias videri falsas, alias erroneas, &c. Et hoc dicit peractam, non ad impugãdum Symbolum, sed gratiâ exempli, vt ostendat, etiam propositiones Catholicas posse

ſiniſtrè accipi, & cenſurari. At certè Theophilus ponit in cœlum os ſuum; & vt oſtendat ſuos libros non rectè damnatos, Symbolum ipſum fidei Catholicæ atrociſſimè petit, viamque aperit hæreticis, ipſiuſmet articulis fidei detrahendi.

Horret animus referre ea quæ in Apoſtolico Symbolo caſtigando habet Raynaudus; Prothea certè in hoc Authore ineſſe dixerit, qui adeo varium, inconſtantem, & à ſe diſſidentem viderit. Solatur ſe, quòd Patres Eccleſiæ paſſi ſint maligna quorumdam iudicia, quaſi ille inter eos ſedeat, tanquam in Orcheſtra, non in ſubſellijs. Hieronymus vexatus, Auguſtinus taxatus, Gregorius ſugillatus, Dionyſius, & Rupertus reprehenſi. Quid mirum, inquit, ſi ego carpar? His ſe audet, quibus omninò debet aſſurgere, comparare. Debuerat ita ſecum reputare; Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius libenter alijs auſcultabant, & corrigi ab alijs volebant: Mihi quoque gratum erit emendari. Sed aliter viſum eſt huic ſcriptori; qui nec Sancto Auguſtino parcit, dum Hilarium Arelatenſem, Semipelagianis annumerat, qui ſoli Auguſtino detrahebant: inſigni certè vtriuſque iniuriâ; nam & Hilarium Auguſtini diſcipulum Semipelagianum facit, & Auguſtino aduerſarium fingit; *Vnde diximus, Hilarium Arelatenſem, alioſque Gallicanos Epiſcopos, ac DD. in libros Auguſtini ſtrinxiſſe cenſuram, quos Cœleſtinus 1. epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, ſeuerè ac fortiter compeſcuit.*

Non erat ex his Hilarius, Theophile, ſed omninò Gratiæ, & Auguſt. defenſor. Quod obiiciat illius ad Auguſt. Epiſtolam, quæ cum aliâ Proſperi habetur ante libros de dono Perſeuerantiæ, legat eam attentè, & intelliget, quæ ibi Auguſt. proponit, non ex ſuâ, ſed ex aliorum ſententiâ dicere. Redeat ad Lectionem illius Epiſtolæ, & pudebit ſuæ aut incogitantiæ, aut oſcitantiæ. Reddat Auguſtino, & Hilario quem adimit honorem, & ne queratur de iniquitate cenſorum, quandoquidem ſanctis iniurius eſt.

Sed multò grauiùs peccat, vt dixi, dum ad ſui defenſionem, impium ſanè, & execrandum ſcribendi genus excogitat, quod animus meminiſſe horret, *Impugnare Symboli Apoſtolici veritatem, & iugulum fidei*

nostræ petere. Et quis hoc vnquam hæreticorum est ausus? Vnde ista libido? At ideo inquit, articulos fidei infirmo, vt doceam, quam sit facile, & procliue Criticis omnia sus deque censuris euertere: si hac ratione nobis agendum est, nihil supererit inuiolatum. Eat ergo Ciuis, qui proditores timet, & doceat rationem prodendæ hostibus Patriæ: Eat, qui parricidas velit auertere, & aperiat omnes vias occidendi: Eat, qui fures odit, & omnes furandi artes proferat: ita docebit vel vituperando prodere Patriam, occidere Parentes, sacra conculcare, & ius omne humanum, diuinumque peruertere.

Non sunt detegenda ista, quæ offendant pias, & religiosas aures, quæque erudiant impios ad patranda sacrilegia. An non esset proiectæ impudentiæ, qui vt impudicitiam damnaret, reuelaret pudenda, ac luci exponeret? An non esset spurcissimus, qui vt Sordes abominaretur, munda, & sancta iniectis fæcibus sordidaret? Apage cum istis ineptijs Quam tu Romanis dissimilis, qui maluerunt ignorare vitia, quàm punire, & puniendo augere? Sæpe melius est nescire mala, quàm vituperare, vbi vituperando monstrantur.

Docto, & haud paulò, quàm tu sis, meliori Authori Thomæ Sanches periculum fuit, ne libros de matrimonio accuratè scriptos comburi Parisijs videret, quòd multas eâ de re quæstiones obscœnas, quamquam fortasse necessarias excitaret, artem, & modum peccandi aperiret: & tibi licebit longè inferiori Scriptori grauiùs circa fidem peccanti, & rationes eam impugnandi afferenti impunè scribere? Damnatus fuit hic tuus liber à S. Congreg. sed citra condignum, nam comburendus erat, ne hæreticos doceat, & Catholicos offendat.

Reprehendunt aliqui Bellarm. vt dixi, quòd argumenta hæretic. paulò acriùs & vehementius proponat quam soluere videatur: ab illo longissimè tu distas, nec ab impietate immunis es, qui contra fidei articulos argumenta producis, nec diluis? Sapiens & modestus tui instituti P. Suarez cum semel interrogaretur à quibusdam literatis sibi familiaribus viris, quid si Christus Dominus vxorem duxisset, & ex ea liberos suscepisset, iis futurum erat, erubuit, & paulo co nmo-

tior respondit : *Ab huiuscemodi quæstionibus abstinendum*, & terga vertens abijt.

Disce ex homine celebri modestiam. Aliter te facturum esse scimus, si ea tibi proponeretur quæstio homini fœcundo ineptiis, & absurdis cogitationibus. Pudeat te ista cogitare, & dicere, quæ solis hæreticis occurrerent : ac eorum quidem non omnibus, sed maximè audacibus, & impijs. Suspectum de hæresi hac arte te reddis : qui enim te sic argumentantem viderit, putabit ità sentire. Sanè si quis incidat in hominem, qui domi alios cruciet, & in frusta cultro diuidat, & brachia præcidat, & pedes amputet & viscera extrahat ; meritò carnificem, ac tortorem existimet : ita nos dum te videmus fidei mysteria impugnantem, Filij & Spiritus sancti diuinitatem negantem, Christi Domini Conceptionem de Spiritu sancto, & ex Maria Virgine infirmantem, & cæteros Symboli Apostolici articulos erroris arguentem, hæreticum te haud iniuriâ esse suspicamur. Pudeat igitur te tuæ audaciæ, & impietatis ; ac ne tuam piam, & religiosam Matrem Ecclesiam hac arte petas & ferias : ac ne Societatem Iesu, quæ suos ad omnem virtutis & modestiæ formam erudit, infames, oramus. A Consule tibi, & tecum habita, & noris, quàm sit tibi curta supellex.

Quæ verò addis hâc Diatribâ Octauâ pro tuorum damnatorum librorum defensione à paginâ ducentesimâ vsque ad finem, apertissima commenta sunt, à te conficta ad eludenda sacræ Congregationis Decreta, nec nostræ priuatæ vltioni tribuere audes, quod à Sacra Congregatione iustissimè peractum est, ideò hâc vnâ liturâ omnia tua dicta delentur, quia figmenta sunt.

ARTICVLVS QVARTVS.

Absoluitur responsio ad expostulationes Carterij, & ad totam Diatribam.

SEd ad Cartherium redeamus : quatuor aut quinquè supersunt ex illo referenda, potiùs quam refellenda : nisi quod retulisse refutasse sit ; adeo sunt enim apertè

falsa, & absurda, vt mirum sit Theologo graui & erudito excidisse. Non dubitat Lectoribus laudare & commendare Diatribas Petri à clausâ valle, fidem Caietanam, seu trutinam Maratij, Nodos Petri de Alua, cum hoc elogio *in quibus reperiet lector triginta millia locorum à Dominicanis corruptorum.* Proh superûm hominumque fidem, hæc Theologum scripsisse & sibi persuasisse.

Non dicam Cartherium, vel suæ æstimationis curam negligere, vel Criterium monstrare præposterum, vel lectorem irridere, dum commendat Libros, quorum præter alia, hoc leuissimum vitium est, quo alia excusari possint, perpetua infantia. Sed quid addi potest accusationi Dominicanorum de triginta millibus locorum corruptorum? Quid simile vnquam Commenti sunt Poëtæ? Petri de Alua à se laudati logicam, & nouæ argumentationis methodos negantis, extitisse vnquam authores, quorum scripta desiderentur, inter demonstrationum genera reponit; & in nos quasi telum ineluctabile intorquet: meritas damus pœnas, negligentiæ in celebrandis rebus præclarè gestis patrum nostrorum, vel seruandis Scriptorum monumentis. Hinc arripiunt argumentum Alua, & Carterius, quo nos conuincant triginta millia loca falsasse.

Hæc inter ridicula reponimus: longè atrocius est alterum quod subiungo: longè iniquius Caietanum carpit, quàm tres alios laudauerit. Non dubitauit scribere, Cardinalem de tota Ecclesiâ optimè meritum, Scripturam sacram deprauasse, ad maius pondus & robur nostræ doctrinæ conciliandum. Atrocior-ne, an magis ab omni specie veri aliena sit hæc accusatio, prorsus ignoro. Vellem designaret Cartherius aliquem ex Scriptura locum à Caietano corruptum, ex cuius sinistrâ interpretatione, aliquod scholæ nostræ dogma robur colligeret. Abstinendum sanè erat omninò à tam immanibus calumnijs, vel erant aliquo argumento confirmandæ. At certissimus sum, Cartherium omnibus destitui: nam si quid Caietanus peccauit in sacra Scriptura liberius interpretandâ, ex propria mente contra communem Sanctorum Patrum sensum; hoc inde 1. lib. monstrauimus illi contigisse, quod à Præ-

ceptoris Angelici doctrinâ cui dum inter noſtros viueret, mordicus adhæſerat, ad purpuram aſſumptus ſibi recedere permiſerit: ergo ſi quas habet ſingulares, & præpoſteras ſcripturæ interpretationes, magis aduerſantur noſtris placitis, quam inde aliquid ponderis trahere poſſint.

Nec verius eſt tertium quod addit, paucas recenſeri Academias, ſi Thomiſtæ & nonnulli alij excipiantur, qui ſcientiam mediam non admittant. Velim ſcire an Carmelitæ diſcalceati, Patres à Mercede, Auguſtiniani ducePontio Legionenſi,an Franciſcani ideſt Scoti diſcipuli; ſcientiam mediam probent, & quo loco hos à me recenſitos reponat. Fortè putat è Theologorum numero ſemouendos, quotquot ſcientiam mediam reiecerint, quaſi indignus ſit nomine Theologi quiſquis huic ſcientiæ non aſſenſerit.

Quartum habet aſſertum ex Theophilo, nihilo alijs melius; librum Rabardæi confixum fuiſſe à Congregatione ſancti Officij in Conuentu ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam, non tamen coràm Pontifice, ac proinde confixionem non cadere in librum, authores, complices &c. ideſt, nullam eſſe. In his verbis deſidero reuerentiam erga congregationes Romanas, duplici iniuria affectas, quas excuſare nequeat, niſi videri velit ignorare decreta Congregationis ſancti Officij, quibus libri prohibentur, non edi niſi conſulto Summo Pontifice: quare dum ſuos tutari vult à cenſura, in Summum Pontificem & Cardinales cenſuram exercet.

Tu ſolus Raynaude, cum Poza ſuperes ad iudicium vocandus. Quid de Poza dicam toties Romæ iteratis iudicijs damnato, & adeò pertinaci, & tot Apologijs defenſo, vt meritò voces illum æternum contumaciæ in Sedem Apoſtolicam Argumentum. Grauiora non attingam, fidem habeo Ludouico, qui dicit Franciſci Roales ſcriptum in Pozæ librum fuiſſe damnatum: Neſcio, an id fecerint iudices, ne ad probationem admitteretur Roales eorum, quæ aſſerebat, quæ certè erant horrenda; ſed fortè conſultum voluerunt paci, & honori eorum, qui accuſabantur, & ita eſſe magis è re Chriſtianâ accuſatori audientiam negari; Et quod ſummè laudat Plutarchus à Pompeio in Hiſpaniâ factum, cum

cum Sertorio à suis per proditionem occiso, quascumque Ciuium Romanorum literas ad ipsum scriptas reperit, igne absumpsit, vt Italiam litibus & accusationibus, quæ inde nasci poterant, in totum liberaret. Hoc ipsum Hispani inquisitores prudentissimi imitati sunt, & silentium de causâ, quæ Hispaniam studia in contraria scindebat, indixerunt: ego etiam illorum prudentiam imitandam puto; vix enim de Pozæ negotio, sicut nec de Raynaudo loqui possumus, quin sicut ex aquarum stagnantium, & corruptarum motu fœtor intolerabilis exhalat, sic de Pozæ, & de Theophili condemnationis, & contentionum commemoratione abstinendum censeo, quæ non nisi offendiculo, & scandalo esse possit.

Ad huius Diatribæ prolixitatem, & fortè molestiam leuandam in coronidem hoc monitum addo, abstinendum omnino ab iniuriâ in alios, ne parem ab hominibus, vel si desit illis facultas vlciscendi, ab ipso Deo pœnam patiamur. Non puto Ecclesiam nostro sæculo habere concionatorem omnibus dotibus ad id munus Apostolicum necessarijs, zelo, scientiâ, vi persuadendi aut percellendi animos, eloquentiâ Christianâ instructiorem, & in hoc ministerio magis exercitum cum fructu, & cum frequentiâ auditorum incredibili, Patre Ioanne le Ieune cognomento *Cæco* Burgundo ex Oratorio Galliæ: à paucis diebus excepi illum amicorum precibus, & Superiorum imperio edidisse opus duobus tomis, cui titulus Missionarius Oratorij, quo libro docet Sacerdotes miram illam artem, quam tot annis cum admiratione omnium, & cum animarum salute exercuit; Splendor huius viri, & zelus Apostolicus nonnullorum ægros oculos perstrinxit, & sicut ipse vni è suis Romam scripsit, minati sunt se curaturos Romæ opus illud prohiberi: Qua vero de causa? Quid illis in hoc opere displicet? Nimirum quia author se affectu Dominicanum apertius profitetur, & passim Granatensis lectionem & Rosarij precationem commendat: en quibus titulis, aut quibus de causis omnium concionatorum quotquot audire mihi licuit maximè Apostolicus malè apud nonnullos audit. Desinamus alios insectari, probemus bonum, quocumque loco sit, admi-

remur virtutem perinde in extraneis, ac in noſtris, ſenſa noſtra priuata ne velimus alijs tanquam dogmata Catholica præſcribere: hæc ſi ſeruemus, pacem polliceor, & Petro immunitatem à cenſuris, quarum causâ ſus deque omnia miſcet.

Iam pluries monui, nec iterùm iterúmque monere deſinam; me calumnias & accuſationes aduerſariorum refellendas, nullas ſuſcepiſſe reponendas, nec ab eo propoſito vel latum vnguem recedam, ſi nedum iuſtâ, ſed etiam neceſſariâ defenſione adactus iam dicta hoc verbo clauſero.

Quamuis longiſſimè abſim à Theophili & Carterij exemplo, & imitatione; vt illuſtrium virorum, quibus cum Societate ſimultates, ſaluâ fide Catholicâ, & reuerentiâ in Sedem Apoſtolicam interceſſerunt, cauſam propugnem, & velim iniuria laceſſitos eſſe; quale patrocinium impendunt hi duo omnibus, nedum Catholicis, ſed etiam hæreticis, qui cum noſtris hominibus rixati ſunt; vt ſemper eorum iudicio causâ cadant Dominicani, rei ſint inuidiæ, maledicentiæ, moroſitatis, feralitatis: inſontibus aduerſarijs, nequidem excepto Capnione Cabalæ inſtauratore; & vix Lutherus peccauerit, vt omnem pœnam eius apoſtaſiæ luamus.

Quamuis inquam alienus ſim ab illâ in æmulos Societatis indulgentiâ, qua noſtros aduerſarios habent; præter exemplum quod præbent nobis imitandum, parem nobis, & fortè probabiliorem ſuppetere, idem de illorum contentionibus quod de nobis ſcribunt iudicandi, & ſtatuendi rationem, id eſt, non poſſe æquius, aut veriſimilius noſtrorum hominum liuoris, & maledicentiæ cum viris doctis cuiuſcunque ordinis, quas paſſi ſunt contentiones, imputare; quàm Societatis aduerſarij in eas referant cauſas, quas exercuerunt cum illâ ſimultates. Addam aliud intra eiuſdem inculpatæ tutelæ metas: me poſſe plura ab inſtitutione Societatis, illius cum extraneis diſceptationum exempla proferre, quam à noſtri Odinis incunabulis, ad hæc vſque tempora, noſtrarum collegerint; quæ non minus ſpeciem præferant accuſationum quibus nos grauant.

Neſcio an meam mentem hactenùs lectori ſatis apegerim: fortè diſſertius explanabunt quæ ſubiungo. Non

adeo otiosus, vel rerum quæ ad me nihil pertinent, sum curiosus, vt velim inquirere, ecquid negotij habuerint Indiarum, & Angliæ Episcopi, Arias Montanus, Valerius magnus, aliique plures, cum patribus Societatis: nec adeò sum præceps, & temerarius, vt de his rebus mhi ignotis, & inexploratis feram sententiam, & iudicem à qua parte stet veritas & æquitas: non sum etiam ita iniquus vt Patrum Societatis, quorum fortè iustior est causa; vitijs quibus nos grauant Theophilus, & Cartherius, has lites imputem, etiamsi eo me prouocent illorum exempla.

Verùm non sum etiam ita rerum nostrarum aut extranearum ignarus, & negligens, quin certò sciam pari aut maiori fortè probabilitate posse Æmulos Societatis à se susceptas controuersias illius culpæ imputare, quam vitio nostro tribuant Petrus & Catherius cum Capnione aliisque initas, quos longo ordine recensuerunt; sed cum ego probabilibus non ducar, aut fidam; neque tuta reputem, cum hinc & inde ingruit periculum lædendæ charitatis, & alienæ famæ, ideò ab illorum exemplis abhorreo, ad Dei Iudicium probabilia remitto, qui certò ea nouit. Neminem accuso, neminem damno maledicentiæ, liuoris &c. malo credere bellum vtrinque iustum dari, licet id ratissimè, & fortè numquam apud Deum contingat. Censeo, vt sancti Francisci Salesij iterùm vtar exemplo; piorum & Religiosorum & eruditorum hominum contentiones, similes esse apum certaminibus acerrimis quidem, sed mellis causa susceptis: ita quemque contendentium pietatem, æquitatem, Dei gloriam, veritatem spectare; & fortè quem habet boni communis respectum multa eorum excusare aut eleuare peccata. Sed quæ præcipit, aut certè permittit contendentibus condonare aut indulgere charitas mansuetissima, non patitur insontes grauari, aut veritatem, & innocentiam indefensam relinqui. Eadem quæ vetat reponere, iubet calumnias refellere. Quare Theophili & Cartherij damno exemplum; & quam aperiunt & calcant accusationum, absit vt viam insistam, hâc defensione contentus; nos à liuore, maledicentiâ, in nostris contentionibus reipsa perinde & magis etiam sapientum opinione alienos

quam ipsi fuerint, aut certè reputentur: atque hæc nostræ conscientiæ; & sapientum testimonio contenti scribimus, nec vllo vnquam patiemur disputationis æstu nos eò abripi, vt hanc defensionem ineamus aduersariorum exemplo, id est, vt vindicias æmulorum Societatis, quales illi nostrorum scribunt suscipiamus: Vt vt res suas alij peragant, & tutentur, non inquirimus Deo & hominibus satisfactum iri putamus, si liuoris, maledicentiæ, & vt quidam de nobis loquuntur, nedum *iniquæ, sed etiam violentæ in suos aggressionis*, criminationes & suspiciones inuictis argumentis amoliamur, illæsâ paribus aduersariorum famâ accusationibus, quamvis forte illis essent quàm nos opportuniores.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Nonnulla in Dominicanos ex Petro à Sancto Romualdo refelluntur.

EXistimabam ab vtroque Petro exhausta, quæ in nostri instituti dedecus scribi poterant; nec obmissum ab illis quicquam quod aliquâ specie veri nobis obiiciendum superesset. Vnde mirari subit tertium eiusdem nominis scriptorem Petrum à S. Romualdo suæ Chronologiæ atrocia quædam, à quibus illi abstinuerint, inseruisse; qualia è multis hic duo, aut tria attingam, vt ex ijs statuat Lector, quid sit de hoc Authore iudicandum, aut quæ fides illi habenda, cum de Dominicanis agit.

Historicos & Annalium scriptores, eodem quo iudices loco repono, & parem ab vtrisque grauitatem, veri & æqui curam rerum scribendarum, perinde, ac iudicandarum seueriſſimum examen efflagito: nihil patior ab illis gratiæ, & odio dari; vel vllo partium studio laborare; sed qua fieri potest omni humano affectu intactos, aut maiores esse volo. Has in iudice dotes mirâ verborum emphasi, & elegantiâ Regius vates hoc versu describit: Illic sederunt sedes in iudicio, nihil differre putat oportere à tribunali quod insidet, nec contra ius vllo moueri, aut tangi affectu, non magis

certè, quam ligna aut lapides.

Non minus Historicum quam Iudicem ita conuenit esse comparatum, cum de rebus grauioribus, aut certè diuturnioribus agat; atque ex eo munere præclarè, aut secus administrato, maiora aut bona, aut mala existant; & in Historicorum manu cuiusque fors, ad glōriam aut infamiam æternam versetur: quo quid maioris momenti aut periculi esse potest? Atque vt Iudicibus maxima adhibenda est cura ad veritatis indaginem, ad testium examen, ita historicum, ne quicquam fallatur, aut imponat, necesse est omnia excutere diligentissimè, & ab Authoribus, quos in testes aduocat, fidem exigere incorruptam; & suspectam ac nullam habere, si vel minimùm subodoratus fuerit aliquid suis affectibus dare.

Ad, quas præscribo leges historiæ suas texuerunt etiam Ethnici, ex Græcis Thucydides, Plutarchus; ex Latinis Liuius Salustius, florentissimi Scriptores, maioremq; bonæ fidei etiam corruptissimi moribus, qualis erat Salustius, quam Eloquentiæ quæ apud illos summa est, curam adhibuerunt, vt turpe sit Christiano & Religioso, si quas illi impleuerunt partes, patiatur in se desiderari: Nam cum illorum Eloquentiam & ingenij præstantiam assequi non detur, diligentiam, fidem, aliasque bonæ mentis dotes æquare, imò & superare nos conuenit. Sed interdum magis ab istis charismatibus, quæ vt meliora æmulanda erant, longiùs quàm ab alijs absumus naturæ, & industriæ dotibus.

Si ad has leges expendamus, quæ tertius Petrus de Dominicanis scripsit, haud scio an vberiorem nobis de se expostulandi, quam alij duo, materiam præbuerit. Certè ea refert, quæ illos non puto ausos attingere præ atrocitate, aut falsitate aperta. Omitto leuia & communia cum alijs, quibus responsum est, qualis est summa morositas quâ excipit Sauanorolam, Vincentium Bellouacensem, Martinum Polonum, & D. Antoninum, quos satis, contra illius virgam censoriam suæ sanctitatis, & eruditionis fama tutatur. Adde de illis videri statuere, ex aliorum sensu à se non satis exploratis, nec fortè lectis, quod alienum est à graui & in mitiorem partem prono Authore; quales esse conuenit omnes vniuersim, maximè vitam cœnobiticam professos.

Taceo ex noſtræ familiæ in Gallia à Patre Sebaſtiano Michaëli ſuperioris ſæculi anno vltimo inchoatâ, & ad hunc vſque diem prouectâ primæ diſciplinæ inſtauratione, nihil cenſuiſſe dignum, quod attingeret, præter controuerſiam Patrum Occitanorum, qui Authore Patre Michaëli à fundamentis erexerant domum ad ſancti Honorati, olim ſuburbium, nunc ciuitatis vicum, & domus alumnos: quaſi hoc diſſidium vnus fuerit, aut certè præcipuus tantæ molitionis, & reparatæ obſeruantiæ regularis fructus. Melius ſanè de Dominicanis, alto rerum quæ ad illos ſpectant ſilentio, quam hâc relatione & Lectorum etiam iudicium iuſtius meruiſſet. Infœlix planè eſt illud quodcumque opus, etiam ad ſanctiorem & ſtrictiorem obſeruantiam ſuſceptum, quod non innotuerit, nec apud hiſtoricum locum obtinuerit, niſi à contentionibus: abſit à nobis illud nominis, meo iudicio peſſimi genus.

Sed condono iſta tertio Petro, cum aliis duobus communia, aut leuiora. Quid vero ad hæc tria atrociſſima dicam, de libro execrabili Euangelium æternum inſcripto, quem Dominicanis quaſi authoribus tribuit, non teſtimonio (quod æquo animo ferrem,) ſed vnico verbo incerto *dicebantur* prædicatores eſſe illius libri authores Mathæi Pariſienſis ſcriptoris peſſimæ fidei, hominis ſchiſmatici, & Innocentij IV. ac ſubinde Dominicanorum qui Summum Pontificem propugnarunt, hoſtis apertiſſimi?

Quid ad aliud caput, multo apud me deterius, ex eodem Mathæo (vt videantur labra ſuas lactucas inueniſſe,) quo refert D. Petrum Martyrem Ciſtercenſibus nobis amicitia coniunctiſſimis adhuc eruditionem pietatem, & eloquentiam recentem ſancti Bernardi ſpirantibus, ignorantiam improperaſſe conuitiis è triuio, & bubulcos ac ouium tonſores per ludibrium appellaſſe? Quid tandem ad tertium Caput in Bzouium, in pœnam temeritatis ob ſcripta hæc duo verba ad annum 1294. de Scoto *volens nolens mortuus eſt*, ex Paulo Iouio relata iuſſiſſe Summum Pontificem vt ab annalibus Eccleſiaſticis in poſterum ſcribendis abſtineret?

Sanè non tam iis de quibus obloquitur quam ſibi

ipsi melius consuluissēt, si ab his omnibus scribendis abstinuissēt. Exemplo illi esse poterant & nobis sunt argumento, vterque Petrus Alua, & à Clausâ Valle, qui harum accusationum nullam attigerunt; non quòd ignorarent; quid enim illos latebat eorū quæ de Dominicanis circumferebantur, & extabant in famoso scriptore? Sed quod probe intelligerent improbabiliora esse, quàm vt fidem inuenirent, & in suū caput redundatura.

Quid enim ab omni specie veri abhorrens magis, illo Pontificio mandato, (vt ab hoc vltimo capite incipiam;) ne Bzouius ad secundum Tomum tantum prouectus, Annales Baronii prosequeretur, cum post Editionem illius partis cui inserta sunt verba de Scoto, etiam à Cartagena nobili Franciscano approbatæ, sex aut septem Tomos absoluerit, & fecerit publici iuris, quos in testes ipse poterat aduocare, contra hoc commentitium Summi Pontificis decretum? Nihil historiæ scriptori fide antiquius, aut potius esse debet, quam exigere nequeat, nisi præstet, à quâ excidat, si vel vnam rem seu prudens seu nescius temerè scripserit, quæ apertè falsi conuincatur: Nam cum sint veritatis quasi publici Thesauri custodes historici, iisdem astringuntur legibus, quibus ex officio depositorum curatores tenentur, vt rei etiam ex leuissima culpa amissæ reparent damna: neque enim velim hæc ab illo malo animo scripta: sed non puto repertum iri vllum, quamlibet benignum, qui hæc condonet, & neget maturiori Iudicio debuisse expendi.

Grauius est secundum caput: quis enim sibi persuadeat Diuum Petrum Martyrem adeò compertæ sanctitatis, vt secundo, aut tertio post obitum anno, sit fastis Ecclesiæ solemni inaugurationis ritu ascriptus; tam atroci conuitio proscidisse Cistercienses optimè de nobis meritos, qui summa charitate Dominicanos, nedum vt hospites, sed quasi fratres excipiebant, apud quos residebat adhuc duplex, aut triplex pietatis, scientiæ, & eloquentiæ Bernardi spiritus? Hæc solus potuit scribere Mathæus Parisius petulantis linguæ author, qui hæreticis proluit. Sed planè obstupesco relata fuisse à viro Catholico, probantis magis, quam refutantis more & stylo.

Quod ad tertiam pertinet & omnium atrociſſimam calumniam, non poſſum ſatis mirari, ab homine, nulla quod ſciam noſtrûm iniuria vnquam læſo inſtauratam, vnius ſcriptoris, nedum ſuſpecti, ſed comperti falſitatis fide, qui nihil afferat præter vagum vulgi rumorem *dicebatur*: atque huic vni verbo aſtructam contra expreſſiſſima meliorum illius ætatis Scriptorum Naucleri, Guillelmi vnius de Nangis, & alterius de Niquier teſtimonia, contra Chronologiæ quam maximè curat rationem. Liber ille publico Eccleſiæ iudicio damnatus eſt, flammiſque addictus, anno 1208. ſeptennio ante inſtitutum Ordinem. Quî igitur fieri poteſt, vt partus ſit Dominicani, id eſt, parente antiquior? Niſi velis arcano Trinitatis quid incredibilius, te ſolo teſte nos credere. Fide opus eſt, quæ intellectum captiuet in obſequium ſui, vt nobis perſuadeamus Filium Patri coæuum, nec iuniorem aut duratione poſteriorem: & hunc infælicem partum ſuo authore antiquiorem nihil dubitat tertius Petrus nobis obtrudere. Neſcio quid infortunii nomen Petri portendat, tres experti ſumus in nos iniquiores, quibus optarem veritatis & ſuæ famæ maiorem curam, ne de nobis nedum falſa, ſed etiam ſcriberent incredibilia cum maiore ſui quam noſtrum noxâ.

Nec dicas, de hoc libro controuerſiam, ad annum 1266. pertinere, quo ipſe reuocat, quod eo tempore damnatus ſit ab Hugone à ſancto Caro, & Ioanne Columna Cardinalibus authoritate Pontificia, iudicibus conſtitutis; ita eſt: Sed hic duo obſeruanda erant Petro, quibus eius cenſura concidebat; huic iudicio præiuiſſe alterum, quo ad annum 1208. damnatus eſt idem liber cum ſuo authore, Amaritii Cadauere exhumato & triginta diſcipulis igni addictis; vt Cardinalium decretum fuerit præiudicatæ ſententiæ confirmatio. Deinde, ſi ab aliquo Dominicanorum, prodierat ille liber, non patiebatur æquitas vtrumque iudicem (vt cenſet Dominus Coeffeteau & Pater Pinſartius qui hanc calumniam accurate refellunt;) vel certè vnum ex his Hugonem à ſancto Charo ex Dominicanis in hac cauſa iudices conſtitui. Verum ſi Petro placebat Philippi Mornæi, & Mathæi Paris in nos accuſationes inſtaurare, conueniebat refellere, quibus hanc

calumniam valide depellunt nominati Dominicani.

Sed ipse qui nos passim nimiæ auiditatis arguit, viderit ne maiori laboret, vel gratis lacessendi, cum omnes captet in nos occasiones, & interdum nulla datâ lacessat, & pungat. An non est otiosi, & parum in nos æqui scriptoris, Cauillus de Ioanne Parisiensi celeberrimo ex nostra schola Theologo, quem vulgò nomine vt credere est gentilitio vocabant pungens asinum. Petrus semper coniecturis nobis aduersis indulgens, vult Ioannem hoc sibi nomen acciuisse, quod vehementior esset ac rixosus. Sed quid hoc dixerim, an non est ad conuitium diuinare? Probi & grauis historici est bona certe comperta cum laude, mala cum vituperio narrare, dubia in medio relinquere iudicio Lectoris: & si suum proferre oporteat, res benignius interpretari. At secus videtur Petro cum de Dominicanis agitur.

Hinc nullâ habitâ sanctitatis & Pontificiæ dignitatis ratione, Diuum Anthoninum criminatur, ingentia volumina anilibus fabulis conflasse, durius sane quam tanto viro vel Cœnobico historico conueniret, cum Petrus Mathæus obscuratam superiorum temporum barbarie lucem historiæ primum à Diuo Anthonino deuectam censeat. Sed de his plura quam vellem.

Absit vt eodem cum his tribus regno minibus quartùm reponam Simonem Martinum, aut illis adiungam Dominum Bail Prothonotarium Parisiensem; licet enim aliquam expostulandi causam præbuerint, illam tamen collatione aliorum quibus respondemus, leuissima est, ac fere nulla. Neque hic etiam querimoniam meditor, sed monitionem Lectori appono, ne patiatur sibi imponi, dum Granatensem Interprete Patre Martino adtractat secundum de amore Dei, legit ex opinione Immaculatæ Conceptionis loquentem: vel apud Dominum Bail sua Theologiâ ascetica ad affectus pietatis ciendos, Diuum Thomam audit prædestinationis arcanum ex scientiâ mediâ suspendentem.

Hoc enim Lector sciat, ab interpretibus ex priuatâ opinione, præter vtriusque authoris mentem esse additum. Vnde in illorum hac saltem parte versionem, aut interpretationem cadit iudicium eruditi & ingenioſi viri, de postrema Taciti in linguam Gallicam versione

elegantissimâ, cum ab ipso interprete, quid de illa sentiret, vrgeretur. Respondit, similem sibi videri puellæ, aut amicæ pulcherrimæ, quam proci depereant, sed in illa desiderent fidem. Ita de Granatensis & Diui Thomæ Interpretatione, hoc loco sentio. Sed interpretes excuso potius, quam damnem. Morosi enim esset hominis, & maligni potius quam grati animi, apud quem leuissimæ offensiones, aut labeculæ præponderent ingentibus meritis, eorumque pretium eleuent aut deleant memoriam: quæ animaduerti ex vtroque Authore, ad cautelam potius nostri quam ad illorum vituperationem scribo, ne credat Author me ab iis duobus familiæ nostræ summis luminibus dissentire, vel aliud docere quam quæ ex illis didicimus. Cæterum vt vterq; ne dum de nobis sed etiam de tota Ecclesiâ bene meriti sunt, quod horũ Dominicanorum libris lucem addiderint, qua pietatis affectus accendãtur.

Sed cum de Patre Martino penultimo nostri Granatensis Interprete, sermo inciderit, continere me non possum, quin postremi, id est, Patris Thalonii ex oratorio modestissimi piam fraudem aperiam. Ille est verus author vltimæ omniumque versionum Granatensis exactissimæ, quam tacito suo nomine inscripsit Gerardo qui Isagoges seu ducatus peccatorum vix absoluta versione viuere desiit; & ipse Pater Thalonius omnium Granatensis operum absoluit. Non dubito quin ægre ferat, ista à me euulgari, quasi illum summæ humilitatis modestiæ ingenti præmio fraudauerim. Verum mihi potius attendendum censui; quid nos illi debeamus, quam quid ipse velit. Summa humilitate sua interesse putat latere: nostrum refert vt innotescat, ne ingrati animi simus, in hominem qui sua modestia aliarum virtutum præmio se fraudaret, nisi nos eius artes aperiremus. Vtinam sin quibus hactenus respondimus scriptores tres cognonimes, nedum causam dedissent: neque enim id requirerem? Se iisdem quibus hi tres postremi humanitatis, & grati animi officii colendi: sed ne id fieri salua veritate, & charitate posset omnem causam, & prætextum abstulissent, nam perinde prompto illos animo prosecutus fuissem, sicut repugnante stomacho criminationes refutaui.

Finis Libri quarti.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [222] - 202
PUBLIC DOMAIN

LIBER QVINTVS.

DEFENSIO IVRIVM, & officiorum aduersus nonam & decimam Diatribam.

CVM Theophilus toto suo opere, & omnibus Diatribis eo spectauerit, vt Dominicanorum famam apud probos omnes seruatam profligaret, iura conuelleret, & officia, quæ non minùs hæreditaria sinceritate, quàm successione diuturnâ habent, eriperet, consilium quamlibet iniquum & pudendum vltimis Diatribis euulgarit; cui more nostro, hoc vltimo libro, semotis omnibus conuitiis, solâ vi veritatis, & argumentorum sumus interceſsuri.

SECTIO PRIMA.

Nonæ Diatribæ Examen.

ARTICVLVS PRIMVS.

Falsæ censurarum, quibus libri recentiorum notantur, causæ, ex Theophilo refelluntur, & vera aperitur.

CVm tot, & tanta demonstrarim Petre, te tuo libello peccasse, & fuisse mentiatum, vt merito peccatum, perpetuum possit appellari: ne ante

tamen ſim tui ſimilis, qui nihil boni in his agnoſcis, quos oderis: fateor, te tuo opere ordinem ſeruaſſe. Hunc vnum tibi ſcopum viſus es conſtituiſſe, vt inquiras, cur Dominicanorum libri ſint à cenſuris immunes, & tui, tuorumque ſint illis obnoxij. Huius diſcriminis vnicam ſcribis cauſam eſſe cæcitatem, & improbitatem Iudicum Romanorum, & odium in te, tuoſque Dominicanorum. Nam vt paucis totum tuum librum retexam, cùm Dominicanorum libri hanc pœnam commereantur, vel hæreſibus, vel in Sedem Apoſtolicam iniuriis, vel in Sanctos contumeliis, vel falſis & abſurdis opinionibus, vel nugis, vel amarulentiâ, & mordacitate, vel inuidiâ in bonos, quibus pleni ſunt, & ſcatent; libri verò tui, tuorumque ſplendeant eloquentiâ, ardeant pietate, & zelo, reconditam doctrinam contineant, & ſint infiniti; & cum aliunde poſſis gloriari cum Apoſtolo, plus omnibus laboraſſe, & etiam profeciſſe, ſeu infidelium ad fidem conuerſione, ſeu victoriis de hæreſi antiquâ, & recenti reportatis, ſeu fidelium ad pietatem progreſſu, iniquiſſimum pronuncias eſſe, vt ignari, vel rei Dominicani præmia bene meritorum ferant, immunitatibus potiantur, hæreditario iure per tot ſecula poſſideant officia Eccleſiæ præcipua; & interim fidei Pugiles fortiſſimi, & Eccleſiæ Athletæ, vindices generis humani, totius orbis magiſtri, & Apoſtoli pœnas dent imperitorum, & impiorum.

Quæris ergo toto tuo opere, quæ ſit horum malorum origo, & quodnam ſit remedium: & cum in te, tuiſque nulla alia poſſit eſſe cauſa, niſi beneficia in Eccleſiam, & merita in omnes, niſi ſanctitatis, & ſcientiæ miracula, quibus abundatis, & quæ perſtringunt Dominicanos, & tranſuerſos agunt in rabiem inuidiæ à Cano ortæ ex barbarie, ex ignorantiâ, ex ſuperſtitione; inde tandem concludis, Dominicanis hæc omnia mala imputanda eſſe, & infligendam pœnam abdicatione officiorum, quibus hactenus abuſi ſunt, vt mali malè pereant, & illorum hæreditas, aliis detur poſſeſſoribus. Hanc exigis vltionem contumeliæ tibi illatæ cenſurâ libri de martyrio per peſtem. O felix iniuria, quæ tali, & tantâ compenſatione reſarcienda eſſet! Libellum tuum merito appellauerim ſcorpium, qui licet virus per

totum corpus diffuderit, videtur tamen ad finem erupisse, quidquid inuidia, & odium potuit concipere siniſtri & mali.

Inprimis anxiè, & infœliciter cauſas quæris cenſuræ tuorum operum, cum vera obuia ſit, & facillima. Quæ aſſeris de Franciſcanis, & aliorum ordinum authoribus vera agnoſco, illorum libros rarò in cenſuras incurrere, quibus tuorum libri magis obnoxij ſunt, non quòd reuera aliis ordinibus decedatis, vel meritis in Eccleſiam, vel eruditione in omni genere ſcientiarum; ſed non bene ſcrutatus es, Petre, Ieruſalem in lucernis, non bene excuſſiſti omnes angulos, quibus ſordes colliguntur: nec forte opus eſt ad illud genus mali aliis cauſis præter illas, quas enumeraſti. Scis plura per ſe innoxia corrumpi, ſi commiſceantur; & aqua pellucida, ſi terræ infundas, lutum fit, & volutabrum. Cauſæ per ſe ſolitariæ ſteriles ſunt, nec quicquam efficiunt, niſi aliarum conſortio: fruſtra apud nos quæris tui morbi originem, quaſi ex tuis bonis, ideſt ex meritorum in Eccleſiam & ſcientiæ opinione, quibus te ſupra cæteros mortales effers, non potuerint naſci apud te præſumptio, ſuperbia, amor, & complacentia nouitatum, ſingularitas opinionum affectata, & alia huiuſmodi genimina viperarum, quam apud nos inuidiæ tuæ eloquentiæ ex noſtrâ barbarie, tuæ eruditionis ex noſtrâ ignorantiâ, tuæ ſanctitatis ex noſtra ſuperſtitione. Quàm humiliter de te, & benignè de aliis iudicas! quàm tibi cordi eſt illa ex Thoma à Kempis, toties tibi exemplo, & regula S. Ignatii commendata ſententia: *nihil tibi oberit, ſi omnibus te poſtponas, ſed plurimum tibi nocebit, ſi te vel vni anteponas.* At tu tuoſque eloquentes ſolos, omniſcios, ſanctos reputas, nos barbaros, rudes etiam Grammaticæ, ſuperſtitioſos, inuidos: & hinc pronuncias nobis eſſe abroganda officia, quæ per 400 annos à Patre noſtro habemus, vt ad ſæculares transferantur.

Sed monui, te velle accuratum videri ad aliena introſpicienda & cæcum eſſe ad tua. Videris mihi vbique Democritum Philoſophorum momum imitari: ille inter comedendum ficum, percepit ex guſtu aliquid ſingulare habere, & vt erat curioſiſſimus, rei ſtatim

cauſam voluit inquirere : Ancilla, quæ eius morem nouerat, veram & perfectam cauſam ſaporis illius ficus aperuit : Sed male habuit Democritum adeo prompta ancillæ reſponſio, quæ illi dubitationem abſtulerat, & ſubinde voluptatem, quam erat ex illa inquiſitione inutili percepturus. Inquiris Theophile more Democriti, cur tui inter ſcriptores huius ſæculi frequentius cenſuræ librorum ſubiiciantur, non vt legitimam cauſam aperias, ſed vt iurgia excites, & falſa comminiſcaris. Ad quid opus tam longa, & anxia inquiſitione, cum res ſit in aperto ? Magna ſunt, inquis, merita noſtra in Eccleſiam, immenſa eſt etiam doctrina, ſed timendum eſt, ne ex his intumeſcas, & meminiſſe debes illius Apoſtoli, *ſcientia inflat*, & iterum, *nimia littera inſanire te faciunt.* Aures Romanæ impatientes ſunt nouitarum, neque de illis prædixit Apoſtolus, *Prurientes auribus, auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Seria, ſolida, cana volunt: nugamenta, figmenta, quibus tui libri ſcatent, improbant, execrantur.

Hæc igitur doctrinæ nouitas, quæ rarò periculo erroris caret, eſt veriſſima cenſurarum cauſa, quæ in veſtros Authores, quàm ad Dominicanos, vel Minores frequentiùs recidunt : quia nihil habetis certi, omnia vobis permittuntur, eſtis nouitatis, & ſingularitatis appetentiores, quàm vlli aliorum Ordinum, qui magiſtrum habent, à quo raro recedunt, aut numquam. Minores ſequuntur Scotum, Dominicani, Carmelitæ diſcalceati, aliique plures Diuo Thomæ adhæremus, & nobis religioni eſt quicquam dicere, quod ab eius mente vel latum vnguem recedat ; vos verò in nullius verba magiſtri iuratis, quod cuilibet viſum fuerit, liberè quiſque profert, laudantur, qui noua cudunt ; immenſum gloria calcar habet. Semel Molina gloriatus eſt noua & aliis incognita inueniſſe, & cogitaſſe : hoc illi fœliciter ſucceſſit, & dum eius gloriam æmulamini, illius fœlicitas vos deſerit, & incauti incidiſtis in cenſuras : nec vnius, vel alterius exemplo confirmare poſſum, ſed nubem teſtium inducere qui ſua temeritate & nouitatis lenocinio, non Dominicanorum inuidia in laqueos ſeſe induxerunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [226] - 206
PUBLIC DOMAIN

Sed ne antiqua, aut prætérita repetam, argumento sit, & exemplo liber à Bonarte è Societate scriptus cum hoc titulo, *Concordia scientiæ cum fide* Ille dum nouam sibi munit viam ad difficillimas Theologiæ & Philosophiæ quæstiones enodandas, à nullo etiam vestrum tentatam, mysteria ferè omnia fidei, maximè Eucharistiæ, & Incarnationis funditùs euertit, & ideo sibi asciuit censuram & damnationem à sacra Congregatione latam. En Theophile, in vno è tuis propalatum reliquorum morbum: scio alios, qui damnati sunt, non eò progressos esse temeritatis, quò Anglus iste processit, quia nemo repente fit summus; quod non minus de singulorum generibus, quàm de singulis generum, verum est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Eximuntur Dominicani suspicione inuidiæ in Patres Societatis collatione vtriusque instituti.

QVamuis demonstrata infortunii, aut damnationis tuorum librorum, tuique similium origine, corruant tuæ calumniæ, & causæ commentitiæ, quas cum Carterio repetis ex inuidia Dominicanorum; Quamuis etiam ex comparatione Cani, quem discordiæ facis authorem cum tuis, iam supra eandem calumniam efficacissimè refutauerim, quasi vir eloquentissimus, & doctissimus, quo nullum his dotibus superiorem habuistis, quo nullus à superstitione remotior fuerit, suæ insciticæ, & barbarici conscius, sancti Ignatij eloquentiæ & doctrinæ inuiderit; libet tamen hunc locum fusiùs expendere.

Exemplum & parabola de Natan demonstrant eos, qui rerum copia abundant, ac penè fatigantur, magnitudine suæ fœlicitatis, alienis bonis magis inhiare, quàm qui modicam, aut moderatam fortunam sortiti sunt, eáque diu contenti vixerunt. Dominicani comparatum à suo Parente, & ab eius filio Aquinate, quod fere quatuor partibus constare diximus, à totidem sæ-

culis seruant, neque imminutum, neque auctum patrimonium; vnde cum à tot annis nostra sorte contenti viuamus, nec vobis molesti, nec aliis graues; cum desideriis nostris finem & modum imposuerimus, non flagramus illa ampliandi, vel augendi res nostras cupiditate, ac proinde remotissimi sumus à suspicione alienis bonis inuidendi. Viderint ergo Theophilus & Ludouicus, qui nobis hoc vitium obiiciunt, ne ipsi potiùs nostra ambiant, & expetant, quàm nos eorum bona concupiscamus, aut ægrè feramus.

Præterea quid vobis Dominicani inuideant? fortè Theologiæ peritiam, & tot libros, quos quotidie editis de rebus Theologicis? An in iisdem tractandis eloquentiam? An linguarum maximè Græcæ, & Hebraïcæ notitiam? An librorum spiritualium copiam & præstantiam? An famam tot illustrium interpretum in scripturam sacram? An appetimus Theologiæ moralis vberrimam doctrinam ab Escobar excerptam ex vestris Theologis, quos in fronte libri quatuor Animalium, & viginti quatuor seniorum lineamentis & nominibus repræsentat? An Principum, Regum, Magnatum confessiones, vel gratiam? An concionatorum eloquentiam, vel Apparatus, quos instruxistis beatissima rerum omnium copia in subsidium iuniorum Concionatorum? An denique singularia in Summos Pontifices, in Ecclesiam Catholicam, denique in Christianos omnes merita, quibus vt loquar cum Ouidio, *impleuistis solis vtramque domum*, seu vocatione infinitarum gentium ad fidem, & ad ouile Christi, seu victoriis ab Hæresibus, Gentilismo, Impietate, improbitate morum reportatis, seu instaurata primæ Ecclesiæ pietate, frequentia sacramentorum, Oratione mentali, aliisque piis exercitationibus inductis, seu valida Sedis Apostolicæ contra proteruos Schismaticos, Reges, Imperatores, impios, denique aduersus inferi portas defensione?

Hæc enim sunt præcipua familiæ vestræ ornamenta, quæ possint inuideri. Sed quærò à vobis, Theophile & Ludouice, an existimetis vos illis ita abundare, vel in nobis desiderari, vt sola nobis insit vobis inuidendi, nulla vero vobis causa subsit inuidendi Dominiin canis?

An

An vllius vestrorum Theologorum, vel omnium simul dotes Summæ D. Thomæ, breuitatem, & copiam, altitudinem, profunditatem, & claritatem vel editionum frequentiam æquabunt? Hoc vnicum opus plus accendet in Dominicanos inuidiæ, quàm Dominicanis tota vestrorum Theologorum bibliotheca.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Primum caput inuidiæ à nostrâ ignorantiâ:

OMitto varijs huius Apologiæ locis ac ferè omnibus paginis dicta de huius Thesauri, seu doctrinæ Angelicæ opulentiâ, quæ fomitem inuidiæ ministrare possit. Cuius hoc signum euidentius est, quàm vt dissimulari possit, eamque Poza, Theophilus, alijque similes, quibus è Societate pauciſſimos aut nullos puto, præ se ferunt, dum in D Thoma nævos, quasi in sole maculas quærunt, & in eius libros corruptelas important; eò nempe eorum consilia & conatus spectant, eò neruos omnes contendunt, vt ex illo aliquid extrahant, quod sit Pontificiæ censuræ opportunum. Sed hactenus frustra tentatum est; quia malo animo, id est ex inuidiâ (cuius nos falsò in suos accusat) susceptum, Dei prouidentiâ, euersum omnino consilium est.

Superioribus placet duo aut tria verba addere: primò quidem præter illum, qui est extra omnem comparationem, nos plures habere, qui paria cum quolibet doctissimo, & subtilissimo sint facturi: quales ex Antiquis sunt Capreolus, Caietanus, Conradus, Ferrariensis; & ex recentioribus Ioannes à S. Thoma, quibus adiungere possumus, professione diuersos, meritis & studio in D. Thomam nihilo inferiores Patres Carmelitas excalceatos Salmanticenses. Huius Thesauri, doctrinæ scilicet Angelicæ opulentiam frustrà multis conati sumus explicare. Sed vt Hieronymi verbis vtar, huic materiæ Homerus, Demosthenes, Tullius succumberent, aut inuiderent. *Leuium metallorum* (vt inquit Seneca) *fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena assidùè plenius, responsurâ*

fodienti. Hæc quibus capitur vulgus, leuem habent & perfunctoriam voluptatem, & speciem veri, sed fundamento caret.

Hæc, de quâ loquimur, sancti Præceptoris Doctrina, solida, & inexhausta; quæ plus pateat introrsus, cuius vel minima portio, si assequare, te diuitem & beatum faciat. Quid illa pars Theologiæ, quæ vocatur prima secundæ, est reliquis eiusdem summæ partibus, vel præ cæteris D. Thomæ scriptis? Huius tamen modicæ partis interpretatio, Curielem, & ex nostris Conradum immortalitate donauit, & inter Theologos profundiores accensuit; adeo diues est, & opulenta auri-fodina, vt locupletes & celebres faciat, quotquot hinc opibus eruendis sedulò insudauerint. Atque ex hoc Thesauro, quasi scribæ docti protulerunt discipuli D. Thomæ eas opes, quibus Ecclesiam ditarunt. Atque inter hos eminet Victoria, qui laureâ magistrali assumptâ Parisijs, in patriam redux, in totius Hispaniæ magistrum euasit, & Academiam Salmanticensem ad illius gloriæ fastigium euexit; quod sin omnium prima, nulli certè ex orbe Christiano secunda decedit. Vnde Hispanorum gloriæ consultum est, & eodem ferè tempore quo illustres illius gentis Duces ad noui orbis gazam, Victoria ad scholæ Thomisticæ aurifodinam, iter muniuerunt, & vtraque opulentiâ Hispaniam bearunt.

Id certum est, nullum victoriâ vnquam fuisse discipulis fœliciorem, nec tot ex vllius Theologi Scholâ, Heroes, virosque præstantes omnium ordinum prodiuisse, quot Hispania, Concilium Tridentinum, & tota Ecclesia vidit, qui Victoria magistro gloriabantur, vt inde desit nobis, & alijs suppetat causa inuidiæ de Theologiæ peritiâ & integritate. Atque vt primum illud caput, vnde nobis inuidiæ suspicio aduersus Patres Societatis, videatur Theophilo creari, concludam; dico nihil à nuperis Theologis contra D. Thomæ Doctrinam, subtile & reconditum dici, quod Scotus, Durandus, Aureolus, Nominales, & alij, quorum refert Capreolus fusissimè argumenta, & validè refellit, non occuparint. Ergo ex hoc capite maior alijs in nos, quàm nobis in alios suppetit causa inuidiæ.

Quid de linguarum peritia dicam? Quem vidistis

vnquam Hebraice doctiorem Raymundo Martini, cuius opus sibi vindicauerat Galatinus? Aut Sancte Pagnino, aut Augustino Iustiniano, aut Maluenda? Quem in Patribus Græcis conuertendis fideliorem, aut eruditiorem Combefisio? Ad singulorum quos nominaui laudes, longâ opus esset oratione, si vellem aliquid par eorum meritis scribere. Omissis reliquis Pagninum multi æquant D. Hieronymo linguarum è Patribus doctissimo; ipsimet Hebræi suis Rabinis anteponunt, Lugdunum ciuitate donauit, & habuit in præsidium insuperabile contra nascentis hæreseos impetus, & pro ornamento sempiterno, defuncto quasi ciuitatis parenti persoluit exequias; quas Spiritus Roterus doctissimus fidei quæsitor Tolosæ qui tum Lugduni aderat, eleganti stylo prosequitur, & maximè gratam Lugdunensium in Pagninum animum, & huius in illos beneficia commendat his verbis.

Aderam ego, inquit, *Lugduni, quando suum fæliciter diem clausit extremum. Cuius funus & exequias tanto honore & pietate celebrauit Ciuitas Lugdunensis: vt non priuatus aliquis homo, sed totius Ciuitatis parens defunctus putaretur: Nam pullati, nigrisque vestibus indati plurimi ciues, & potentes, feretrum illius prosecuti sunt, plusquam trecentis ardentibus facibus præfucentibus Huius tanti honoris cùm causam requirerem, responsum accepi: Ciuitatem Lugdunensem Sancti Pagnino perpetuò se fateri obnoxiam; eo quòd nisi illius sancta & magnifica tuba insonuisset, diligenterque illam admonuisset, Lutheranorum pernitiosis dogmatibus tota forsitan seducta involutaque deuenisset.* Idem aliud Pagnini elogium addit: *liber eius Isagoga*, inquit, *tam vastum, tamque reconditam multiplicem continet doctrinam, vt cum tota possit antiquitate conferri; solusque sufficere videatur ad omnes errores eliminandos, omnesque scripturas, absque alio Interprete percurrendas.*

Fortè inuidemus Asceticos Scriptores, quos habetis siue dubio magno numero & optimos Rodriguem, à Ponte, Pinellum: sed hi omnes Granatensem agnoscunt vt magistrum, & vt fontem Doctrinæ Spiritualis ad deuotionem popularem; atque hunc vnum magis inuidiæ materiam suppeditare, quàm vestri om-

nes nobis dent causam, nonnullus vestræ Societatis tis præ se tulit. Cum enim domo paterna exceptus, quæ semper Religiosis patebat, vidisset Granatensis opera, quæ meo consilio Frater comparauerat, in perpetuum velut concionatorem, qui familiam officij sui moneret, *Dolendum, est*, inquit, *hunc Authorem non fuisse nostri instituti: & huic dolori leniendo adiunxit: verum quidquid recondi um ex doctrina Ascetica habet hic Author, deprompsit ab exercitijs Spiritualibus Sancti Ignatij*: quæ iurare possim & certis argumentis confirmare, Granatensi omnino ignota, aut ad minus non visa, nisi post editum librum de Deuotione, & Oratione, qui fuit primus ingenij fæcundissimi fructus, quem dedit quasi specimen, futurorum operum, non tam tyrocinium, quam operæ pretium, eaque fœlicitate scriptum, vt multi optarent eo gradu desinere, quo ipse incœpit.

Huius libri exemplar penès me habeo editionis Salmanticæ anni 555. quæ præfatione ad Lectorem monet editionibus præteritis esse emendatiorem. Eo vero tempore haud scio an adhuc prodiissent Beati Ignatij Exercitia; nisi assentirem ijs, qui huiusmodi libelli Authorem contendunt esse Garciam à Cisneros Benedictinum apud Montem-serratum; quâ de re sensum nostrum aperuimus. Licet vero Granatensis inter Ascetticos scriptores, eum locum, quem D. Thomas habet inter Scholasticos, occupet primum; non tamen è Dominicanis solus est. Multi eum ex eadem familiâ antecessere, aut secuti sunt.

Omitto Alberti Magni sapidissimum tractatum de adhærendo Deo, & Paradisum animæ, Humberti V. Generalis Ordinis nostri de Institutione Religiosorum libros, qui accendunt pietatem. Vulgari idiomate omnium gentium, scripsere Ascetica, Sauonarola Italicè, Germanicè Taulerus, & Henricus Suzo, Gallicè Petrus Auratus, libri, qui inscribitur Scintillæ Diuini Amoris Author. A quo si semoueas verba antiquata, nihil ardentiùs ad inflammandos igne Diuini amoris animos.

Adhoc tertium caput pertinent quæ primo libro diximus, de præsidijs & adiumentis ab eadem Dominicanâ familiâ comparatis, ad promouendum in Deum, & Deiparam, & Diuos, in Eucharistiam cultum pium

ac religiosum: quo in genere ita allaborarunt Patres nostri, vt nulla subsit causa alijs inuidendi.

Sed dices Bibliothecas apparârunt Posseuinus, Bellarminus. Ita est; verum illis præluxit Sixtus Senensis, & iudicium esto penes lectorem, num diligentiâ & eruditione superarit? Immò circumfertur (nec est vana à fides) Bibliothecam Posseuini prius ab Alphonso nostro Ciacconio inchoatam; sed cum morte præuentus imperfectam reliquisset, Posseuinus absoluit. An inuidemus controuersias Bellarmini, Valentiæ, & aliorum, qui Polemica scripta aduersus Hæreticos ediderunt? Quasi hac parte scriptores nobis desint ex omnibus orbis Christiani regionibus. Ex Hispaniâ habemus vtrumque Sotum, & Canum; ex Italiâ Caietanum, Syluestrum (qui primus in Lutherum calamum distrinxit:) Paulum Grisaldum, & ex recensioribus Grauinam, ex Germaniâ Conradum Koelim profundissimum Theologum, qui scelestas Lutheri nuptias execratus est Libro, cui titulus, Euersio Lutherani Epitalamij. Ex Gallia doctissimos Theologos Petrum Diuolè, & Bolum Sabaudi Camberiacensem, Spiritum Roterum Inquisitorem Tolosanum, qui post conciones per quinquaginta annos voce defectus eleganti stylo scripsit in Hæreticos sicut eius libri testantur, paucis noti, licet notitiâ omnium dignissimi.

Sed instar plurium sit Nicolaus Coeffetæus Episcopus Massilienſis, quo linguâ vernaculâ, & Latinâ nemo Hæresim impugnauit validiùs fœliciusque, addo etiam maiori elegantiâ, aut modestiâ. Non dicam illum inter primos accenseri, qui linguam Gallicam situ & antiquatis verbis horridam excoluit, & elegantiâ eruditioni adiunctâ scripsit Historiam Romanam, opera pietatis, & controuersias? Nec minùs erudito & eleganti opere Latino Antonium de Dominis (ad hoc certamen delectus à Summo Pontifice) aggressus est Apostatam? Sed immatura mors præripuit ætatis anno 49. opusque intercepit, quo nullum in hoc genere præstantius extaret, si licuisset absoluere. Nec minùs modestiæ, & prudentiæ, quàm eruditionis & eloquentiæ gloriam sibi comparauit responsione ad Regis Angliæ contra Summum Pontificem librum scriptum; eóque vi argumen-

torum fideì & Eccleſiæ cauſam tutatur, ſaluâ Regiæ maieſtatis reuerentiâ, vt longe receſſerit ab eo vitio, in quod plurimi erant lapſi qui Regis ſcripto reſponderant. At Coeffetæus ita ſtylum temperauit, vt ipſimet Regi, quem arguebat, illæsâ causâ, & dignitate inter humanas ſupremâ, ſumme placuerit.

Sed hic locus diſputationum aduerſus Hæreticos quem ad gloriationem ſibi vendicat Theophilus, & nobis deſignat ad inuidiam, longius patet, quàm pugna cum Hæreſi Lutheranâ & Caluiniana, ad quam profligandam ſe inſtitutos prædicant identidem, nec ego diſſentio. Sed ſi hanc gloriæ & inuidiæ cauſam toto ſuo ambitu liceat explicare aut metiri, porrigendus eſt ad hæreſes iſtius, & quatuor Superiorum ſæculorum, quibuſcum pugnauit fœlicius Dominicana familia, quàm hactenus factum ſit cum recenti, quæ nondum deiecta, nec ſe agnoſcit victam: Nam ſicut alio loco longa ſerie per omnia ab inſtituto Ordine tempora decurrimus, nullo ſæculo Dominicani conquieuerunt ab impugnandis hæreticis, nec modicam gloriæ partem conſecuti ſunt relatis primis victoriis ex Albigenſium, Hæreſi, quæ à D. Dominico extincta eſt.

Quare ſi cum alijs in expugnandis hæreſibus, velimus veram collationem inire, non ſunt tacendæ Dominicanorum victoriæ de antiquis hæreſibus, nec minuenda illorum gloria, quòd omnino eas extinxerint, neque vllum illarum reliquerint veſtigium: imò hinc ſalubre conſilium de nobis modeſtè ſentiendi exiſtit, quod cum Dominicani breuiſſimo tempore profligauerint hæreſim, ad cuius excidium miſſi erant, Lutherana & Caluiniſtica poſt primum exactum & ſecundum inchoatum ſui ortus ſæculum, vix ab vllâ exceſſerit regionum orbis Chriſtiani, quas multas & ampliſſimas occupauit. Vnde niſi Deus nos reſpiciat, diù multumque deſudandum, & plurimum ſanguinis effundendum, antequam hæreſis Lutherana eo ſtatu ſit, quò Albigenſium, Vualdenſium, Huſſitarum noſtri, alijque ante hoc ſæculum, hæreſes redegere. Non dubito quin Bellarminus hac collatione facta, hic ſuæ Columbæ gemitus cenſeat oportuniores eſſe, quàm Theophili gloriationem, aut complacentiam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [234] - 214
PUBLIC DOMAIN

Sed inquies si pertinaces sunt Hæretici, nec à Regionibus quas inuaserunt hactenus expulsi; hæc Ecclesiæ iactura à nobis resarcita est vocatione gentium & infinitarum orbis noui regionum, quæ D. Xauerij, aliorumque instituti eiusdem Apostolorum opera, Ecclesiæ adiunctæ sunt. Fateor ita prouidentiâ Diuinâ factum, vt Hæreticorum decessione diminuta Ecclesia in Europæ Regionibus excreuerit ingenti Ethnicorum accessione. Sed credis Dominicanos huius gloriæ extorres? Nullos habuit Ecclesia ab instituto promptiores ad illud munus Apostolicum, neque forte fœliciores, aut efficaciores, vt singulari dissertatione, statim demonstrabo.

Sed cum heterodoxorum, seu fidei Catholicæ aduersantium quatuor genera post sanctum Doctorem Theologi distinguant; Ethnicos, qui fidem nesciant, vel impugnent nunquam susceptam, & iuratam; Iudæos, qui figuris adumbratam professi sunt, & luce Euangelij coruscantem ferre nequeunt, caligantibus oculis, & vmbris figurarum assueti; hæreticos qui Euangelio traditam fidem non abijciunt quidem in totum, sed cum vna sit & partitionis impatiens, diuisione seu electione quorumdam mysteriorum alijs eiusdem authoritatis & efficaciæ ad salutem reiectis, fidem ipsa partitione perimunt; & Catholicos improbos qui fidem ore & corde professi, eius vim moribus & vita corrumpunt: iam demonstratum est de Ethnicis, & hæreticis, multas retulisse victorias, Dominicanos Ecclesiæ nec inutiles nec inhonoras. Sed quo plena fit & cumulata nostrorum pro fide pugilum gloria, non sunt tacendæ Dominicanorum cum alijs duobus generibus hostium Ecclesiæ, idest, cum Iudæis, & Catholicis vitâ reprobis concertationes longè celeberrimæ, & quas inde reportarunt victoriæ.

De Iudæis hæc pauca è plurimis attingo. Eorum sectã nemo validius contudit Raymundo Martini Dominicano, qui anno 1283 ad eorum peruincendam & domandam perfidiam duo doctissima, volumina quorum vni titulus *Capistrum Iudæorum*, alteri *pugio fidei* edidit: Primum periisse creditur, alterum iam suprà diximus Galatinum sibi vindicasse, curâ Domini Ioseph de

Voisins, suo Authori & Ordini restitutum. Paulo ante Martinum anno 1263. sub Vrbano IV Barcinone in domo regiâ, coram Iacobo Rege, eiusdem Ordinis Frater Paulus Christianus Moysen Gerundensem Rabbinorum doctissimum, solemni disputatione vicit. Eodem sæculo Nicolao IV. sedente, in regno Valentino institutum est Collegium in Cœnobio Setabitano Dominicanorum, quo imbuerentur Linguâ Hebraicâ & Arabicâ ad Iudæorum & Saracenorum salutem.

Si à scriptis ad viuæ vocis energiam, & ab antiquis ad modernos accedamus; Iudæis qui Romæ degunt, quorum proinde cura salutis eò acrius vrget Summos Pontifices, qua propius absunt, perpetuâ serie concionatores dantur ex Dominicanis: atque id munus sicut magisterium sacri Palatij gratiâ Summorum Pontificum, quasi hæreditarium habent: Eoque plures egregiè perfuncti ad altiora Ecclesiæ ministeria, & inde ad infulas euehuntur. Quos inter præ cæteris cum laude memorandus venit illustrissimus Xiantes, quem citra labem ingrati animi, vix possim reticere ob egregia, tum in totum Ordinem, tum in me priuatim merita, & ob singularem linguæ sacræ peritiam, cuius immortale monumentum extat, Summa diui Thomæ contra gentes idiomate & cultu Hebraico donata: atque vt extremis iam delibatis ad media tempora veniam.

Egregius & acerrimus insectator Iudaici erroris, & Iudæorum vindex glorioßissimus occurrit sanctus Vincentius, viginti quinque millibus à Synagogâ ad Ecclesiam ascitis; de quo illud æternâ memoriâ dignum celebratur, anno 1412. Synagogam Salmanticæ ingressum, dum ad preces statas Iudæi conuenirent, Crucifixi imaginem manu præferentem, tanto zeli & eloquentiæ impetu in Iudaicam perfidiam inuectum, vt suo seculo Petri Apostolorum Principis miraculum instaurarit, quo primâ concione tria Iudæorum millia Ecclesiæ nascenti adiunxit. Non dissimili virtute & euentu Vincentius quotquot intererant Synagogæ vtriusque sexus Iudæos, eiuratâ extemplò impietate, ad Fidem Christianam traxit. Vim eloquentiæ humanâ maioris oppidò iuuit prodigium: visæ sunt enim cruces albi coloris, hominum palliis, & fœminarum linteamentis appictæ,

& affusæ, quo spectaculo attoniti omnes inclamarunt Baptisinum, eoque tincti sunt omnes, & tum in Ecclesiam Synagoga mutata, cui ex miraculo hodie veræ crucis nomen adhæret; & est penes Patres à Mercede Redemptionis.

Hâc etiam gratiâ domandæ Iudæorum perfidiæ efficaci donatum legimus Diuum Thomam dum viueret, quæ adhuc insit eius scriptis: nec temere aut ex leui coniecturâ id asserimus, sed certis argumentis comprobatur. Narrant scriptores rerum à Sancto Doctore gestarum longâ & pertinaci disputatione ac successu fœlici vicisse Iudæum, ex illa gente Principem opulentum; & coegisse eiurato Iudaismo Religionem Christianam amplecti; sed longe illustrior fuit quam scriptis reportauit victoria de Paulo Burgense, in Hispania genere & eruditione inter Iudæos primo, & abdicato errore, Episcopatu Carthaginensi primum, deinde Burgensi vnde ortus erat, & illi nomen adhæsit, suisque in sacram scripturam commentariis celeberrimo. Ille dum vixit, testatus est, se beneficium vocationis ad Ecclesiam debere illius scriptis, vnde sibi veritas illuxerat; maximè ex quæstionibus de lege veteri secundæ parti Theologiæ adiunctis; quibus si ex primâ parte addas quæstiones de operibus sex dierum, commentarium conficies vberrimum in libros Moysis: Atque hinc facessit quorumdam hominum morosiorum iniqua censura in Scholasticos omnes, ne excepto quidem D. Thoma; eos tricis & nugis scholæ immorari, quæstionibus futilibus immori, neglecto Scripturæ studio, cuius sensum nec assequantur nec curent. Hanc calumniam ad minus depellit à Diuo Thoma confessio relata Burgensis, Rabinorum in Scriptura versatissimi: quem iam diximus testatum se Scripturæ veteris in Diuo Thoma medullam defecatissimam reperisse.

Quæ paucis perstrinxi, Illustrissimus ac Reuerendissimus D. Franciscus Bosquet olim Lodouensis, nunc Monspelienſis meritissimus præsul, fusius prosequitur ad nostræ summum familiæ decus, epistolâ ad Dominum de Voisin præfixa pugioni fidei, vbi hæc fere habet. *Vrgente Henrico à Coloniâ sancti Dominici Ordinis, verbi Dei præcone illustri, Ludouicus nonus rex Gallia*

sanctissimus, libros Talmudicos aliosque Iudæorum codices, in Christum, & Virginem Deiparam blasphemos, comburi iusserat. Iacobus Tarraconensis prouinciæ Rex è Narbonensi oriundus, &c. Christianissimi regis cui clientelari iure addictus erat, exemplo, & Raymundi à Penna forti mira sanctitatis viri, Ex Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum consilio, Iudæorum calumnias, & proteruiam edictis compescuerat: & ne omnis Iudæorum multitudo obcæcata periret, Raymundus viros sacræ Scripturæ peritos sui instituti, Linguarum Arabicæ, Hebreæ, ac Chaldaicæ studio applicuit: quorum opera ad docendos ac conuincendos infideles vsus est.

Meminit eâdem Epistolâ Pauli Christiani de Mose Gerundensi victoris & cum Rabino Montastruc pari felicitate congressi. Sed ne, Deo auspice, res incepta, publicâ authoritate, & sperato fructu destitueretur; conscriptis ad Iudæos mandatis, Rex iussit vt fratrem Paulum ad edocendos se legatum comiter haberent, & audirent, viatica illi ac proprios codices quoscumque vellet, pœnis etiam additis, exhiberent. Atque huic Apostolico labori cum diu incubuisset, fructu non pœnitendo, Rabinis conquerentibus se præter fas & ius immitius haberi, cum nihil suis libris, aut scripturæ aduersum, aut in Christum blasphemum scripsisse iurarent, publica sanctione data 27. Martij Anno 1264. Rex librorum traditionem ac calumniarum expunctionem remisit, nisi Libris editis tales esse probarentur, datis mensis vnius induciis ad eas calumnias probandas & refellendas. In eam cognitionem constituti iudices à Rege fuerunt Episcopus Barcinonensis, sanctus Raymundus, cum tribus alijs ex Ordine Prædicatorum earum rerum peritissimis.

Hisce modis (prosequitur Præsul eruditissimus) *Dei dextra causarum seriem nesciente; quique recónditiores Hebræorum codices, in manus Pauli Christiani, & Raymundi Martini venere: & hic postremus probus artifex, ex hostium ferro, hunc pugionem confecit: exinde arcana quæque Iudaicæ impietatis detegi, Ecclesia triumpho hostium arma inseruire, palmas ex infidelium agro decerpi, scripta Hebraica publicâ authoritate legi, ac in Academijs Linguarum Orientalium Scholas, & Magistros Ge-*

neralis Concilij Vienenſis decreto conſtitut. Hæc illuſtriſſimus Epiſcopus de noſtrorum hominum in Iudæos Charitate.

Non fuit ſatis ad Dominicanorum gloriam plures ex Iudæis ad fidem deduxiſſe, maximè ex Hiſpaniâ: reliquos qui ſuperauerant immedicabiles, & ſuis erroribus immorituros, è toto Regno profligarunt. Res eſt ſcitu digniſſima, cuius teſtem cito Poſſeuinum, in Apparatu Sacro V. Thomas à Turrecremata narrat Reges Catholicos magnitudinis & felicitatis Hiſpanæ auctores Ferdinandum & Iſabellam, imperij conſiliorum, ſicut & thori conſortem, fœminarum ſapientiſſimam, & generoſiſſimam, decreto ſtatuiſſe, Iudæos ſuis ditionibus depellere; ſed mandatum Regium auaritia miniſtrorum tentata vi magnæ pecuniæ, à Iudæis numerandæ, inhibebat, & penè iam corruperat: tum verò Thomas à Turre-cremata Inquiſitor Regnorum Caſtellæ, & Arragoniæ, vtrique à Confeſſionibus, & maximæ apud illos auctoritatis, ad Palatium acceſſit crucis imagine munitus, quam pallio occultabat; tum inuictâ animi conſtantiâ Regem, conſortem Reginam, & miniſtros compellans crucis imagine apertâ: numquid inquit, ſatis eſt Dominum Ieſum à Iudæis ſemel triginta argenteis emptum, vt de illo iterum Iudæis vendendo triginta millibus aureis, maiori quidem pretio, ſed nihilo minori iniuria cogitetis? His ita omnes omnium animos perculſit, vt nullâ morâ Iudæi toto Regno depulſi ſint. Eos verò ditionibus Ferdinandi, & Iſabellæ extorres, bono animo, peſſimo euentu excepit Regno Luſitaniæ Ioannes ſecundus perfectus Princeps, qui ſecutus opinionem Scoti permittentis Principi filios infidelium inuitis Parentibus rapere ad Baptiſmum, Luſitaniæ perniciem inuexit, cuius nondum curatæ nec fortè vnquam curandæ pœnitet poſteros, & æternùm pœnitebit.

Non patitur hic locus rem in Polonia geſtam, iſti ex Hiſpaniâ relatæ argumento, euentu, & conſilio narrare non diſſimilem; niſi quod in Hiſpaniâ cum Iudæis, hic cum hæreticis par pertinacia ageretur. Sed vtrumque de quibus diſſerimus, mire illuſtrat triumphos Dominicanorum de fidei hoſtibus reportatos, Anno 1559.

Paulo IV. Summo Pontifice, Brentius magnum Lutheranæ hæresis columen, suo & aliorum prædicantium, ac protestantium Germaniæ nomine, Librum porrexerat supplicem Sigismundo I. Regi Poloniæ, quo precabatur ingressum sibi in eius ditiones, & facultatem prædicandi populis noui Euangelij. Rex rationibus nescio quibus politicis, magis quam Christianis, non videbatur abnuere, & iam sumpserat calamum petitionibus subscripturus; cum Melchior Mosticensis Dominicanus totius Poloniæ quæsitor fidei Generalis, intrepidus & Apostolicâ libertate, comperto Regis consilio, palatium ingreditur, porrectum Regi calamum de manibus extorquet, libellum hæreticorum discerpit, eosque coram Rege viuâ voce, ardenti zelo pectore aggreditur, nec minori constantiâ aut felicitate excludit Poloniæ regno, portamque in ampliſſimas regiones claudit, quam Thomas à Turre-crematâ aperuerat Iudæis ex Hispaniâ eijciendis.

Sed hæc comparatio Missionum sensim nos ad concionandi munus deduxit. Dicet itaque Petrus, vt probet nos angi inuidiâ ex nostrâ ignorantiâ & barbarie orta, nos habere solum nomen *Prædicatorum*, alios vim & celebritatem nobis præripere, qui Apparatus instruunt vberiores ad vsum concionatorum, & eam artem meliùs libris, & exemplis doceant: quasi nobis defuerint Vincentij Ferrerij, Granatenses, & alij innumeri, ex antiquis & recentioribus, maximè ex Italia. Præclariſſimi fuere nostra ætate Lorinus, Hebræus, Carrafa, Campana, Riccardius, Zacchia, Nicolaus Lepori, cuius eloquentiam & eruditionem Germania & Italia mirata est, quasi Lopes, & Lanusa non suppeditent copioſiſſima rerum promptuaria? Quasi Granatensis velut alter Quintilianus Christianus, huius artis regulas non præscripserit, aut suis libris non impleuerit, quolibet oratore Christiano feliciùs.

Historia potius nobis texenda esset, quàm Apologia, si vellem referre nomina omnium, ex omnibus sæculis, & singulis Christiani orbis partibus, celebriorum. Post D. Vincentium, quo superiorem, nec fortè parem ab Apostolorum tempore Ecclesia concionatorem non habuit, quæ de Hieronymi Sauonarolæ eloquentia

Christiana narrantur, mira essent & incredibilia, nisi fidem facerent eius scripta, quæ incredibilem spirant pietatem, & ardorem; & facile persuadent quod ferunt, efficacia verbi Ciuitatem Florentinam, delicijs, abundantiâ opum diffluentem, fere totam, non solum ad meliorem frugem ac modestiam Christianam reuocasse, sed ad planctus Niniue vitam ciuium conuertisse, vnde illis nomen gementium adhæsit, omniaque luxus instrumenta, appensa Pyramidi flammis absumpserunt. Neque ad tempus, & horam putes id genus vitæ arripuisse, aut seruasse, superstite Sauonarola; non minus diuturna & perennis fuit quam mira & repentina conuersio. Si his similia, recentes concionatores, mira fecerint, Theophile, assentiemus nos in alios flagrare inuidia.

Ad hanc concionatorum collationem, cæteris omissis, duo addam: E scriptoribus qui docent artem concionandi, præstare Forerium; sicut Raynerium inter eos qui materiam suppeditent. Hic vltimus ex D. Thoma collegit semotis scholæ subtilitatibus, propemodum infinita ad locupletandas conciones aptissima: Et cum Thesaurus hic in bibliothecis delitesceret, è situ & puluere eruit suâ commendatione concionatorum quotquot audite licuit Illustrissimus Episcopus Vzensis Nicolaus Grisetus, cui nescio an plus Raynerius, an plus concionatores debeant, qui acceptum referre debent, hoc ex D. Thoma opulentissimum promptuarium. Sed nescio an Methodo concionandi præstet Forerius, quam Raynerius materiâ; eam vero non ex Tullio, & Demosthene, sed ex Propheta Isaya, vtroque eloquentiore, fatetur se deprompsisse: & vt alijs sit ad imitationem facilior & opportunior, Prophetam quem Ecclesiastem absolutum dixeris, commentarijs illustrauit, vt non alia sit opus suppellectile ad Oratorem Christianum, quàm Forerij Commentarijs in Isayam, & Pantheologia Raynerij.

Ex scientiarum peritia, & complexione vna supereſſe tantum videtur, quam nondum attigerimus; nempe Theologia Moralis, seu casuum conscientiæ, quæ accedat ad iuris Canonici scientiam. Ex hac vero parum inuidiæ nobis suppetit & gloriæ plurimum; quod primus liber eorum, quos Summas conscientiæ vocant, ex officinâ

noſtrâ prodierit, authore ſancto Raymundo, iuris Canonici & Theologiæ conſultiſſimo. Inter reliquas præcipuæ exactiores, qualis Armilla, Tabiena, Syluestrina, Caietana ſunt à noſtris Authoribus, qui ſingulare hoc ſibi vindicant merito ſancti Raymundi, & Turre-crematæ; vt par & ſumma ſit apud nos Theologiæ moralis & iuris Canonici ſcientia; qualem neſcio cognitionem, an vllus Ordo pari cum noſtro gradu ſibi vindicare poſſint, etiam hi quibus nos vult inuidere Theophilus; ſed immerito, niſi cenſeat ſe celebriores vtriuſque ſapientiæ magiſtros habere. Si qui vero noſtris videantur maiori applauſu excipi; hoc non tam nobis inuidendum, quam ipſis dolendum cenſeo; quod hoc ſibi ſtudium hominum conciliarint nimiâ indulgentiâ & laxioribus opinionibus, quibus commodo, & affectibus faueant hominum, & aucupentur beneuolentiam & applauſum.

Pater Petrus Louuet vna ex octo tabulis graphicis, quibus complexus eſt ſæculi Superioris Hiſtoriã Dominicanorum, obſeruat ab anno 1500. ad ann. 1600. edita eſſe centum ſupra mille volumina à quadrigentis noſtrorum Scriptorum; quos inter vnus Summus Pontifex, ſex Cardinales, ſeptem Archiepiſcopi, vnus Patriarcha, viginti Epiſcopi, quindecim Inquiſitores, ſex Magiſtri ſacri Palatij, totidem præpoſiti Ordinis Generales, ducenti Doctores recenſentur: vt ex vnius ſæculi monumentis intelligat Lector quot alijs nihil illo minus eruditis quibus ſteterit & floruit Religio, volumina edita fuerint.

Atque hinc agnoſcat quibus Paulus quintus Summus Pontifex & Franciſcus Galliæ Rex eius nominis primus, dignati ſunt noſtram familiam honeſtare, elogia adeo eximia, vt vix modeſtia ſinat referre; nedum ab Authorum vnde prodierunt ſumma dignitate cum pari ſapientiâ coniunctâ; ſed aliunde etiam habere probabilitatem nempe ex ſcriptorum numero & eruditione. Equidem Paulus V. Patri Sicco Magiſtro Generali Ordinis ſe ad efflagitandam benedictionem adeunti, ante diſceſſum proximum in Hiſpaniam, ad Comitia Vllyſſipone ann. 1618 habenda; Soſpitet, inquit, te Deus, & cui præfectus es, familiam ſeruet & augeat, vt ſit

impoſterum, ſicut hactenus fuit Eccleſiæ loco dexteræ, & validi præſidij.

Nec à ſapientiſſimi Pontificis mente aberat Franciſcus primus, in quo regiarum dotum nihil deſiderabatur præter fœlicitatem virtuti ac fortitudini parem: is humaniſſimus & liberaliſſimus Princeps Comitia noſtra Lugduni ann. 1534. habita dignatus eſt ſuâ præſentiâ, & cum tribus Cardinalibus aſſiduus concertationibus ſcholaſticis interfuit auditor; aſſedit menſæ communi, & tandem comprobatâ diſputationibus eruditione, ſanctionibus, ſapientiâ & pietate, amplitudine, religioſorum ex omnibus orbis partibus aduentu, illuſtriſſimo teſtimonio familiam ornauit, quod ferè in Pauli quinti elogium recidit, niſi quod addiderit noſtrum Ordinem nedum Eccleſiæ Catholicæ, ſed etiam ſui regni inuictum eſſe propugnaculum.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Perſtringuntur alia duo inuidiæ capita, ex noſtra ſuperſtitione & barbarie.

EX noſtra ignorantia, veſtraque eruditione, vnde primùm caput inuidiæ noſtrum in tuos repetis, Theophile, infinita propemodum attigi. Vnum tamen quod præcipuum eſt, omiſeram, nempe Interpretes ſcripturæ. Iis nos carere putas? Vt omittam Antiquos, Albertum Magnum, D. Thomam, Nicolaum Gorram, Holchot: Nonne Hugo Cardinalis præter perpetua in totam Scripturam Commentaria, laborioſiſſimum, & vtiliſſimum opus concordantiæ, ſuâ, ſuorumque fratrum opera abſoluit? Quis recentiorum Interpretum illuſtrior Oleaſtro, qui iam reuerentiam & authoritatem apud concionatores antiquorum Patrum obtinet, ſolis in Pentatheucum & in Eſaiam commentarijs? Quid ſi haberemus, quæ in totam Scripturam ſacram confecerat, vt ipſe in vna ſchedula ſcriptum reliquit his verbis, *hodie finem impoſui commentarijs in totam ſcripturam*, quæ furto ſublata, alieno nomine

authorum diuersi Ordinis edita sunt? Quid de Ludouico a Soto Maiori dicam homine eruditissimo, sed in suis vulgandis adeo modesto, aut pertinaci, vt vix Clementis VIII. & Philippi II. Hispaniarum Regis imperium extorquere potuerit commentaria in Cantica Canticorum? Quid de Maluenda eloquentissimo & doctissimo Theologo, cuius quinque tomi editi auide expetiti sunt ab omnibus doctis?

Alterum & vltimum caput paucis attingam: Secundum ergo inuidiæ in nos vis nostram esse barbariem, & forte ignobilitatem vestræ eloquentiæ, aut claritati generis collatam. Vtrique interpretationi paucis respondeo: nullam esse, nobis hoc decus, causam inuidendi. Quamuis enim opportunitas illa non suppetat nobis, quæ apud vos viget, è scholis selectiores adolescentes ad religionem euocandi; tamen Deus multum in hoc etiam nobis concessit, vt è primaria omnium Prouinciarum nobilitate inter nostros, asciscantur. Habemus enim, & habuimus in nostro Ordine Austriacos, Sabaudos, Dudleos, Arondellos, Ouardos, Alincastrios, Toletanos, Pimentellos, Vrsinos, Columnios, Frangipanos, Annibaldenses, Aquinates, Aquauiuos, Ruffos, Caracciolos, Carrafas, aliosque innumeros. Inuidebimus Ecclesiasticas dignitates summis in Ecclesiam meritis obtentas? Sed nulla hic causa suppetit. Habuimus tres Summos Pontifices sanctissimos ac sapientissimos, Innocentium V. Benedictum XI. & Pium V. Cardinales supra quadraginta, innumeros Archiepiscopos, Episcopos, Antistites, & sedis Apostolicæ Legatos, aliosque clarissimos Ecclesiæ Præsules. Nec inuidenda præclara munera Ecclesiastica? Cum nobilissimis muneribus Magisterij sacri Palatij, & Commissarij Sancti Officij, Secretarij Congregationis Indicis fungamur.

PARAGRA-

Paragraphvs Tertivs.

De Missionibus.

QVando quidem similitudine cum Christo & accessione ad illum solida constat, & comparari potest gloria, in expendendis cuiusque Christiani, ac familiæ religiosæ meritis, Missionum quæ ministeria Ecclesiæ constituunt, ratio habenda est: cum Christus hoc nomine missi à Patre maximè glorietur, *vt sciat mundus quia tu me misisti.* Et quidquid habet authoritatis, dignitatis, ac gratiæ, à missione repetat, quæ illi, qua Deus homo, aut homo Deus eodem sit loco, quo generatio à patre procedenti; nec alia ratione differat, nisi quod hæc æterna, illa cœperit ex tempore: Aut verius missio generationem complectatur, cui addat velut auctarium terminum temporarium, à quo omnis potestas quæ animarum vtilitatem & salutem spectat, siue quæ in Cœlo est, siue quæ in terra, deriuetur: quidni ergo gloriandi sit causa legitima hominibus missio, quæ vna nos Christo maximè coniungit & consignat?

Sed ad rem. Non adeo sum vecors & inuidus, quin agnoscam vltro, & prædicem infinitam ex Missionibus ad gentes infideles Societati gloriam comparatam, quamuis vno Diuo Xauerio Indiarum Apostolo, & Iapponum huius nominis primo frueretur. Sed non carent omninò Dominicani hâc laude, nec iniuriâ ab Ecclesiâ Missis possunt accenseri, hoc ab incunabulis susceptо, & ad nostram vsque ætatem seruato munere cum aliquâ Ecclesiæ vtilitate defuncti; ne solam hac parte sibi gloriandi, nobis inuidendi materiam suppetere causetur Petrus, seu, recentes, id est nostrâ & superiori Patrum nostrorum ætate, seu antiquas & nostræ familiæ velut, coæuas nationum infidelium conuersiones ad fidem & ad Ecclesiam accessiones attendamus

Vix nato & instituto Ordine, ipse Pater Dominicus verè Spiritu Apostolico actus zelo flagrans salutis animarum, quas in tenebris & in vmbrâ mortis detinebat infidelitatis error & ignorantia, nihil dubitabat filios

adhuc teneros deserere,& Cumanos, Bulgaros, Syloſque cogitabat quamprimum ſeſe itineri daturus; eâque de causâ barbam alebat: ſed negotiorum mole detentus, & immaturâ morte ætatis ſcilicet anno 51. & vix 4. aut 5. ab inſtitutione ordinis abreptus, quò ipſe pergere non potuit, ſeſe filiorum turba effudit, & quaſi nubes in aera ſublatæ, totum quâ late patet orbem, non ſolum diuino verbo & Euangelij copioſo imbre; ſed etiam proprio ſanguine largiſſimè & vberrimè irrigarunt. Vnde beatus Vmbertus quintus magiſt. gener. Comitijs Mediolani ann. 1256. habitis teſtatus eſt tercentos ex noſtrâ familiâ martyrij coronâ ante quadrageſimum ab inſtitutione annum donatos recenſeri.

Is vero ardor miſſionum ac per totum orbem ſpargendi Euangelij & lucis fidei inferendæ ſedentibus in tenebris, & vmbrâ mortis, nationibus inceſſerat Patres noſtros, vt eodem Magiſtro Generali in Comitijs Ordinis monente ad gentes barbaras, Cumanos, Ruthenos, Iacobitas &c. mitti oportere, & aliquot ex illis deligendos, qui eò irent, ſtatim omnes certatim humi (vt mos eſt apud nos) toto corpore proſtrati ſe mitti rogarent, & hunc ambiebant honorem, ac delectu facto mittendorum, qui prætermittebantur vicem ſuam dolebant, inuidebant miſſis, & vix ſe poterant ſolari. Quo verò fructu eorum labores Deus bearit, Annales noſtri ferè tacent, ſed altè prædicant minus ſuſpecta diplomata Summorum ſex Pontificum Alexandri, Innocentij, & Clementis eius nominis quarti, Bonif. octaui, Ioan vigeſimi ſecundi, & Gregorij vndecimi, nobis tacentibus inclamant, innouata ſuo tempore horum virorum Apoſtolicorum ſtudio & zelo Apoſtolorum opera.

Atque eo primo impetu, & ex Sion egreſſu, in omnem terram diſperſos, eorumque ſonum exiuiſſe, & *in fines orbis terræ verba eorum*, multa ex priſcâ ætate hodie ſeruata monumenta teſtantur. In Affricam quidem, Tunetum, & Marrochium diuus Dominicus adhuc ſuperſtes, filios miſit: quos verò fructus tulerint, præter alia argumenta illius gentis ad fidem Rex conuerſus teſtatum venit Romam anno 1236. atque eâ primæ Ætatis miſſione Aſiæ nationes à remotiſſimis Arme-

niam, Perfidem penetrasse inde constat; quod ab anno 1303. non alij sedem diui Blasij Armeniæ Episcopi, quam Dominicani occuparint, & fidem Catholicam, Schismaticorum perfidiâ, Mahumetanorum superstitione vndequaque obsessam, ad hunc vsque diem soli excoluerint, seruarintque perpetuam.

Atque eâ in Asiam primâ, vt sic loquar, irruptione, ad Synas vsque progressos esse, non leuis coniecturæ est statua hominis veste Dominicanâ induti reperta à Lusitanis, cum ad has regiones auspicijs Ioann. secundi appulerunt.

Ad Æthiopas verò accessisse multò certiora sunt monumenta, Conuentus Dominicanorum copiosissimi, non quidem eâ quâ Theophilus prouehit multitudine nouem aut septem millium; sed nongentorum aut septingentorum Cœnobitarum numero, quos ex falsâ supputatione tanquam fabulosos traducebat, & nostri fere crediderant, & Huretam ex nostris fere indefessum reliquerant: sed quî possum negare fidem, non solum Dauiti in descriptione Æthiopiæ hæc nostræ familiæ cœnobia frequentissimè nomine Alleluya & Plurimanis referenti, sed Christouali, Suares, Gonzales, Roderigues, Francisco & Roderigo Aluares ex Societate, iurantibus se ea Cœnobia vidisse, & Francisco Aluares suâ relatione scribenti, Imperatorem Abissinorum petiisse sibi ex Lusitaniâ mitti vitam sancti Dominici, à cuius imitatione & exemplo audiebat eius alumnos sui imperij recessisse, suffecto eius loco ex Æthiopiâ quodam miraculis, & insolitâ sanctitate conspicuo nomine Tacleupeuanoth? Post hos iuratos testes Theophili germanos, quis neget hoc ad minus certissimum Dominicanorum appulsu Æthiopum regnis illuxisse Euangelium, easque regiones magno numero incoluisse?

Hunc verò missionum, qui in Patrum nostrorum cordibus incaluerat æstum & ignem fere diuturnum fuisse, nec decimo quarto & decimo quinto sæculo intepuisse, ac rursus ad finem illius decimi quarti, & toto decimo quinto sæculo efferbuisse; quò, apertæ ad Euangelij prædicationem fuere tres portæ latissimæ, repertâ à Lusitanis Indiâ Orientali, auspiciis Ioannis secundi, &

Emanuelis primi, occidentali ab Hiſpanis reſeratâ duce Chriſtophoro Columbo Genuenſi, & detectâ Americâ quartâ mundi parte ab Americo Veſpuſio eius nomine donata; probant exterorum & noſtrorum non pauci, maximè Lopes ſuæ Hiſtoriæ parte quartâ, quæ tota eſt de obſequiis Dominicanorum in Eccleſiam; & pater Petrus Louuet Diuionenſis, qui res à Patribus noſtris geſtas toto ſuperiori decimoquinto ſæculo, tabulis octo ampliſſimis delineauit & complexus eſt; ex quibus hæc pauca delibauimus, vnde plura lector conjiciat.

Cum verò Apoſtolatus & miſſionis Euangelicæ certiora ſint ſigna & monumenta quæ illius adminiſtri patiuntur mala, aut quæ inde in Eccleſiam bona exiſtunt; neutrum deſideratum eſt in Patribus noſtris. Equidem quod ad tolerantiam malorum pertinet, certum eſt in antiquo & noto orbe Chriſtiano, ſepoſitâ vtrâque Arabiâ & Æthiopiâ, Hæreticorum aut Turcarum furore deleta eſſe ſeptingenta monaſteria, & illorum incolas mortem pro fide paſſos ad bis mille ſexcentos vno tantùm ſæculo. Hæc verò ſi quæ ſint damna, præter gloriam martyrij, & immenſum quem hæc patientia fructum habet, compenſata ſunt pari aut maiori numero Cœnobiorum, aut Cœnobitarum.

In vtrâque Indiâ inſtitutæ ſunt octo Prouinciæ, è quarum vnâ cæteras ſicut ex vno conuentu alios noſſe licebit. Peruana viginti nouem Conuentus habet, ex eâ Limenſis huius ſæculi anno 13. nunerabat 531. Cœnobitas & ſexaginta colonias aut pagos quos vocant peublos, eoſque quadringenti religioſi incolebant qui erudiendis ad fidem Indis operam nauabant. Eâ nouâ ad Eccleſiam acceſſione, duodecim ex noſtris Epiſcopi, ſex Archiepiſcopi nouis Eccleſiis inſtituri ſunt à Sede Apoſtolicâ: his eodem ſæculo defunctis quadraginta nouem Dominicani ſuffecti ſunt, præter viginti tres qui in Indijs, & triginta tres qui in Europa, Hiſpani omnes, exceptis duobus Polonis, ex humilitate non ſunt auſi has dignitates adire; ne cauſetur Theophilus, vt alio loco ſcripſit, omnes Dominicanos ad vnum Epiſcopatus ambire.

His duobus argumentis, quibus vniuerſim probatum

est, non omninò inutiles operarios ad fidei & Ecclesiæ augmentum nostros fuisse ; addimus tertium, quo apertas Indias non immeritò illis acceptas referre possumus testimonio ipsius Christophori Columbi. Nam cum viro immortalis gloriæ, & vastioris ipso vniuerso ingenij, Deus nouas ex illo & incognitas regiones inquirendi cogitationem immisisset, eamque diu voluisset animo, illius expediendæ & ad vsum reuocandæ causâ, & iam pene certam rationem, & viam, quâ Astrologiæ & nauigationis præstabat peritiâ, crederet se inuenisse, Regibus nostris frustra mente suâ apertâ, vt naues & commeatum ad nauigationem suppeditarent, futura illis in Thesauros inexhaustos, si fidem dicenti habuissent ; nihil his deterritus, melioribus auspicijs in Hispaniam venit.

Sed antequam Reges Catholicos Ferdinandum, & Isabellam, Hispanæ magnitudinis & fœlicitatis parentes adiret, Salmanticam accessit ; Patresque nostros quos promptiores ad sua iuuanda consilia sperabat, conuenit, rogauitque se res maximas aperturum audirent. Humanissimè ab illis acceptus, quæ iamdiu voluebat animo ordine differuit ; & multa quærentibus nec leuia dubia subijcientibus pleniſſimè cum satisfeciſſet, quò plus authoritatis adderent diuino inuento, & tantæ molitionis gloriam cum alijs partirentur alienæ nunquam inuidi, visum est & consilio grauissimo patribus, iterum plenis totius Academiæ Comitijs audiendum Columbum.

Sed vnde difficultates expediendas sperabant, inde emersêrunt grauiores, reliquis fere Academiæ Professoribus Columbo reclamantibus : sed nostri illâ obsistentium virorum turbâ nihil deterriti Columbo adhæserunt : itaque Authore Didaco Deza, tum primario Theologiæ professore, & Ioannis principis vnici Catholicorum Regum filij, tot regnorum futuri hæredis, nisi immatura mors præripuisset & domi Austriacæ ampliſſimas ditiones addixisset, præceptore, res confecta est : nam quâ apud principes, qui suum hæredem quasi Alexandrum Aristoteli regnandi artibus imbuendum permiserant, authoritate ac gratiâ valebat ; nedum audientiam, sed etiam Columbi consilio Regum assen-

sum, & subinde omnem ad explorandas nouas regiones apparatum & commeatum obtinuit. Vnde vox illa Columbi vere ex grato, generoso, ac modesto animo profecta, vni post Deum Didaco Deza Hispalensi Archiepiscopo Reges Catholicos debere, quidquid ex Occidentali Indiâ suo adiecere Imperio. Hæc vniuersim delibata ne singularibus argumentis referendis prope abeam in infinitum, probare certum est, quod hic maximè specto, Dominicanos alienæ gloriæ inuidos nunquam fuisse, imo nec suæ parcos in alios eam deriuasse, quod etiam nouo hic argumento comprobamus.

Inuecti in nouum Orbem Euangelij, nec primam nec summam laudem nobis vindicamus; contenti, si iudicio Lectorum ad illud diuinum opus, nec inutiles ex ignauia nec noxij ex inuidiâ habeamur. Primas quidem deferimus Patribus Benedictinis, qui teste Grauina cap. 6. Opusculi *de voce turturis* & Thoma Bosio de signis Ecclesiæ lib. 4. cap. 3. sæculi decimi quarti ad finem ann. 1497. in Occidentales Indias Christi fidem inuexerunt Duce Patre Bucil Benedictini instituti Catalano, adiunctis duodecim ex eodem ordine sociis: nam eâ orbis patre inaccessâ, & innauigabili reseratâ à Christophoro Columbo, & omnium primâ insulâ illâ, (quam cum sancti Dominici die festo inuenissent, eiusdem nomine nobilitarunt,) ab Alexandro sexto his duodecim Benedictinis præfectus, & ad eas oras destinatus Bucil, longè latèque Christianam religionem propagauit; dignissimus tot Benedictinorum hæres, qui innumeris nationibus à fide Christianâ alienis, Germanis duce sancto Bonifacio, Anglis Augustino Apostolo Euangelij lucem importarunt; quorum omnium longam priscorum temporum & nostræ ætatis, ad gloriam Benedictini instituti, texuit seriem author congeminatæ vocis turturis ad caput nonum Cauceæ turturis anonymi, quem magis ex stylo Apologistam Grauinæ, quam ipsum Grauinam suspicor; & si vlla sit meis coniecturis fides, existimo aliisque persuasum velim, illum esse Reuerendum admodum Patrem Leonardum Hensen, qui apud Magistrum Generalem dignissimum agit Prouincialem Angliæ: & cum multa maximæ

eruditionis, & paris eloquentiæ ediderit opera, summo studio humilitatis, fugiendæ gloriæ causâ, suum nomen occultauit.

Eo verò loco, elegantiùs ex antiquâ Historiâ totius Ecclesiæ, & accuratiùs, ex recenti Germaniâ, ipse Germanus, eaque ad Patrum Benedictinorum æternam laudem differit, quàm vt mihi persuadeam, alium esse posse, quam à me nominatum, & de me ac de totâ religione optimè meritum Leonardum; eò magis laudandum quòd omnem fugiat laudem, quamuis summâ sit dignus. Nec abnuet lector prudens, & peritus, si has Benedictinorum ab illo exaratas vindicias contra scriptorem, quem Vindicianum vocat, illi liceat videre nec legisse pœnitebit.

Neque Patres Franciscáni suâ hic carent, aut fraudandi sunt laude. Nam vt Grauina post Bosium obseruat, eodem sexto capite vocis turturis, post Columbum & Vespusium, Ferdinandus Cortesius latissimas oras Mexicanas reperit, & multis sibi adiunctis socijs è familiâ sancti Francisci innumeros Christo populos acquisiuit. Sanctus vero Franciscus, ait Bosius, hoc est meritus vt huiusmodi Indiarum Mexicarum primus ex Ordine ipsius crearetur Episcopus Ioannes Cadebus.

Quid super est Patribus societatis? Eadem planè sors & merces, quam nouissimi ex Euangelio vineæ operarij consecuti sunt, nam anno 1541. *Sanctus Pater Franciscus Xauerius* (verba sunt Grauinæ) *Societatis Iesu, vir Apostolicus Vlyssipone soluit Indiam Orientalem ad Iapponem vsque penetrauit, trecentis Infidelium millibus ad Christum adductis, primus merito Iapponum Apostolus: & inde via facta in mari equis suis eamdem Iapponis oram ann. 1539. iactis vbique Catholicæ fidei fundamentis, pedibus lustrauit, & cœlesti luce collustrauit.*

Sed Benedictinis primo, Iesuitis nouissimo, eoque præstantissimo, Franciscanis medio constituto loco, quid dabitur Dominicanis? Nisi vt his omnibus operarijs sese adiutores adiungant, quibusdam etiam locis primi, nullo sint postremi. Nam imprimis Ioannis secundi Lusitaniæ Regis auspicijs detectâ Guineâ, duce è nostris Alphonso, tres Dominicani, vt habet Author Rerum-publicarum, & Imperiorum mundi, tres in

Congo missi sunt Dominicani, prædicandi Euangelij causâ; idque adeò fœlici successu, vt præter infinitam ex illâ gente multitudinem, Regem cum Reginâ totâque familiâ regenerationis tinxerint lauacro. Vnde huius ampliſſimi regni ad Eccleſiam acceſſio, illis accepta referri poteſt: & anno 1504. in expugnatione Goensi, duce inuicto Alphonſio Albucherquio, vnus è noſtris cruce elatâ militibus ad impreſſionem in ciuitatem præibat. Vnde factum puto (quod obſeruat ſuo itinerario Reuerendus admodum Philippus à ſancta Trinitate digniſſimus Carmelitarum diſcalceatorum Præpoſitus generalis qui diu Goæ hæſit;) vt in noſtra domo ſolemniores qui ad fidem pertinent actus celebrentur.

Americæ etiam primus Paſtor è noſtris præfectus eſt Iulius Garces à Mexico, vt teſtatur ipſe epiſtolâ ad Paulum tertium ann. 1536. Quod ad inſulam pacis nomine inſignitam pertinet, eam ſic iuſſit Carolus quintus appellari, quod ſolis Dominicanorum, nullis militum armis, eius Imperio adiecta eſſet ann. 1539. Decennio, ideſt, ad annum 1529. Pater Vincentius à valle viridi, & Pater Thomas à ſancto Martino primi in Peruano regno inſtituti ſunt Epiſcopi: & cum nouæ Hiſpaniæ ſuo Imperio acceſſionis audiſſet Carolus V. primum lætumque nuntium, ad Garciam Aloiſia tum ſibi à confeſſionibus, paulo poſt Cardinalem conuerſus, qui ſibi tum aderat, iuſſit vt illius nouæ Chriſtianitatis curam haberet. His verò ex Dominicanis duodecim, totidem ex Franciſcanis delegit, qui hunc nouum agrum excolerent vnanimi & indiuisâ Euangelij prædicatione, cuius tituli Opuſculum edidit Grauina, quod inducto in Iapponas Euangelio à Diuo Xauerio aliiſque eius inſtituti ſocijs decretum Pontificium quo cæteris Religioſis Iapponia prædicatione interdiceretur, reuocatum omnibus hoc latiſſimum imperium Euangelicis concionatoribus aperuiſſet; eoque ingreſſi è noſtris nouem, à Patre Trigault Societatis Ieſu ſuo triumpho martyrum Iapponij impenſe laudati, ob ſuarum conſtitutionum exactiſſimam obſeruantiam pluribus eiuſdem Ordinis viam muniuere.

De quibus hoc hiſtoriæ noſtræ referunt ſingulare;

Inductâ eorum prædicationibus, magnoque applausu exceptâ piâ exercitatione Rosarij, ita roboratos in fide aduersus tormenta nouos Christianos; vt cum nonnulli vi cruciatuum fidem antea abnegarent, eo precationis genere, euocato Deiparæ & filij auxilio inuicti euaserint, & pauciſſimi imposterum succubuerint tormentis, etiam laici: nam quod ad nostros attinet è septuaginta omni pœnarum genere vexatis nullo excepto, omnes testimonio fidei probati fortissimè illi sunt immortui. Alio loco patris Guillelmi Corteti Occitani ad Bitterras glorioſissimi in Iapponia martyris, sub quo magistro Tyrocinium vitæ religiosæ posui, hoc inter longissimos & atrociſſimos cruciatus identidem repetebat *Regina sacratissimi Rosarij ora pro nobis* Vt inde intelligamus, quod alios docebat, remediorum & armorum, genere, seipsum muniuisse, vicisse tormenta, & martyrij palmam esse adeptum.

Sed cum Missionarijs Indiæ occidentalis, vbi Hispanorum arma inualuerunt, desint frequentia tormenta, quibus animi constantiam periclitentur & comprobent Patres nostri, quo in Iapponiâ genere boni abundat, hanc laudis & gloriæ imminutionem resarciunt, eximio sanctitatis & disciplinæ religiosæ studio. Nullos habet prædicatorum Ordo suarum constitutionum obseruantiores. Mira de illorum vitæ sanctimonia narrat Lopes suæ historiæ parte quartâ; votiuam paupertatem in ordine primùm institutam abdicatis omnibus etiam in commune reditibus instaurant & sectantur. Videres viros religioſissimos, dum cæteri Christianorum auidissimè expetunt aurum lapidesque pretiosos, per rupes montesque sursum arrepere, & quæ cauernis locisque inacceſſis Indi occultarunt idola argentea & aurea conquirere, & si quæ reperiant comminuere, & à materia quâ conflâta erant velut sacrilego vsu abstinere.

Eodem studio paupertatis, quas Indi offerunt, aspernantur & abijciunt res pretioſissimas: eodem zelo datos ab vno nostræ familiæ Episcopo pagos recusarunt, causati, non conuenire hominibus Apostolico ministerio addictis, huius modi rebus vti, & inde commoda vitæ captare. Hinc videres viros Apostolicos vastissimas re-

giones prædicationis causâ pedibus circumcurſantes, nec quidquam de abſtinentiâ à carnibus ac ieiunijs ex itinere & æſtu regionis fatigatos remittere: tantâ verò ad id ſanctiſſimæ vitæ genus nouitios inſtituendos curâ afficiuntur, & incumbunt, vt prouinciales hoc munere defuncti, magiſtros nouitiorum agant. Itaque cum tanto ſtudio Indorum ſaluti allaborarint Patres noſtri, eoſque relatis ac pluribus quæ taceo beneficiis, ſibi deuicerint, nihil mirum ſi veluti filios à ſe in Chriſto multo ſudore genitos, contra pſeudo-Chriſtianos politicos propugnarint, vt alio loco memorauimus.

Quæ confusè & generatim retulimus de Miſſionibus Patrum noſtrorum, tum antiquis, tum recentibus diſtinctiùs enarrant multi, variiſque extraneorum confirmant teſtimonijs. Referunt imprimis à Raymundo Martini linguæ Hebraicæ & Arabicæ peritiſſimo Authore doctiſſimi operis, cui titulus, *pugio fidei*, olim à quodam alterius inſtituti, furto ſublati, nuper ſuo Authori reſtituti; innumeros Arabas Mahumetanos ad Chriſti fidem, ſub Clemente quarto conuerſos. Conſtat etiam annis ſuperioribus Imperatorem Monomotapa cum totâ ſuâ familiâ, lauacro regenerationis tinctos. Et vt quaſi ſcribæ docti de Theſauro, noua ſimul & vetera depromamus, refert Spondanus ad annum 1298. in Syriâ & Paleſtinâ primum inquiſitorem à Nicolao 3. conſtitutum, contra Iudæos & Hæreticos illic graſſantes, Nicolaum de Anapijs Gallum diœceſis Rhemenſis, poſtmodum Patriarcham Hieroſolymitanum.

Refert idem Annaliſta ad annum 1318. Ioannem 22. miſiſſe ad Regem Armeniæ è Dominicanis Bonauenturam cognomento Paruum, patriâ Bononienſem, titulo Archiepicopi, qui deferret petitam à Rege formulam fidei, quâ emendaret, quibus corrupta erat religio apud ipſos priſcarum hæreſum erroribus.

Ad annum item 1321. refert idem Apamienſis Epiſcopus Ioannem 22. de progreſſu Minorum & Prædicatorum, inter Tartaros, Æthiopas aliaſque Orientis nationes nouos operarios eò direxiſſe. Ad annum item 1329. numero 21. narrat ex vtraque familiâ in Perſidem miſſos, quos Ioannes 22. Imperatori

Trapesuntino, dynastis Russiæ, aliarumque per quas transituri erant regionum commendauit litteris, quæ adhuc extant, vti legationum monumenta eiusdem Pontificis ad Christianos Imperij Persici, ad Imperatores Tartarorum, quæ in eius supersunt registro.

Nec minus indefessa fuit Patrum nostrorum cura, & efficax prædicatio ad annum 1249. quod satis contestata est in Synâ regis Tartarorum conuersio, qui ad sanctum Ludouicum in Cypro tunc agentem, nuntios misit, remisitque alios Rex piissimus, quorum princeps fuit Andreas Dominicanus, Regi Tartaro ad fidem conuerso notissimus, vt pluribus prosequitur Spondanus ad annum relatum. Alterius legationis meminit ad Tartaros ad annum 1261. duobus Dominicanis à Gregorio decimo missis. Nullum finem facerem, si vellem singula percensere, sed malo harum rerum lectori desiderium relinquere, quam satietatem.

Hæc ex infinitis pauca delibaui, quæ vbi scripseram lecto Ioanne Lopes de eodem argumento puduit me hæc attigisse, cum multo maiora & illustriora ipse memoret, sed ne videar historiam potius texere, quam Apologiam, cogor ad alia progredi.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

De Dominicanis Principum præceptoribus, aut qui illis à consiliis & confessionibus fuere.

QVos ex Lopes descripsimus vastissimas Indiarum regiones pedibus obeuntes salutis animarum causâ, & vt idem refert ad Æthiopiæ regna, per Africæ æstus, & arenas longiore quam triennij itinere festinantes; nihil de rigore ieiuniorū, & abstinentiæ remittentes, Dominicani, cum Ioannis Baptistæ Eremi Incolæ sint similiores, quàm vt Regum aulæ interesse velint, aut debeant, vel aliis inuideant, qui apud Principes gratiâ valent, & honorifica munera obeunt: attamen sicut Senecæ merito visum est, delicati esse animi, non posse ferre diuitias, nec magnæ fortunæ moderari, eâque vti ex sapientiæ regulis: ita esset non perfecti omnino

cœnobitæ quam libet ex priuato humilitatis affectu huiusmodi fugiat honores, non posse ijs defungi animo incorrupto, & saluâ modestiâ. Neque enim minùs principum, quam plebeiorum quærendæ sunt animæ, imo hoc nomine ardentiùs, quod vnus sibi aliisque prope infinitis saluti esse possit. Nec infeliciter cecidit Didaco Dezæ, præceptorem Ioannis principis vnici hæredis Regum Catholicorum, eiusque parentibus à confessionibus & consilijs fuisse; cum illis author fuerit vt aperiendo, non tam ad imperium propagandum, quam ad Euangelij prædicationem nouo orbi naues, milites, & commeatum Columbo suppeditarent.

Vnum tantum auertendum suscipio à Dominicanis crimen à Petro Sapius obiectum; nos nimiâ cupiditate omnia ad nos trahere, alijsque inuidere, qui sapientiæ, eloquentiæ, & sanctitatis opinione nos inumbrant, & quæ per plures annos obtinuere Patres nostri loca apud Principes, & munera à Confessionibus, & à Consilis præripiunt. Sane si aliquo sensu liuoris indè tangeremur, meritò damnaremur, ne dum iniquæ & nimiæ cupiditatis, sed intolerabilis etiam superbiæ, quæ non pateretur alios per vices & interualla temporum, quæ omnia immutant, muneribus frui, quibus nos per quatuor fere sæcula defuncti sumus.

Nec minus æquitati naturali, quam modestiæ & humilitati Christianæ aduersaretur, quæ meri arbitrij sunt, nulliusque iuris bona velle nobis semper asserta, & quasi hæreditaria possidere: nisi libeat supra sortem, ne dicam religiosam quæ semper ima petit; sed etiam supra humanam insolescere. Contentos nos esse oportet, præteritorum temporum cumulatissimis, & per aliquot sæcula perpetuis muneribus; & nedum æquo, sed etiam læto animo inspicere rerum immutationem, cum perpetua lex sit rerum in se remeantium orbis, & quę nobis aduenere bona, ad alios abire necesse sit, ad nos fortè reditura ex eâdem lege præscriptâ, à quâ velle eximi non solum iniqui & inuidi, sed etiam insani sit hominis.

Certè si consulantur historiæ cùm domesticæ tum extraneæ, infiniti occurrunt Dominicani, qui honestissimo apud Principes loco fuerint, seu dandis concilijs,

seu confessionibus excipiendis. Memini alio loco obseruatum ex solo Conuentu Camberacensi in Sabaudiâ assumptos octodecim confessarios Ducum Sabaudiæ, & tres Principum Burgundiæ, ac Belgij, qui operâ Dominicanorum vsi sunt ad negotia quæque grauissima, qualis fuit Ioannes Porrens Episcopus Atrebatensis quem Tabulæ Diuionensis Cameræ, testantur electum ad negotia maximi momenti tractanda, regem inter & ducem; atque huius nomine legatum in Angliam, & ad Concilium Constantiense iuisse.

Nec minus gratiâ & authoritate valuerunt apud Philippum cognomento Bonum, Ioannes Sagnotius, & Petrus Flori; cuius manu & scriptis ius belli in Authores cædis sui parentis propugnauit.

Regibus Hispaniæ à Confessionibus iamdiu nunebantur quadraginta septem, quos inter eminent sanctus Raymundus, & Ioannes Entrega Alphonsi vndecimi confessarius, cuius hortatu, operâ, virtute expeditio bellica aduersus Sarracenos, viginti quinque millium peditum, & quatuordecim equitum instructa est, ducentis millibus Maurorum occisis, alijsque pluribus profligatis.

Regum Lusitaniæ quatuordecim, Poloniæ viginti, Regum Galliæ sexdecim recensentur. Sane si his non expleremur aut veriùs non fatigaremur honoribus, pluribus digni simus conuitijs, quam quibus nos Petrus à Clausâ valle incessit, nimiæ cupiditatis & inuidiæ, ac prorsus inexcusabilis superbiæ.

Et quamlibet multiplex sit initus hic numerus, puto tamen infra verum longè imminutum. Addi possent plures ex nostris dati principibus ab incunabulis Magistri, & velut Angeli custodes: vt Ioanni principi Didacus Deza iam memoratus, Antonio Ludouici infantis ex Lusitaniâ vnigenito Bartholomæus à martyribus; vti Philippo secundo Hispaniarum Regi Bartholomæus Caransa. Vnde mirari subit illius viri sæpius cum laude memorati, quam insons passus est ob leues Hæresis suspiciones longissimam & grauissimam calamitatem.

Carolus quintus Philippi Pater, præceptorem suum Adrianum non desijt honoribus augere, ad Summum Pontificatum euexit: Philippus secundus suum ad Ar-

chiepiſcopum Toletanum promouit: & licet tam longo, quale diſcipuli cum præceptore exigit, contubernio potuiſſet explorare eius fidem illibatam, tamen cum quibuſdam ſuſpicionibus opportuna fuiſſet per plures annos permiſit illum aduerſariorum accuſationibus vexari.

Sed Hiſpaniæ, & Galliæ Regum hiſtorias recogitanti, & Annales noſtros excutienti, à diuo Raymundo Regis Aragonum Confeſſario ad Philippum quartum vſque nuper viuis exemptum, pauci occurrunt Principum, qui ad id muneris non ſint vſi Dominicanis. Idem cenſeo de regibus Galliæ ad Henricum ſecundum, & Carolum nonum vſque, quibus à Confeſſionibus miniſtros fuiſſe Dominicanos, quaſi perpetuâ ſerie probare pronum eſſet, ſi liberet; quamuis ab hiſtoricis nedum extraneis, ſed etiam noſtris nomina plurium prætermiſſa ſint, quod vnius exemplo demonſtratum eo.

Spiritus Roterus Quæſitor Tholoſanus eâ tempeſtate, quâ ex inferis erupit peſtis Caluiniana, cui validiſſimè obſtitit, libro quem in hæreticos edidit, eleganti, paucis noto licet notitiâ & laude publicâ digniſſimo, quaſi è tenebris eruit virum nequidem à noſtris Annalibus nominatum, quem virtus ad ſummas dignitates ad munus concionatoris & confeſſarij Regij ſuperiori ſæculo euexit Audi igitur, Lector, Roterum de Ioanne Curtio ex noſtro ordine Samarobrino iſta prædicantem. *Hic cum puer eſſet ingenioſus, ſortituſque animam bonam nequaquam efferatus abuſuſque eſt Spiritus ſancti diſtributionibus, quibus abundè fuerat donatus: ſed pio obſequentique animo in ſuæ profeſſionis inſtituto perſeuerauit. Ea propter qui exaltat humiles, illum tantâ ingenij viuacitate ac promptitudine, gratiâ, atque energiâ, in declamandi ſacro munere decorauit, vt eum concionantem licet adhuc Tyronem populorum, nobiliumque magnatumque cateruæ certatim audituri concurrerent, nec puderet canos famoſoſque præcones, & magiſtros cum pugillaribus & tabellis aſſiſtere dicenti, bonaque verba quæ eructabat, exſcribere: nec mirum; hic enim primus extitiſſe ferebatur, qui poſt auream D. Ioannis Chryſoſtomi Linguam, & poſt Pauli Epiſtolas, & ſingulariter illas*

duas difficiles ad Romanos videlicet, & Hebræos, per Homilias populares explanaret, ita viuaci & familiari sermone, vt nemo fermè esset auditor, qui Pauli sensum, mentem & spiritum non perciperet ac reportaret. Hunc Regum omnium illustrissimus Henricus II. Christianissimus Rex Francorum, cum adhuc esset Regni candidatus (Delphinum vocant,) ob illius viuam diuitemque dicendi phrasim, quâ non modo docebat, sed etiam afficiebat, aculeum cordibus auditorum infigens, dignum iudicauit, qui regum & principum magister esset, & prædicator: quem & delegit, cui suæ conscientiæ secretâ confessione auriculari panderet. Atque vt sapientibus & insipientibus, magnisque & paruis in vniuersum prodesset, curauit illum in pastorem & Episcopum Suessionensem præfici magno cum gaudio & gratulatione omnium, qui orthodoxæ fidei & Reip. Christianæ benè volunt.

Hæc Roterus, cui celeberrimi viri vindicatum ab obliuione nomen hoc elogio sane eleganti debemus. Non puto me lusisse operam, neque malè meritum de lectore, è situ & puluere hos duos Dominicanos, quorum penè exciderant nomina, excitasse, nec indignos reputabit qui cognoscantur. Eruditionem hoc monumento contestatam parum curarem, nec ad gloriam referre arbitrarer, longam per quatuor fere sæcula Dominicanorum seriem, qui principibus fuere à confessionibus, & à concionibus; nisi in eo munere obeundo salua integritate sibi, Ecclesiæ, & quibus aderant principum saluti consuluissent, & multi etiam nedum sanctitatem consecuti sint, sed alios etiam ad summam prouexerint perfectionem.

Omitto diu Raymundum excolendo huic officio, tum apud Summos Pontifices, tum apud Reges Aragoniæ celeberrimum: hinc fortè claubus ad manus quasi eximium Pœnitentiæ Sacramenti ministrum solent pictores delineare. Omitto mare se illi calcandum præbuisse, dum fugeret ex Regis aulâ in meliorem frugem se recipere recusantis: taceo Gothofredum à bello visu, Conradum Germanum; illum sancti Ludouici, hunc diuæ Elysabethæ Hungariæ regis filiæ confessarios: vterque eorum dum viuerent, excepere peccata, & sanctitatis

miracula litterarum monumentis consignarunt eorum sanctimoniæ locupletissimi testes & post Deum Authores.

Non attingam Ioannem Clarea, ex illustri Normaniæ quæ hodiè viget, idque præfert nomen familiæ, Ludouici duodecimi, & Guillelmum minorem Episcopum Trecensem eiusdem Ludouici duodecimi, eiusque successoris ac generi Francisci Confessarios; quorum adhortationibus & consilijs prior patris populi, alter litterarum instauratoris nomen glorioſissimum commeruerunt.

Vnum minus notum & immortali gloria digniſſimum omissis cæteris memorabo, Yuonem Episcopum Redonensem Annæ duorum regum Caroli octaui, & Ludouici duodecimi vxoris, & postremæ ex ducibus Britanniæ minoris filiæ confessarium, quem gentiles Britanni votis colunt, & inter diuos priuato cultu, quem publicâ inauguratione meretur, iam accensent, appensis ad eius sepulchrum pluribus donarijs, vt meritò gloriemur, nec inuidendi alij suppetat occasio ijs qui periculoſissimo ministerio, & ad casum quàm ad salutem proniori defuncti sunt, saluâ, imò & auctâ sanctitate, ne dum ad principum quos iuuabant salutem; sed ad totius Ecclesiæ & generis humani bonum & tranquillitatem Eoque haud dubiè fœlici successu, donati sunt, quod id muneris non inuiderint, aut ambiuerint vnquam, sed timuerint potius, & velut scopulum fugerint; ne cum se à propriis peccatis immunes præbuerint, alienis damnarentur.

Ea fuit mens Ioannis à Sancto Thoma sæpius memorati, quem cum Philippus quartus à scholâ ad aulam vocasset, illius muneris apud se obeundi causâ, nihil non tentauit vt à se amoliretur, nec omisit originem suam à matre Lusitanâ Vllisſypone, & à patre gallo nati, quæ suspectum facere poterant regi, cum vtrâque gente atrociſſimum bellum agenti: sed reluctantem eò sibi arctiùs implicauit, & digniorem tantò munere Rex sapientiſſimus existimauit, quod illud nullus tutò obire possit, nisi qui maximè sibi inde timuerit; ne dum à peccatis propriis immunem se præbet, alienis damnetur.

Et

Et ea fuit mens sæpius à me commemorati, & æternâ laude celebrandi Patris Dominici à Rosario, qui à titulo Confessarij Reginæ Lusitaniæ, sicut ab Episcopatu perpetuo abstinuit. Eum imitati sunt Patres nostri Lusitani: nam eo tempore, quo de Reginæ Angliæ Confessario agebatur, & plures illud officium ambirent, è nostris, qui palatium ante frequentabant titulo aut munere Concionatorum Regiorum, per aliquot menses inde recesserunt, & vix eò pedem intulere; ne viderentur illum honorem expetiuisse, aut potius incauti periculum adiuisse: & quamuis id cautelæ formidinis, & fugæ ex ingenitâ modestiâ, & humilitate adhibuerint; eò tamen illos crediderim impulisse exemplum Patris Dominici etiam inter vitam religiosam, & ab aulâ remotam professos rarissimum, & planè mirandum, quod pauci velint, aut fortè possint imitari.

Comperta narrabo non minus Reginæ quæ se illius consilijs regendam permiserat, cuius eodem quo hæc scripseram die mortis nuncium excepi, aut Lusitanis proceribus, apud quos extranei virtus, sine inuidiâ admirationi fuit, quam ipsi Dominico glorioſa; qui hoc meruit, vt tota aula Lusitana id est Regina cum optimatibus in illo colendo & ornando certarint.

Ipsa Princeps fœmina satis virilem animum & sexu maiorem testata est, cùm virum à proceribus coniuratis ad numerum triginta quinque, oblatum Regnum recusantem suis precibus & consilijs penè coëgit adire, eoque viuis exempto, multis annis administrauit sapientissime & bello aduersus hostem longe viribus maiorem, pari fortitudine ac fœlicitate deffendit. Eo autem fuit in nostrum Dominicum animo, vt nihil Regiâ authoritate, & manu muniret, quod ipsi legendum prius & probandum non subiecisset. Quibus verò artibus hanc apud illam promeruit gratiam & authoritatem? Summâ in suggerendis salutaribus consilijs sapientiâ, & pari in minimis labeculis non dissimulandis sine morositatis vitio, libertate apud principes insolitâ, & vix vnquam visâ.

Audi, Lector, rem hactenus nec vsurpatam nec lectam. Patri Dominico inter colloquendum familiariter Christianè, ac religiosè aliquando ingemiscenti;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [261] - 241
PUBLIC DOMAIN

& graues conſcientiæ remorſus conteſtanti, quod ipſam mortuo viro, res Luſitanas ſummo imperio adminiſtrantem non ſatis exactè ſui officij admonuiſſet, neque datâ occaſione, conſilia ſaniora aperuiſſet: depone, inquit Regina, mi pater, hunc vanum timorem: nunquam te conſului, quin mihi author fueris meliorum, & velut angelus è cœlo miſſus ad mea dubia reſponderis: & ſi quid peccatum fuerit, non tibi imputandum ſemper ſalutaria ſuadenti, ſed mihi non obtemperanti. Et tum è fœliciſſimâ memoriâ, quaſi in promptu, & in numerato omnia haberet, longo ordine narrauit, quidquid ſibi per Regiæ adminiſtrationis aliquot annos ad ſingula quæque alicuius momenti conſuluiſſet; quorum ipſe omninò oblitus erat: & mihi referebat à ſe audita, non ſolum cum admiratione adeò fœlicis memoriæ, adeoque ſollicitæ curæ hæc animo infigendi, & identidem recolendi, ac vſu perpetuo frequentandi; ſed etiam cum maximo conſcientiæ leuamine, quod minus quàm timeret negligenter Conſiliarium Chriſtianum & Confeſſarium egiſſet.

Et cum hoc ſolemne ſit altéque defixum animis aulicorum, vt gentilibus ſuis, multoque magis alienis, qui gratiâ valent apud principem inuideant; Luſitana tamen prima nobilitas noluit ipſi Reginæ in Dominico colendo decedere. Huius inauditæ æmulationis, & contentionis ſingulare exemplum accipe. Cum Dominico noſtro prorſus inconſulto, & inſcio, regni mutatio contigiſſet; non putauit ad ſe pertinere, rectè ne an ſecus Luſitani deſciuiſſent à Rege Hiſpano, ſed ſui tantum eſſe officij, vt nouo Regi eâdem quâ Hiſpanum demeruerat fide pareret, & quâ illi ad multa negotia grauiſſima inſeruierat, nullâ aliâ mercede nec receptâ, nec quæſitâ, quam bene facti conſcientiâ: quare cum legationibus, aliiſque muneribus probè defunctus, non inutilem operam nouo Regi nauaſſet, & Archiepiſcopatum Goenſem, aliaſque dignitates oblatas recuſaſſet, neque ſuppeterent pecuniæ quibus Collegium Religioſis Hibernis, & Monaſterium eiuſdem gentis virginibus, piorum magis largitionibus, & eleemoſynis, quam regijs muneribus inchoatum proſequeretur, & abſolueret; libellum ſupplicem Reginæ dedit, quo narrabat ſe

Regis & regni bono aliquot annis operatum, deficere quibus suos fratres aleret, & imperfecta ædificia perficeret, & aliquam ad id mercedem aut liberalitatem rogabat.

Supplicationem scripto exaratam ipsa Regina detulit ad Procerum Consilium, quo sine nihil sibi permittebat agere, nec dare etiam Confessario sibi gratissimo, & de toto Regno benè merito: rogatis à Reginâ quid sentirent, visa est petito iustissima, & primus qui sententiam dixit, ter mille circiter nummos aureos singulis annis erogandos adiudicauit. Qui proximè secutus est primi sententiæ omninò assensus addidit, cum ægrè hæc summa à Quæstoribus Regiis, exhausto sumptibus belli ærario, numeranda esset, sibi videri ad Episcopatum Coninbricẽsem septuaginta millium aureorum prouentu opulentum designari oportere, vnde posset sine publicæ vtilitatis noxâ, facilè depromi summa. Deinde huius consilio assensere omnes, etiam qui primus dixerat, causatus non ita se opinatum, quod non occurrisset ea expediendæ solutionis ratio, quæ sibi maximè placeret. Sed qui illam aperuerat, aliud quid altius meditabatur: sciebat Episcopo Conimbricensi ius esse comparatum præsidendi Consilio regio; quod hâc designatione collatum volebat Dominico. Quis non miretur hominis sapientiam, & fœlicitatem, qui id iuris meruit alienigena? Sed laudanda magis modestia, quâ nedum ab ambiendo honore quem facilè consequi poterat, abstinuerit; sed oblatum etiam constantissimè recusarit.

His artibus omnium beneuolentiam & futuri temporis laudem & admirationem promeritus est; nè causetur Theophilus Dominicanos inuidiâ flagrare, cum reperti sint qui etiam inuidiam vicerint, his notissimis temporibus quibus fatemur plurimùm ex auitâ gloriâ & virtute nobis deperiisse.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [263] - 243
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS SECVNDVS.

Fusior rerum gestarum ab vtroque Ordine comparatio.

PAris est periculi, seu despondeas, seu nimis efferas animum: nec præfidentia & insolentia solum, sed etiam ignauia & animi deiectione peccatur. Quare existimo, quam ineo rerum ab vtriusque instituti hominibus gestarum collationem, perinde vtilem vtriusque omnibus fore, vt doceamur illud laudatissimum temperamentum, *ne quid nimis*, & ne infra sortem nostram deijciamur, aut supra attollamur. Eo consilio comparationem prosequar quæ tamen vix interdum vlla esse potest.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Singularia quædam decora Familiæ Dominicanæ.

SI pro temporum ratione, ac momentis rerum simus omninò dissimiles, iniquus planè essem, si vellem, Theophilus mihi daret aliquem è suis parem D. Vincentio Ferrerio, non dicam fructu, & efficacia Concionum, centum millibus Christianorum ad meliorem frugem, viginti Maurorum, & octo Iudæorum millibus ad fidem reuocatis; sed Iudiciariâ aut arbitrariâ potestate, quâ Principum consensu, de Regno Castellæ dissidentium constitutus sequester, vni contendentium Regnum Arragoniæ adiudicarit, eiusque sententiæ cæteri assensere. Nec minus singularis est, quem nemini hactenus ex vllo instituto legimus exhibitum, honor cultusque, quo Vincentium prosecuta est Synodus Constantiensis, missis Legatis qui eius nomine rogarent, si liceret ad se veniret; idque Gerson scripta ad illum Epistola, quæ adhuc inter eius opera extat, persuadebat: aut si per salutem animarum, cui vocatione insolita

totus à multis annis incumbebat, non esset illi integrum accedere; ad ea quæ missi consultores quærerent responderet, suumque sensum aperiret.

Inique tecum Theophile agerem, si vt paria nobiscum faceres, & potius acceptam, quam datam inuidiæ causam euincerem, aliquem è tuis assignari vellem, cui id honoris à Regibus vel à Conciliis delatum sit; cum vnum tantum à vestra institutione Concilium Oecumenicum habitum sit, nec similia incurrerint Principum dissidia de Regnis, nec summum viris sanctis permissum adeò grauium causarum iudicium.

Non essem æquior si rogarem dares ex tuo aut vllo instituto de Regno Galliæ, qui æquè sit bene meritus, ac Delphinatium Princeps Vmbertus, qui orbatus filiis professus est nostrum Ordinem, relicto sui principatus hærede, primogenito Regis Galliæ; ea lege, vt superstite parente, antè aditum Regnum, Delphini nomen, & insignia ferret.

Si hic Dominic. nullum parem habet liberalitate in Reges Galliæ, occurrit alter ab illis tantâ munificentiâ habitus; vt nullum hactenus cuiuscunque instituti auditum sit eodem honore fuisse prosecutos: Is est Nicolaus à Freau-villa ex nobilissima Normanniæ Familia, nostri Conuentus Rothomagensis alumnus, qui primum Philippo Pulchro à Confessionibus & concionibus, à Clemente V. creatus est titulo sancti Eusebij Cardinalis, & per Galliam ac Belgium Legatus; eidemque Regi die sacro Pentecostes festa, solemnissimâque post hominum memoriam pompâ, ac majestate, tres pulcherrimos filios insignibus equitum, & vnum Regis Nauarræ, alterum Pictauorum, tertium Marchiæ Comitum titulis ritu donanti, adfuit antistes sacris operatus, & Legatus in Theatrum pro foribus Ecclesiæ extructum, ac magnificentiâ Regiâ ornatum, cum Philippo sequentibus liberis conscendit, concionemque habuit, quâ Regi bellum in Sarracenos sacrum (cuius causa atrocissimum Regem inter & Bonifacium octauum interceserat dissidium;) fœlicior ipse persuasit. Quis hoc Dominicano honorificentiori apud Regem loco, & vt verbo Theophili vtar, *inuidiâ* dignior

fuit, ne cauſetur ita deiectos, vt vna aliis inuidendi neceſſitate premantur.

Fruſtra etiam & immeritò vrgerem Theophilum, proferret aliquem ſuorum, qui in extinguendo Schiſmate trium Pontificum, eam Eccleſiæ nauarit operam, quam Ioannes Dominici Archiepiſcopus Raguſinus impendit, cum Angelo à Corario nomine Gregorij XII. Schiſmatico Pontifici, à quo fuerat Cardinalis creatus; perſuaſit vt ad Eccleſiæ pacem cederet Pontificatui, & noui Pontificis aſſentiret electioni. Et rebus ita conſtitutis ad Concilium Conſtantienſe profectus, Pontificis legatus ſeſſioni 14. præfuit, & nomine ipſius Gregorij ceſſit Pontificatui, & ipſe Cardinalitiæ dignitati, & cum aſſurgens è præſidis loco ibat ſeſſum inter Archiepiſcopos Imperator totumque Conc. obſtitere, & ob ſua præclara in Eccleſiam merita iuſſerunt, vt honore ſuo frueretur, collaturi hanc dignitatem niſi prius obtinuiſſet. Sed quî fieri poteſt, vt vllus veſtrum, hanc in tollendo Schiſmate meruerit laudem Dominici non diſparem illi, quam Bernardus conſecutus eſt, cum amoto Pſeudo-Pontifice Petro Leone Innocentium II. Sedi Apoſtolcæ reſtituit, quandoquidem ab inſtituta Societate Eccleſia nullo Schiſmate forte ipſius operâ, laborarit.

Nec vnus fuit Ioannes Dominici, qui hoc luctuoſiſſimo Schiſmate Eccleſiam iuuerit; plures ſui inſtituti habuit glorioſiſſimi laboris & conſilij Socios. Cum ad tanti mali curationem indictum eſſet Piſis Concilium, anno 1409. ex ſola familiâ Dominicanâ ducenti octoginta conuenerunt, ſuam fidem & operam periclitanti Eccleſiæ approbaturi. Concilio Piſis Conſtantiam ad annum 1414. aduocato, Ioanni Dominico legato Gregorij XII. ad abdicandum Pontificatum Ioannis Hus iudicem agenti, nihil inferior fuit in vindicandâ vnitate Eccleſiæ Ioannes à Podio Magiſter Generalis Ordinis. Is cum Ludouico Valliſſoletano Doctore Pariſienſi ex noſtra familia, & Regum Caſtellæ ad Concilium Legato, ſummâ authoritate conſtitutus Iudex, Benedictum 13. Pontificatu abdicauit, & ab eius partibus Regem Arragonum abduxit.

E quidem ipſe & Clemens nomine ſeptimus dubij

primum, deinde falsi Pontifices vsi sunt Dominicanis ad Magisterium Sacri Palatij tribus, Nicolao scilicet à S. Saturnino, Ioanne à nouo Castro, quibus à Clemente VII. purpura donatis, successit tertio loco Sanctius à porta. Is malis diri Schismatis indolens, qui ea fouebat suâ pertinaciâ, Benedicto non pepercit; sed die sacro Pentecostes, demisso in eius pectus ac linguam Spiritu sancto, contra Benedictum tot malorum Authorem, pro concione inuectus, illius in se odium concitauit, ausiq; glorioſissimi grande præmium tetros toto biennio carceris squallores perpessos, consecutus est. Et nequid ad restituendam Ecclesiæ vnitatem, pacemque sublato Schismate à nostris desiderari posset, legitimi Pontificis Martini V. eâdem quâ Pontifices Schismaticos depulerant, enixâ operâ electionem promouerunt: vnde Leonardo Ordinis Magistro qui harum rerum pars magna fuerat inter Martini electores accersito Concilium dimittendi prouincia data est.

Is ipse Martini V. Legatus Concilio Papiensi præfuit, & sequens Basileæ indixit habendum anno 1431. in quo omissis, quæ hic inuidiâ non carent, & apud Theophilum summam laudem merentur, in gratiam Eugenij à Dominicanis fortiter gestis; enituit plurimum virtus & sapientia aliquot ex eâ familiâ Theologorum: nam cum deliniendi essent Bohemorum animi, Ioannis Hus & Hieronymi à Praga damnatione exasperati, & ad Synodum accedere detrectarent; missus est ad illos legatus Ioannes Nider Prior Conuentus nostri Basileensis, qui summâ eloquentiæ ac prudentiæ vi, ferocientes hæreticos compescuit, & honorificentissimam ad Concilium quingentorum hominum legationem persuasit. Nec minus feliciter Ioannes Ragusinus Doctor Parisiensis, ac Procurator nostri Ordinis Generalis Synodum aperuit; primæ præfuit sessioni, & octo dierum longissimâ disputatione Bohemos confutauit, eosque eiusdem Ordinis Henricus Kaltesein Anglus triduanâ disputatione impietatis conuicit.

Quas Ecclesiæ nauandi operam dabant Dominicanis occasiones frequentia Concilia, defuerunt Patribus Societatis, cum ab eius institutione vnum tantum habitum sit Tridenti Concilium, in quo fidem suam, &

induſtriam ac ſapientiam toti Eccleſiæ ita comprobarunt; vt tempus & occaſiones, non animus de Eccleſia benemerendi defuiſſe, aut minus frequenter quam nobis antiquioris Inſtitutionis ſuppeditatæ videantur.

Non minus eſſet moroſi & importuni hominis, te vrgere, Theophile, vt tui inſtituti dares viros, qui Imperatoribus Chriſtianis in Eccleſiam, & in Summos Pontifices contumacibus; fidei cauſa eâ animi fortitudine obſtiterint, qua Patres noſtri Federico ſecundo, & Ludouico Bauaro, cum vitæ rerumque ſuarum diſpendio ſeſe obiecere; quia nulli ab inſtituta Societate Imperatores bellum Sedi Apoſtolicæ intulerunt.

Et hîc mirari ſubit rerum humanarum vices, fœlicitatem veſtram, noſtrorumque infortunium, cum pari laude coniunctum Bauaræ domus florentiſſimæ mutato in ſedem Apoſtolicam ſtudio: ex ea viciſſitudine ingentia in nos mala, in Societatem bona cum pari vtriuſque inſtituti laude redundarunt. Toto orbe Chriſtiano in pace compoſito, Ludouicus Bauarus Cæſar acerrimas cum Ioanne 22. exercuit ſimultates, quæ Eccleſiam grauiſſimè vexarunt; eo Schiſmate & bello Dominicani infracto ſteterunt animo pro ſede Apoſtolica, contra Imperatoris impetus & Pſeudo-Pontificis conſilia: hinc Ludouici implacabile in noſtros odium, hinc depulſio noſtrorum, & domorum quæ in eius ditione poſitæ erant, ruina, hinc ex tota Bauaria noſtrorum repulſio. Nec Schiſmate extincto fuimus poſt liminio reſtituti. Sed quæ aliis ſedi Apoſtolicæ fidis, & obnoxiis Germaniæ principibus familiis vna infeſta erat Bauara, tumultuante & omnia miſcente Luthero, Electoribus in hæreſim & contumaciam delapſis, incorruptâ fide Summis Pontificibus adhæſit, & Patribus Societatis non minus impensè fauit, quam in nos atrociter ſæuierat eius familiæ caput Ludouicus. Quid dicam? Paris puto gloriæ & meriti Schiſmatico Ludouico obſtitiſſe; & eius nepotes Catholicos contra Lutherum iuuiſſe; hoc diſcrimine, quod eiuſdem fidei causâ ab ea familia Electrice bona vobis, nobis mala obuenerint, pari vtrobique merito & gloria. Ab vno Romano olim dictum malle de ſe queri cur negatæ ſibi fuerint quam poſitæ ſtatuæ & imagines: Dominicanis vſurpare licet è Ba-

uaria cum domorum euersione pulsis, eâdem ideſt fidei cauſâ qua Patres Societatis inducti auctique ſunt munificentia Principum.

Hinc aperitur ad alteram eiuſdem generis comparationem malorum via. Iam olim obtinet martyrem non pœna fieri, ſed cauſa, quæ ſi legitima ſit, quæ illius defenſione patimur, mala bonis accenſenda ſunt, quæ nullam inuidendi alijs anſam habent Dominicani; quia nulli perſecutiones paſſi ſunt frequentiores aut iniquiores. Argumento ſit prima omnium, quæ parum abfuit, quin naſcentem Ordinem noſtrum oppreſſerit, Authore Guillelmo à Fano amoris. Ex qua vero ſcintilla incendium hoc conflatum ſit, alio loco aperui.

Ebroinus Pictauorum Epiſcopus primus omnium peſſimo exemplo plura habuit ſacerdotia anno 838. quo primum hæc peſtis orbem inuaſit: Epiſcopatui Pictauienſi adiunxit Abbatiam Sancti Germani à Prato ad ſuburbium Pariſienſe. Multis hæc cumulata Sacerdotia placebant, & inde graue damnum imminebat; quod vt auerteret Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus ab anno 1235. ad 38. vſque, hanc de beneficiorum vnitate controuerſiam iuſſit à Theologis diſputari, an ſaluâ conſcientiâ poſſet quis plura adire & habere beneficia; tandem plenis Theologorum Comitiis, quibus ex noſtrâ familiâ intererant tres, Hugo à Sancto Charo Theologiæ Profeſſor breui poſtmodùm Cardinalis, Guericus à Sancto Quintino, & Godefredus; ex Franciſcanis Ioannes à Ruppella: quorum ſuffragiis decretum eſt, nullum poſſe ſine ſalutis periculo & diſpendio pluribus beneficiis potiri, ſi ex vno in annuos reditus quindecim libras Pariſienſes perciperet, quæ tum ex maiori inopiâ monetæ ad honeſtum Clerici victum ſufficiebant.

Hinc verò malorum originem luculento Pauli Æmilij teſtimonio comprobaui. Vtrumque ordinem, D. Franciſci & Dominici parum à ruinâ abfuiſſe, quod pro Beneficiorum vnitate ſtarent, neque paterentur plura haberi, quâ inſectationum cauſâ nihil iuſtius, nihil ſanctius, ſed ſingulariſſima nobis eſt quam vix poſſit Theophilus ſibi eam vindicare. Abſit vt cauſam æmulorum Societatis agam, quaſi iuſtas habeant de illâ

expoſtulandi rationes. Verum certus ſum nullos, quod hactenus audiuerim, obtendere nimium Ethicæ Chriſtianæ rigorem; imo plurimi laxiorem cauſantur; iure, an iniuriâ nolim iudicare.

Aliud ſupereſt eiuſdem ferè generis laudum & rerum, quod hoc paragrapho perſtringam, fuſius ſequenti proſecuturus exemplum. Non poſſum iure efflagitare à Theophilo, vt aliquem ex ſuis opponat Pio V. qui pari authoritate, ſapientiâ Pontificatum adminiſtrarit, fœdus cum principibus Chriſtianis aduerſus Turcas pepigerit, de illis illuſtriſſimum poſt hominum memoriam triumphum retulerit, hæreticorum vbique fregerit audaciam: non poſſum, inquam, niſi iniuriâ hoc efflagitare; quia hactenus Apoſtolicam ſedem nullus eius Inſtituti occupauit; quò ſi conſcendiſſent fortè æquaſſent, aut ſuperaſſent Pium V. quamuis ipſe vix parem habuerit, vt teſtantur innumera quæ in illum congeruntur encomia: quibus omiſſis aut alio dilatis, mihi videntur à Iuſtino dicta de Duce Thebanorum Epaminonda Græcorum præſtantiſſimo, omnino in noſtrum Pium cadere, mutatis quibuſdam verbis. Aliquot poſt victoriam de Turcis reportatam menſibus decedit Pius, cum quo vires reipublicæ Chriſtianæ quoque ceciderunt: nam ſicuti telo, ſi primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi ſuſtuleris; ſic illo veluti mucrone teli ablato Pontifice, reipub. Chriſtianæ vires hebetatæ ſunt, vt non tam illum amiſiſſe, quam cum illo omnes interiiſſe viderentur.

Nam neque ante hunc Pontificem à pluribus annis vllum memorabile bellum contra Turcas geſſere; nec poſtea virtutibus, ſed & cladibus inſignes fuere Chriſtiani; vt manifeſtum ſit Eccleſiæ gloriam & victoriam contra Turcas natam & extinctam cum eo fuiſſe. Fuit autem incertum vir ſanctior, an Pontifex eſſet; nam Pontificatum non ſibi, ſed Eccleſiæ geſſit; eoque mortuo diſſolutum eſt Principum Chriſtianorum fœdus, atque illius victoriæ vnus fructus fuit, noſce Turcam poſſe vinci, & potuiſſe etiam eius Imperium deleri, ſi Pius V. diu ſuperſtes fuiſſet. Iis familiæ noſtræ ſingularibus ornamentis addam Paragrapho ſequenti Latinum Cardinalem præſtantiſſimum, cuius teſte Spon-

dano ad annum 1294 num. 4. consilio, & dexteritate cum potissimum regeretur Pontificatus, à se recusatum sua authoritate euicit, vt post biennale interregnum ab obitu Nicolai IV. ad Petrum de Murhono virum sanctissimum, satis Celestini quinti nomine laudatum, vt totius Collegij suffragijs tranferretur.

Noua adiungam parag. & artic. sequenti decora, Atque vt istam dissertationem concludam, & ad sequentem viam parem: quamuis Theophile hæc omnia pleraque alia antiquæ virtutis & rerum gestarum monumenta, habeamus, quæ in vobis desiderantur; absit tamen vt dicam aut reputem vos inuidia in nos flagrare. Ne igitur scribas nos eo morbo laborare, quod desint nobis multa præclara quibus abundatis: satius sane fuerit quemque nostrum sua sorte contentum, aliis nec inuidere, nec insultare; sed de illorum bonis perinde ac de propriis gaudere, cum communia sint ex lege charitatis. Quod ad me attinet, gaudeo maxime perpetuum vos cum hæreticis bellum nullis induciis acerrime prosequi & vrgere; lætor dum video vestras Academias florere Doctoribus, Doctores auditoribus, & auditores ingeniis; hoc vnum velim, ne Theophili quem præ se videtur ferre, animo ducamur, qui saltem in speciem aliena contemnit, sua miratur, & nobis solas inuidendi vices & causas relinquit, cui non facile assentient sapientiores, quibus attendere licebit, quæ iam diximus, & quæ subiiciemus.

Ad istud rerum singularium comparationis genus spectat, quæ in Dominicanam Religionem ex nobilissimâ illius portione, ideſt, ex dicatis Dei obsequio, & illius legibus sacris virginibus institutis, prope infinita omnis generis gloriæ, tum à vitæ sanctitate, tum à rebus præclare gestis, tum aliis nominibus, copiosissima messis redundauit. Scio prudentiæ speciem præferre eorum consilium, qui Moniales Virgines similis instituti nolunt sibi adiungi; sed dum aliqua incommoda, & forte etiam pericula fugiunt, fraudant se magnâ felicitatis parte. Nec enim leuis noxa & diminutio gloriæ foret, si eâ careremus, quam nobis immensam compararunt lectissimæ virgines, quarum vitam & res præclare gestas pie & eleganter prosequitur duobus

tomis P. Ioannes à Sancta Maria.

Vt cætera huius generis laudum monumenta omittam quæ vbique gentium innumera occurrunt; propius est & illustrius Possiacum Monasterium, quam vt omnino indictum prætermittam. Id Regiâ munificentiâ Philippus Pulcher ita extruxit, & ornauit; vt recentia monasteria & templa facile operis, & materiæ elegantiâ prouocet: sed ista ornamenta vilescunt, præ eximiâ pietate Decem ex Regiâ stirpe virginum, quæ aui sui D. Ludouici Sanctitatem imitatæ, Domum Regiam Possiacam Sanctissimi principis natalibus celeberrimam, vndé ex lauacro vitæ, quo in Christum regeneratus fuerat, Ludouici Possiaci nomen multo carius titulo Regis Galliæ assumpsit, in Monasterium mutatam, immortali gloriâ illustrarunt.

Principes virgines ex Valesiâ familiâ quatuor numeramus, totidem ex Borboniâ, ex Attrebatensi vnam, alteram ex Alenconiâ, præter duas ex Britannâ, & Luxemburgicâ prosapiâ virgines. Harum agmen & chorum ducit Maria Claromontensis, Sancti Ludouici Neptis, Patruelis Philippi Pulchri; quam ex inscriptione sepulchri constat tres supra septuaginta annis vitam monasticam exegisse, ad Prioratum post longum vitæ religiosæ tyrocinium assumptam, oculorum orbitate ab eo munere amotam, nullâ regiæ stirpis habitâ ratione. Sed quod mirere, cæterarum nullæ præter vnam ex Borboniâ Familiâ, Monasterij præfecturam attigerunt. Adiunctâ est Mariæ Claromontensi Elisabeta Attrebatensis Neptis Sancti Ludouici, & Philippi Pulchri Patruelis, priuatam vitam vno instituti Religiosi studio exegit.

Eodem vitæ tenore elegerunt in domo Dei humiles & abiectæ esse, Margarita Ioannis Regis, Maria Caroli VI. filiæ, Elisabeta Valesia Philippi Valesij germana, Catharina Halicuria ex Mariâ Borboniâ progenita, Elisabeta item Borbonia Præ cæteris eluxit priuatæ & humilis vitæ Cœnobiticæ Elisabeth Alenconia Caroli in prælio Crescensi desiderati, quæ fratrem maiorem natu, abdicatis primogenituræ iuribus, nomen Dominicanæ Familiæ dantem, secuta, Possiacum Monasterium nouâ gloriâ auxit. Sed illustrissimum

agmen claudat Maria Borbonia, quæ id ſingulare habet, vt ad domus præfecturam aſſumpta ſit, prius vilioribus refectorij, ianuæ, & conductricis operarum muneribus defuncta.

Communi Sapientum ſenſu, Regibus ac Principibus perinde filiorum orbitas, ac nimia copia noxia eſt. Eorum votum eſt duplex virilis ſexus proles, & vna alterius quò vno ſublato, domus altero ſtet ſuperſtite, & alterius ſexus prole cognatio noua ineatur. Sed felicitatis quod eſt etiam Regiæ magnitudinis apex & votum, duplici inſtituto filiorum ac Virginum contigit Familiæ Dominicanæ, cui non minus ex Virginibus quam ex viris Deo ſacris, ſanctitatis & gloriæ acceſſit, inita cum præcipuis orbis Chriſtiani familiis cognatione.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Nouennium adminiſtratæ à 3. Summis Pontificibus Dominicanis Eccleſiæ.

FTota ſerie Summorum Pontificum nulli, tribus ex ordine noſtro aſſumptis, Innocentio V. Benedicto XI. vtroque pari menſium numero, & Pio V. non toto ſeptennio, ſedentibus, plura præclare & breuiori tempore geſſerunt; & vt cætera omittam, non toto nouennio à ſummâ authoritate adminiſtratæ Eccleſiæ, ea prudenter fœliciterque peregerunt, quæ multorum annorum æquare, & implere ſpatia poſſint. Ex infinitis ea tantum delibabo, quæ in Galliam noſtram ex iis Dominicanis Pontificibus bona redundarunt.

Primus omnium ex illis ad hanc ſupremam dignitatem prouectus Petrus à Tarentaſia, vaticiniis quæ ex *D.* Malachia circunferuntur, prænuntiatus eſt ſatis appoſite, & ex vero nomine concionatoris Galli: neque enim eius inſtitutum, & natale ſolum potuit manifeſtius ſignificari. Illi præter eruditionem, librorum quæ ſuperſunt monumentis conteſtatam, paremque morum ſanctitatem, formam & pulchritudinem dignam Imperio, quâ ſui ſæculi hominibus præſtabat, caſtimonia & Virginitate veluti aureum annulum pretio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [273] - 253
PUBLIC DOMAIN

sissima gemma ornauit ; atque ex his singularibus dotibus multa in rempublicam Christianam bona deriuarunt, longeque plura immatura mors quinto, aut sexto post electionem mense intercepit.

Benedicti XI. toridem mensibus longior Pontificatus pluribus emicuit virtutibus & rebus gestis,& copiosioribus in Galliam exuberauit beneficiis, quod vnum hic maximè specto. Præter plurimas Benedicto, Pioque V. communes virtutes & laudes, his sibi duabus præ cæteris quibus succedere aut decedere Pontificibus, eminent sane glorioſissimis, paupertatis studio, & à cognatis augendis, auerso, & de Gallis bene merendi animo propensissimo. Vtriusque affectus immortalia reliquere exempla, Historiarum monumentis celebertima.

Benedictus quidem ille quondã Nicolaus à Taruisio, cum ex humillimis natalibus sedem Apostolicam conscendisset, matrem adhuc superstitem,mutatis vestibus, quæ magis nouæ filij dignitati, quam priori fortunæ conuenirent,se adeuntem repulit;& negauit se matrem agniturum, nisi depositis his ornamentis, accederet vestibus induta, quas dum se aleret,gestabat. Sed quod mirere,priuatis virtutibus Cœnobitæ, adiunxit dignam principe fortitudinem & sapientiam. Is ille est qui grauissimas dissidiis Bonifacij VIII. & Philippi Galliarum Regis ortas tempestates compescuit, atque reuocatis & rescissis, quas Philippo eius decessor intentauerat pœnis & censuris, antiquam Regum Galliæ, & Summorum Pontificum concordiam grauissime læsam instaurauit. Plura his similia meditantem, & parantem mors vndecimo mense abstulit,cum grauissimo orbis Christiani damno.

Has Benedicti virtutes, tum priuatas, tum publicas æquauit, & vicit Pius V. Consanguineorum affectu intactus & maior, illis ea sibi permisit tantum erogare, quæ paupertas necessaria exigebat, nec passus est maiorum matrimoniis fortunam augere, & mutare. Imo ex fratre neporem mendacij compertum expulit palatio, nec in patrui gratiam redire potuit, nisi ad Naupactum contra Turcas inuictæ fortitudinis experimento, quo cum maiorem mereretur, vix ducentorum

aureorum præfecturam à Pio potuit obtinere.

Sed ista sordescunt præ rebus à Principe & Pontifice gestis. Is ille vnus omnium Petri successorum, qui Regibus Galliæ idem reposuit, quod pluries impenderant Apostolicæ Sedi & Ecclesiæ Romanæ auxilium & beneficium. Occurrunt frequentissime Annales nostros legentibus, in Italiam missi Gallorum exercitus, iuuandis Summis Pontificibus vexatis, & profugis, ac pulsis suæ sedi ac ditioni restituendis; sed militem Pontificium in Galliam missum Reges nostros à perduellibus & hæreticis vindicandi & deffendendi causâ, nec legi, nec audiui, nisi à Pio Pontifice factum, eâque fœlicitate, vt copiis stipendio Pij collectis, sub eius signis & auspiciis plures reportatæ sint victoriæ, soluta obsidio Pictauiensis ad Monguntercium, deletus & profligatus hæreticorum exercitus. Narrat ista luculenter Turselinus libro 10. epitome, & relationem his verbis absoluit. *Fama est inter pugnam, cælestium equitum turmas conspectas pro Rege pugnare: haud dubium Pij precibus impetratum auxilium.* Hæc à me fusius forte quam patiatur breuitas Apologiæ relata sunt, vt de se Theophilus, & si qui sint illi similes, quod vix crediderim, modestius sentiant, & nouerint Dominicanis nonnulla interdum suppetere, quæ in ipsis desiderentur, neque ad vnum inuidiæ tormentum damnatos, aliquam æmulationis materiam ministrare, etiam si ea tantum monumenta seruarent, quæ ex Nouennio administratæ supremâ potestate ab illis Ecclesiæ supersunt sempiterna.

Non est alienum ab huius loci argumento, quod Annalium Ecclesiasticorum Scriptores de Cælestino V. Cardinalis Latini ex Ordine Prædicatorum consilio, & de Adriano sexto Cajetani nostri industriâ, & hortatu ad supremam sedem prouectis vno consensu narrant. Certum est à duodecimo sæculo, quo instituta est nostra Familia, Innocentio & Honorio horum nominum tertio, nullos Ecclesiam habuisse Pontifices, Cælestino V. & Adriano VI. morum sanctitate præstantiores, nec forte pares; nam primus & sexaginta quinque qui à primâ Ordinis institutione Petri loco successerunt, vnicus est qui Diuorum albo solemni ritu relatus

sit. Et post istum nullus è longâ illâ Pontificum serie eo cultu dignior occurrit Adriano Traiectensi, Academiæ Louanensis procancellario; hinc in Caroli V. Imperatoris præceptorem, inde in Summum Pontificem eiusdam nominis sextum, (quod vnus præter morem immutatum retinuit;) assumpto. Hos vero duos supremos pastores morum sanctimoniâ, quam gradu dignitatis similiores, Dominicanorum Cardinalium quos retuli sapientiæ, & ardentissimo in Christianæ Reipublicæ bonum vni studio Ecclesiam debere certissimis constat historiarum monumentis.

Nam cum Nicolao IV. è viuis sublato, qui primus Franciscanorum summis virtutibus promeritam, vnanimi electorum suffragio Apostolicam dignitatem fuerat adeptus; frustra purpurati Patres tribus supra biennium mensibus successorem quæsiissent; nec discordibus animis, spes affulgeret vlla pacificæ electionis, vt Spondanus ad annum 1294. refert ex Villanio sinceriss. illius sæculi scriptore, qui prope aberat à Collegio Cardinalium Perusiis habito, tandem nutu diuino, potius quam deliberatâ Patrum voluntate, postquam Sedes Apostolica vacasset duos annos, menses tres, dies duos, factâ à Latino Cardinali Ostiensi magnæ virtutis & integritatis viro (ex Ordine Prædicatorum, quod ipse tacet eo loci, fortè alibi insinuatur;) mentione Petri de Murono, cuius sanctitatem probè nouerat; confestim vnanimi omnium consensu, nec sine lachrymis, die 5 mensis Iulij renunciarunt eum Summum Pontificem, quam ipse diu reluctans assumpto Cælestini V. nomine dignitatem adiuit, & singulari humilitatis ac modestiæ exemplo breui postmodùm abdicauit. En quos Dominicani Ecclesiæ præficiendos curant Pontifices.

Nec minus certa est nostræ Cajetani de Adriano sexto electo laus & commendatio immortalis. Pater Albius ex Societate scriptor, suis Cardinalium elogiis, quæ licet eiusdem instituti ex Prouinciâ Lugdunensi Theophilo conueniat, quoad cætera dissimilior, & in Dominicanos humanior & æquior, à Cardinali Hugone exordio sumpto, Cajetani Encomio absoluit, in quem Adriani VI. electionem quasi in Authorem, aut potius diuini

diuini consilij administrum refert, assentientibus Guichardino, & Paulo Iouio, ex quibus hic sine dubio Societatis Author excepit; eosque secuti recentiores Andræas à Robore, seu *du Chesne* & Spondanus ita narrant.

Quodam manè cum sortito fieret, vt tempus electionis extraheretur, Adrianum Belgam absentem in Hispaniâ (quam nomine sui alumni Caroli V. summâ tum authoritate administrabat) & vix vlli cognitum, à quodam propositum fuisse; moxque Sancti Sixti Cardinalis Thomæ de Vio Cajetani oratione, de virtute & eruditione commendatum, nonnullis ei assentientibus, & reliquis hos impetu potius quam consulto sequentibus, omnium suffragiis electum esse. Nec Guichardinus licet vitæ sæcularis, Paulo Iouio Episcopo, qui ad casum quasi temerè factam electionem refert, religiosior, ascribendam esse censet nisi diuino Spiritui, qui in eligendis Pontificibus afflare solet mentes Patrum. Ad id tamen diuini operis Cajetano nostro velut administro & adiutore vsum fuisse putat, qui cæteris viam aperuerit: vt inde agnoscat prudens Lector, Dominicanam Familiam præter tres è suis sanctissimos & supremæ dignitati pares, eiusdem meriti duos ad sedem Apostolicam promouisse, & hâc re summâ sapientiâ peractâ, Reipublicæ Christianæ operam non pœnitendam nauasse.

Non prætermittam, quod nuper legenti Diarium ciusdam summæ dignitatis, parisque prudentiæ viri operâ editum, de Pauli V. electione occurrit: discordibus Patribus purpuratis, & in varias sententias abeuntibus, obseruat è confessu Cardinalium nullum supremo loco, cui præficiendum quærebant, digniorem Cardinale de Ara cæli, seu Augustino Galamino, ex Præfectura nostri Ordinis à Paulo V. Parisiis cum sui ordinis comitia generalia haberet, ad dignitatem Cardinalitiam promoto. Et ipse scriptor. Diarij nobilissimus, & iuxta prudentissimus Pontificia dignissimum censebat: quò si prouectum vidisset nostra ætas, superiori Pium V. non inuidisset: vt inde agnoscat Theophilus quam falsum & ferale, sit quòd alio loco scribit, Dominicanos suâ feralitate Scholæ vepribus assuetos,

Baron. 5.

ad res prudenter & iustè gerendas ineptos, maxima Ecclesiæ mala importasse; nequidem exceptâ Lutheranâ & Caluinianâ hæresi; cuius per summam fraudem eò loci omnes in Belgio concitatos bellorum & errorum turbines, in Dominicanorum inuidiam deriuat, quod ob inquisitionis terrorem videantur, aut nati aut certè prætexti. Fraude, vt dixi, nec ferendâ & vix credendâ; cum obtentus huiusmodi bellorum ciuilium terror potius ad prætextum, quam ad veram aut legitimam excusationem ab inquisitione Hispanâ inducendâ, non à Dominicana, quæ his locis sicut toto fere orbe Christiano obtinebat, à peruicacissimis hæreticis & perduellibus repeteretur.

PARAGRAPHVS QVATRVS.

Trias Pontificum ex Dominicana Familia.

VIr Religiosissimus, qui multos in Christo peperit filios, & Ecclesiæ etiam Patres instituit, D Gondranus Præpositus Generalis dignissimus Oratorij gallici; vt ex ore vnius discipulorum eius longe nobilissimi, excepi: dictum hoc identidem repetebat, suspectam sibi esse nonnullorum humilitatem; qui de se abjecta prædicent; despectum æquo animo ferre videantur, nullâ tamen ratione patiantur aliquid eiusmodi contemptus in corpus & societatem ad quam pertinent, redundare; dumque se infra cæteros hominum demittunt, saltem in speciem, suam Familiam suamque scholam aliis prælucere, & anteponi præpostero plane studio contendunt: vera humilitas non modo priuatorum hominum, sed etiam Societatis & Ordinis cuiusque maximum est decus & ornamentum. Hinc videmus quosdam Minorum, alios Minimorum sibi nomen assumere, quasi de humilitatis summâ laude & dote contendant; & hac vnâ appetant vincere, aliis scientiæ, cæterarumque virtutum vltro gloriam concedant. Videbor in veri rerum spiritualium Magistri vnctione gratiæ edocti regulam aut censuram incurrere hac cum Theophilo contentione, & rerum nostra-

rum nimiâ prædicatione; quasi velim contemptum perinde familiis, ac priuatis vtilissimum à nostrâ depellere.

Verum cùm humilitas Christiana inter virtutes reponatur, quas vocamus morales; quæ in medio positæ extremis vitiis appetuntur, & mediocritate gaudent: præterea cum Satyræ Theophili, ab eo quod virtutem constituit, temperamento nos longissimè semoueant; etsi vera sint quæ in nos scribit, non solùm in profundiorem quam Iobum amici calamitatum abyssum, det præcipites, quod optandum fuerit; sed etiam nos impios faciat, Ecclesiæ pernicioſos, & quasi sacros & inteſtabiles omnium diris deuouendos; & quo nos demittit, seſe attollat altitudinis gradu; nedum æquitas patitur, sed etiam omninò exigit, his vbique, vt modus aliquis adhibeatur, & adeo immane disparia aliquâ ratione coæquentur.

Hoc iterum iterumque olim denuntiatum moneo, me de prærogatiuâ sanctitatis, eloquentiæ, & eruditionis, & de meritis in Ecclesiam cum Theophilo, aut quoquam alio nolle disceptare: vltrò primas omnibus concedo. Quid igitur tam longâ oratione, & variâ rerum omnis generis explanatione contendo? Dominicanos non esse, quos Theophilus sibi fingit, aliisque enititur persuadere, bonorum inuidos, & osores, Ecclesiæ pernicioſos, de medio tollendos, iuribus & officiis quæ hæreditaria possident depellendos. Nec puto meam deffensionem his metis coërcitam in Patris Gondrani regulam peccare: Quare hac suspicione semotâ, accedo ad argumentum. Certè si cætera deessent Prædicatorum Ordini, quibus abundat religionis, sapientiæ & sanctitatis ornamenta, præter tres à me nominatos Pontifices, non est eo loco habendus, quo illum Theophilus deijcit. Nec dicat, quibus hi Dominicani Ecclesiæ præluxerunt, virtutes aliunde quam ab instituto hauſtas; illique velut alienas esse. Nam contra, viri Sanctissimi testati sunt, se post diuinæ gratiæ liberalitatem, & opitulationes, quidquid sapiebant, aut egerunt boni, suæ matri se debere: illique multis testimoniis accepta retulerunt, de quibus primum dicam vniuersim.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Horum Pontificum Sanctitas & Sapientia verum est germen Dominicani instituti.

ILlustrissimus & Reuerendissimus Episcopus Antonius Goudeau Galliæ nostræ lumen, & inexhaustum eloquentiæ, atque sapientiæ promptuarium, post infinitas lucubrationes, quibus sæculum nostrum quotidie ornat, & Ecclesiam docet: nuper edidit, sibi aliisque pastoribus inter postremas optimam, quam meritò dixeris, ideam vitæ & muneris pastoralis; ad quam exigere debeant Episcopi administrationis Ecclesiarum sibi creditarum rationem. Ex his verò quas ab Historiâ Ecclesiasticâ, tum antiquâ, tum recenti, summo iudicio collegit imagines: pro singulari suâ in nostram Familiam beneuolentiâ, trium ex illa Pontificum, quos nominaui, encomia elegantissime prosecutus est. A quibus abstinerem omninò, nec post Roscium subire auderem theatrum; nisi alio, nedum idiomate, sed etiam consilio, ista attingerem. Ille sibi, suisque pastoralis officij consortibus exempla subijcit; ad quæ sese componant, & visa sunt illi ad propositum accommodata, quæ duobus sæculis superioribus tulit nostra Familia: at ego non Ideas delineandas, sed potius quæ de nobis suggeruntur horrendas imagines delendas, suscipio, subiecta veri Dominicani imagine, quam tres illi genuinam, & ex vero in se formarunt: vt si quis Dominicani Spiritum, & mores suo instituto consentaneos nosse velit; auertat à Satyris Petri in imagines Dominicanorum ab ipsis summâ arte elaboratas; à me rudi stylo, sed exacta fide deformatas oculos conficiat: necesse est.

Atque hac vna monitione possum me longioris scriptionis labore, & Lectorem melioribus detentum, nostra decurrendi fastidio leuare: neque etiam animus est, eadem etiam diuerso sermonis genere, iam ab illo & Bartholomæi à Martyribus vitæ Scriptore enarrata obtrudere; quod sanè temeritatis vitio non careret: sed

nonnulla minutiora, quæ tamen ad rem noſtram plurimùm conferunt compendij, ab vtroque obmiſſa, vel alio conſilio relata, ad noſtrum breui, primum communia de omnibus, deinde aliqua ſingularia perſtringere. Et hoc proprium maxime obſeruari velim, ex omnibus, quos Ordo Prædicatorum tulit prope infinitis alumnis, nullos ſibi his tribus poſſe iuſtius vindicare. Hos enim præ cæteris quos ad Eccleſiæ deffenſionem, & decus inſtituit, teneriori ætate excepit; Bartholomæus quidem, & Antoninus anno 16. aut 17. Pius verò hos prætergreſſurus iunior anno 14. acceſſit: diutiùs & maiori curâ illos habuit, vt dicere ſolebat Pius V. lacte veluti è duobus pietatis, & eruditionis vberibus largiſſimè fluentibus aluit, & ad adultam virtutem prouexit.

Hos igitur longo ad bonitatem & ſcientiam poſito tyrocinio, variis Lectorum, Priorum, aliiſque officiis præfectos, quas hauſerunt ſapientiæ & ſanctitatis aquas, iuſſit Religio in alios effundere: Equidem Pius V. ſexdecim, Bartholomæus totis viginti, Antoninus pluribus annis Angelici Præceptoris, qua fuerant paſti doctrinâ, prælectionibus fratres ſuos aluerunt, & accuratiore methodo ad diſcendi, quæ alios docendo peragitur, Sancti Doctoris ſenſa diligentius ſcrutati, altius etiam ebibere, & impreſſere animis: vt ad primas ſedes prouecti, vberius in totam Eccleſiam deriuarent.

Et ne quid illis deeſſet Dominicanæ inſtitutionis, præter Lectorum & interpretum Angelici Doctoris officia, quibus ſunt diutius immorati, & immori optaſſent; cæteris ferè omnibus Familiæ noſtræ egregiè perfuncti, ad quam aſſumendi erant ſupremam Eccleſiæ adminiſtrationem proluſerunt. Bartholomęus quidem à Martyribus à Prioratu Beneficano ad Braccarenſem Eccleſiam; Antoninus poſt obita in pluribus Cœnobiis Italiæ Prioris, & ampliſſimæ Congregationis Vicarij Generalis munera; ad Florentinum Archiepiſcopatum euectus eſt. Pius verò V. definitorem comitiorum Prouinciæ ſemel, aut iterum, quater-trium Conuentuum Priorem egit; & pluribus locis quæſitoris fidei frequentius, & promptiori animo partes obiuit: cauſatus, quod minùs ſalutis periculo id munus eſſet

obnoxium; quod propius ad Parentis sui D. Dominici Quæsitorum primi similitudinem promoueret. His verò administrationibus, ad omnium maximam sese comparabat; multaque tum edidit his modicis officiis, quibus se majoribus parem probauit: & dignum cui aliquando diceretur, *Amice, ascende superius.*

Quid enim mirabilius & ad Leonis magni cuius loco destinabatur, Atilæ ferociam compescentis, similitudinem & gloriam propius; quam quod Pio Aiuæ Priorem agenti contigit? Tercentum milites fame & prædæ cupidine, accesserant expilandæ domus causa: hos Pius graui oratione cohibuit; & depositâ audaciâ aliquot diebus quandiù annona non defuit, Cœnobitarum more eos docuit viuere: adeò religiosam modestiam, & pietatem ipse præferebat; vt ad sui imitationem cogeret eos, de quibus verè dictum: *Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.* Qui hæc à militibus obtinuit, quid à se, vel à Cœnobitis suæ curæ subiectis non exegisse putas & consequutum fuisse?

Plura Quæsitoris munus obeunti maiori constantiâ animi, & pari fœlicitate peracta sunt: quæ alios deterrebant ingentia pericula à magnatum potentiâ, ab hæreticorum furore, in quibus etiam regnabant, loca intrepido animo, & ne quidem occultata veste Dominicani adibat, adeò illi cordi erat Relligio, vt Curiam primarium Rætorum oppidum imperio sacræ Inquisitionis Cardinalium ad dirimendam Hæreticum inter & Catholicum de vno Ecclesiæ Canonicatu controuersiam ingressurus, audire noluerit eos, qui sibi suadebant alieno habitu eò proficisceretur: at ego, inquit, vestem non mutabo; sed in ea pro Religione mortem oppetam, quando id diuino mihi beneficio contigerit. Eo igitur animo profectus quæstionem habuit, litteris consignauit, & Hæreticos ita suæ virtutis admiratione defixit; vt nec sententiæ intercedere, nec in illum aliquid ausi fuerint moliri.

Bergomi grauius incurrit vitæ periculum; susceptâ peractâque secundum iuris formulas in vrbis Episcopum Patricium Venetum Inquisitione hæreseos, cuius ante vehementissimâ suspicione laborantem, & à se conuictum, Romamque deductum; ab Episcopatu

depoſuere Iudices. Vbi verò compertum fuit, eo Pium acceſſiſſe animo in Ep ſcopum inquirendi; tum ipſe, & amici intempeſta nocte, armatâ manu Cœnobium ingreſſi, Dei miniſtrum ad mortem depoſcebant; ille è lecto ad inexpugnabilem ſacræ precationis arcem confugit: mox fide plenus, irruentem cohortem vnâ voce ita repreſſit; vt in fugam omnes conuerſi, nihil intulerint damni. At ille ne Deum tentare videretur, memor Dominici præcepti monentis: *Cum perſequentur vos in vnâ ciuitate, fugite in aliam*: Bergomo de nocte diſcedere Ruſtico duce properauit; auiis itineribus diſcedenti, paratas viâ rectâ ab aduerſariis inſidias, diuino potius, quàm humano conſilio mirabiliter euaſit.

Inter fugiendum tuguriolo exceptus fuit cuiuſdam Ruſtici; quem 16. poſt modum anno creatus Pontifex, ipſa inaugurationis pompâ, ex circumfusâ multitudine, vt erat tenaciſſimæ memoriæ, agnouit; & ad ſe accerſito, licet alia omnia tum cogitanti: ego, inquit, Dominicanus Frater ille ſum, quem Bergomo Cremonam verſus auiis itineribus diffugientem hoſpitio ſuſcepiſti, & mille quingentos nummos aureos ad duarum filiarum dotem; ſuoſque vſus iuſſit dinumerari.

Quæſtionem verò præſcriptam ne periret, apud Franciſcanum nomine Aurelium Grianum cautè depoſuit; eâque magnâ fide ſeruatâ, & traditâ, ad vrbem remigrauit: rem geſtam, eximiamque hominis prudentiam, & fortitudinem, religioniſque tuendæ ſtudium omnibus maximè ſacræ Inquiſitionis præſidibus Cardinalibus, cum admiratione prædicantibus. Nec ſine mercede fuit Franciſcani fides, nam in Comitiis Romæ habitis, inter ſodales ad ſacros Pij pedes oſculandos ordine procedentem agnouit, eumque ob ſibi præſtitum officium impensè laudatum Lectrienſis Eccleſiæ creauit Epiſcopum. Quot in vno præclaro facinore inſignia virtutum?

Scio Petrum alio loco ad finem 2. diatribæ auſum ſcribere; quæſitores Dominicanos concreditum ſibi munus præter Pontificum mentem ſæpe numero obire, *& homines clauſtro ac vepribus Scholaſticis aſſuetos, ru-*

des apicum iuris, & salù, quo omnia negotia, vt prudenter obeantur, condienda sunt, malè constitutos, feralitate suâ simplices facile percellere, non absque graui religionis detrimento. Calumniam aliàs breuius refutaui quam rei patiatur atrocitas: satis fuerit hîc monuisse, aliter visum hæreticis: intrepidum animum & prudentiam nostrorum hominum sic demirantibus; vt cum maxime vellent arcere, & inferre vim, non potuerint: aliud censuerunt Romanæ Inquisitionis amplissimi & sapientissimi Cardinales; qui Curiæ, Bergomi, quas in nostris Quæsitoribus Petrus desiderat virtutes, in Pio id munus obeunte; non poterant non laudare, ac mirari: Et verisimile est, quibus omnium animos, præsertim Ioannis Petri Carraphæ tum Inquisitionis Principis, & postmodum ad Sedem Apostolicam Pauli quarti nomine assumpti, virtutibus sibi deuicit, subinde ad summos honores, & ad supremum Pontificatus fastigium sibi nihil tum hæc cogitantem, viam muniuisse.

Nam cum Paulus quartus adeò compertæ virtutis hominem Proinquisitorem in vrbe, quem Generalem sacræ Inquisitionis Commissarium appellant, instituisset; & deinde triennio exacto creasset Episcopum; id onus, quod perpetuò sibi cauendum statuerat, detrectanti, & ad monasticam quietem redire flagitanti: Paulus, his, inquit, te compedibus illigabimus; vt ad Cœnobiticam vitam iam amplius redire non possis: quia iam tùm cogitabat ad Cardinalium cœtum prouehere.

Sed vt ad collationem nostrorum Pontificum è Dominicanâ familiâ redeam; communem hanc laudem partiuntur ab iis quas meruerant, quibusque se pares probauerant, & præclarè defuncti sunt dignitatibus; quasi à grauissimo suæ salutis periculo sibi timuisse, & toto animo abhorruisse, nec à clausstro & scholâ nisi summâ vi auulsos: eò toto impetu rediisse, effractis quibus detinebantur obicibus, vel si id negatum fuit; vno ad matris gremium reditus voto se fuisse solatos. De Diuo Antonino canimus ad *Præsulatum quasi ad cruciatum raptus*, quem vt effugeret, quid non tentauit? Cogitauit abscessum ad exteras & igno-

tas regiones; nec acquieuit nisi imperio Eugenij IV. additis grauiorum censurarũ minis, si parere detrectaret; & ut amissæ solitudinis se aliquâ spe aut cogitatione recrearet; ne dum vestem sui ordinis, mores, rituſque seruauit: sed cameræ etiam clauem secum semper gestabat; quasi libertatis aliquando restituendæ pignus: vnde iniquis magnatum conatibus pro iuribus Ecclesiæ inuicto animo obsistenti, cum extrema quæque mala impij minarentur, extractâ suæ cellæ quam secum habebat, claue, respondit, inuitus Præsulatum adiui, sed pro illius iuribus mortem non timeo: sed nec sperare ausim, martyrio indignus: si redire ad monasterium, prioremque statum, hoc graui onere deposito, per vos mihi concessum fuerit, immortali me vobis beneficio deuincietis.

Quid non tentauit Bartholomæus à Martyribus, vt Pontificatus detrectaret onus; & impositum excuteret? Taceo quæ in hanc rem extant Historia eius Gallica nunquam satis laudata. Captiuorum nullus, grauissimo seruitutis iugo oppressus vnquam miseriarum finem libertatemque ardentius expetiuit, aut magis anxiè; quam ille Pontificatus abdicationem, Religionis portum, primamque stationem quæsiuit: idque testatus est responso vno ad Granatensem. Extat verò historiâ Lusitanâ, & obmissum prudenter credo, gallicâ, quod ferè superaret fidem, & à moribus nostris immane abhorreret: Sciscitanti itaque nostro Granatensi; an esset tranquilliori animo, & formidines suscepti officij, turbationesque resedissent: imò, inquit, in dies inualescunt; & vt noris quam sim miserandus, iuranti crede, me deteriori statu esse, homine præfocato animam agente, quam nequeat ad dolorum finem emittere.

Quid de Pio nostro dicam? Multa referunt illius vitæ scriptores florentissimi; quibus probant eius animum rebus humanis maiorem, & intactum, sibique à supremo Pontificatu extremum periculum timentem, & cogitantem etiam exemplo Cœlestini V. Pontificatum à se abdicare: atque hoc illo mentis ab omni ambitu alieniſſimæ argumento, sibi D. Boromæi animum deuicit. In patrui successorem totis viribus

promouebat, Cardinalem Moronum & Sirletum ſumma ſede digniſſimos. Prioris electioni Pius tum Cardinalis Alexandrinus interceſſit: quod ſub Paulo V. de fide licet falſo accuſatus neglexiſſet, indicia ex iuris formula purgare: nam vt ipſe Morono amicè & ſummâ manſuetudine conquerenti, quod ſibi fuiſſet ad Pontificatum aduerſatus; licet inſontem ſciret: ita eſt, inquit, Pius, ſed domum Petri multò verius quàm Cæſaris, nedum culpe ſed etiam ſuſpitione carere oportete.

Sirleto poſt Moroni repulſam, viro eruditiſſimo, & innocentiſſimo impenſe ſine vllâ æmulatione, licet irrito conatu fauit; atque hac in honeſtos pioſque viros perſpectâ optimâ propenſione addita ſanctiſſima ac religioſiſſima vita hactenus peracta; ſibi primum, Borromæi, deinde cæterorum Cardinalium ſuffragia parauit: ſed cum factâ adoratione vrgeretur electionem voce ſolemni *acceptamus* confirmaret: diù cogitabundus hæſit inter ſpem & metum incertus, & poſt multa, diuinæ demum prouidentiæ confidendum ratus, grauiter ſuſpirans delatam dignitatem ſuſcepit.

Verum ſæpius pœnituit ſe id oneris ſubjiſſe cui ſuſtinendo ſe viribus imparem eſſe ſentiret, ac propterea eo ſeſe abdicare aliquando cogitauit, Cœnobiticæ vitæ, ad quam velut ad portum anhelabat ardentiſſimo deſiderio: conteſtatus ſe perfectâ quiete nunquam potitum, niſi in Prouinciâ ſuâ, dum vitam duceret religioſam.

Aliud ſine dubio cenſebant de Familia Dominicana viri ſapientiſſimi, quam quod comminiſcitur Petrus: & dum hos Dominicanos dignitatum compedibus detentos, regreſſum ad religionem meditantes attendo; venit mihi in mentem Anthei poëtarum, quem fingunt è terra matre genitum, & inuictum Herculis etiam viribus, quandiu in terram lapſu, quaſi matris amplexibus ſuas potuit reparare. Quod hæc fabula ingeniosè inuoluit prodigij genus, Hæroum quos memoraui Chriſtiana virtus veriſſimè implet. Reditus ad ſuam matrem, aut illius votum religioſæ diſciplinæ qua à teneris annis imbuti fuerant, etiam in ſummâ dignitate ſeruatum, faſtidium præſentis magnitudinis,

præteritæ paupertatis & obedientiæ ſtudium, & cum licuit ad priora regreſſus, omnibus mundi, carniſque illecebris, & dæmonum artibus inuictos, & Chriſtianæ virtutis, ac fœlicitatis abſolutiſſima effecere exemplaria: quæ paucis delineare placuit, tuiſque, lector, oculis ſubjicere, vt agnoſcas Dominicanos alios prorſus eſſe, quam hic Theophilus nititur ſuis libris tibi perſuadere.

Et ne aſcititiam eſſe hanc Dominicanis virtutem, & quaſi aliunde quam ex S. Dominici inſtitutione comparatam eſſe cauſetur Petrus; ipſi plurimis argumentis teſtatum fecere, ſe ita à Matre imbutos; vt mallent abiecti in eius domo degere, & inter eius filios accenſeri, quam ſummo loco ſedere, vnde caſum timebant, qui excelſa prærupta reputabant. Vt rem concludam egregio exemplo: ſicut de Sacramentorum vſu communis eſt Theologorum regula, omnia prodeſſe, aliqua etiam ad ſalutem eſſe neceſſaria, re, vel voto ſuſcepta; ita eſt de noſtræ Familiæ inſtitutione, eiuſque filiis legitimis: quod etiam in omnes Cœnobitas à priuato ſtatu ad paſtorale officium aſſumptos cadit, iure dixerim, ſi ſalui eſſe velint, & tuti à periculis, quæ grauiſſima impendent è portu Cœnobij in altum adminiſtrationis Eccleſiæ prouectis, exemplo noſtrorum Pontificum, totis viribus eniti debent; vt ſuæ cellæ, & tranquillitati reddantur. Si id aſſequi non detur, exiſtimo votum reditus ad ſtatum Cœnobiticum, vti Sacramentorum illis futurum præſidio & ſaluti. Vim reditus ad clauſtri humilitatem ſenſit Bartholomæus à Martyribus, cui datum eſt, erepto bono iterum frui: cæteri duo ſuis officiis immortui voto prioris ſtatus ſe Deo hominibuſque approbarunt: quorum fuerit majus meritum ad ſapientiorum iudicium remitto.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [287] - 267
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Pontificiæ horum Dominicanorum res gestæ & virtutes ad Cœnobiticas & institutionem domesticam reuocantur.

VIdebor longius ab instituto abduci, & historiam aut panegyricum horum virorum scribere, potius quàm apologiam communem, liberiori enarratione virtutum, quæ in illis resplenduere. Sed hunc mihi laborem imposuerunt duæ ex infinitis, Petri accusationes atrociſſimæ; quibus Dominicanos non solum vt Ecclesiæ inutiles, verum etiam quasi pernicioſos toti generi humano traducit, deriuatâ in illos quæ ab hæreticorum furore patimur, malorum inuidiâ seu infamiâ, quæ ex feralitate nostrorum hominum, ait, nata esse. Huic calumniæ parem addit; relatâ in alios & in se bonorum origine: nos inuidiæ quasi tortori cruciandos tradit. Quæ calamitoſior aut magis flagitioſa esse potest hominum conditio, eâ quam nobis imponit Petrus, duplicis inuidiæ, malorum perinde, ac bonorum, quasi illorum causæ pœnas justas dare debeamus, & istis vacui in aliis ea iniquo feramus animo? Sed his duabus inuidiæ suspicionibus aut accusationibus amouendis, nihil opportunius occurrit, obseruationibus aliquot in hos tres Dominicanos, quos certum est ex institutione domesticâ, nedum à feralitate, à vepribus Scholasticis, aliisque vitiis, quæ nostræ familiæ, & scholæ velut congenita improperat Petrus; longiſsimè abfuiſſe: sed etiam sæculo nequam, & tenebroſo suis præluxiſſe virtutibus, & Ecclesiæ administros fuiſſe præstantiſſimos.

Nam quod Antonius à Fonte Majori, suâ Hispano idiomate eleganter conscripta Pij historiâ; præfatur de hoc sanctiſſimo Pontifice, in Antoninum & Bartholomæum cadit. Mirari enim licet in horum quolibet, Cœnobitam disciplinæ obseruantiſſimum, prudentiſſimum patremfamilias, consiliarium omni affectu humano majorem, Iudicem integerrimum, optimum

Præsulem, Principem sapientissimum. His omnibus & singulis defuncti sunt officiis, ac si vni naturâ & studio fuissent comparati. Multi has partes seorsim cum laude obeunt: verum animus ad majora, & imperio natus, si parendum sit, male & ægrè subditi munus implet. Nonnulli prudenter & modestè familias suas regunt; sed impares sunt Reipublicæ gerendæ. Alij magna & ingentia moliuntur: sed vix possunt se moderari, vel ad res minutiores animum demittere. Quid horum in istis familiæ & scholæ nostræ alumnis desideres? Et prætermisso Antonino, qui paulò longius à nostro sæculo distat, & tertio proximè præterito ex summâ in regendo prudentiâ Antonini Consiliorum nomen adeptus est: & dilato ad finem hujus articuli Bartholomæo, isto & sequenti paragrapho aliqua de Pio singularia delibabo.

Nulli dubium esse potest, quin sanctissimus Pontifex post diuinæ gratiæ munus, in Cœnobiticam institutionem, & in familiam, ac scholam cui ab infantiâ innutritus fuerat, retulerit omnem rerum à se faustè ac prudenter gestarum gloriam. Nam præter superiora, quibus id testatum voluit: aliis duobus communia, & plura quæ obmitto argumenta, tribus singularibus id euinco. Primùm quidem vix ad summum Pontificatus fastigium euecto in mentem venit grati animi in suum magistrum cura & cogitatio; vt toti orbi Christiano significaret se D. Thomæ, non feralitatem, aut veptes Scholasticos, sed artem sui, aliorumque sapienter regendorum excepisse: solemnique constitutione quintum Ecclesiæ Doctorem, eodem, quo alios, cultu colendum adjunxit; & viginti quinque millium aureorum expensis emendatissimam eius operum editionem curauit: vt omnes agnoscerent sub quo tantus discipulus magistro profeciisset. Addo aliud huius intimi sensus indicium.

Cum toto sui Pontificatus septennio in id maximè incubuisset; vt viros ex orbe Christiano nosset præstantissimos de Ecclesia bene meritos, aut qui mereri possent; & ex istis cuiuscunque conditionis, nullo gentis aut commodi, solius virtutis & boni communis respectu, vnum & viginti lectissimos viros in sacrum Car-

dinalium Collegium tribus creationibus ſtatis temporibus habitis, prudenter coaptaſſet: Epiſcopos verò per diuerſa loca creaſſet 344. Hac ſui Pontificatus adminiſtratione omnium maximâ id inſpexiſſe obſeruat eius vitæ ſcriptor Gabutius nunquam ſatis laudatus; *vt licet perſonarum acceptio apud ipſum locum non haberet, & modo dignus eſſet, neminem excluderet; ex omnibus tamen libentius eligebat, eos quos ſacris regularium in familiis, ad Chriſtianæ perfectionis formam, quæ potiſſimum elucere debet in Epiſcopis; & ad regendas animas multum eruditos, diuque exercitatos eſſe cognoſceret, quos præſertim ad in non ambitio, ſed charitas adigeret, vrgeret obedientia*, & his denique gradibus prouehi poſſent, quibus ipſe Pontificatum adiuit. Nam vt quidam de illo ſcriptum reliquit: *Nec fumoſæ maiorum imagines, nec inuidioſa diuitiarum magnitudo, nec eblanditæ Principum commendationes, viam ei ad Pontificatum munierunt: ſed eadem illa virtus, quæ ipſum ab incunabulis ſuſceptum comitata eſt; in illo ſummo dignitatis ſolio ſuis ipſamet manibus eum collocauit.* Et ipſe familiares ſuos ad cauendam ambitionem adhortans, dicere ſolebat: ſe pro adipiſcendo Pontificatu, nedum pecuniam, aut fauorem hominum; ſed ne cogitationem quidem adhibuiſſe.

Verum cur aliena, aut longius repetita vrgeo argumenta, vindicandæ à Petri accuſationibus noſtræ familiæ & inſtitutioni? Ipſummet Pium duobus vt ipſe loquebatur, ſapientiæ & pietatis vberibus à matre ſuâ educatum; & Diui Thomæ Principiis imbutum attendamus. Quid longa eius inſtitutio domeſtica? Quid Cœnobiticæ vitæ iam à nobis delibata exercitatio? Quid priuatarum virtutum vis, & impetus, quam proluſio fuit ad ſummum Pontificatum, & apparatus ad ea, quæ geſſit infinita propè præclariſſima facinora? Ex D. Thomæ Scholâ non ſpinas ſcholaſticas, non feralitatem; ſed flores tulit pulcherrimos, & copioſiſſimos fructus. Inde enim primùm hauſit vitæ caſtimoniam, & innocentiam omnis lethalis peccati expertem, virginitatem omnium illecebrarum immunem, & impatientem; duorum qui illi per totam vitam à Confeſſionibus fuere teſtimoniis conteſtatam;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [290] - 270
PUBLIC DOMAIN

hinc virginitati pudor indiuiduus, quo sensibus religiosè compositis, oculisque demissis tanta in eo tum animi, tum corporis conformatio, & modestia ac grauitas elucebat; vt summam sibi apud omnes reuerentiam, & nomen etiam compararit sancti Bernardini; quod Diuum hunc vti moribus, ira & corporis gracilitate, & aspectu venerando, ac modestiâ, & pudore referret; cuius virtutis sibi quasi ingenitæ memor, & tenax per omnes vitæ partes, antequàm efflaret animam intimam laneam subuculam, quam vt dicemus primo religionis tyrocinio susceptam nunquam deposuit, ad humeros retortam, brachiorumque partem nudam se habere comperiens, modicis, quæ sibi supererant, viribus, ipsemet eam nitens extendere corporis nuda contexit; deinde manus in crucis modum conformauit, vt hoc vltimo vitæ actu probaret sibi nihil antiquius, nihilque cordi altius impressum pudore & modestiâ, ac Christi patientis imagine.

Ex eodem germine institutionis Dominicanæ existunt frugalitas, vitæ rigor modestiæ adjunctus, comes ad virginitatis munimentum: nam ipse solebat dicere hominem gulæ illecebris addictum, castum esse non posse: & cum esset corpore imbecillo magis quam firmo, sobrietatis ope incolumem se atque ad ordinarios labores communemque vitæ rationem perpetuò seruauit Nec minus abstinentiæ, quam modestiæ tenax, & filius non degener sui Parentis D. Dominici, vt cætera virtutum exempla, sic istud rigidioris vitæ perpetuum tenorem secutus est; vt vix æger à ieiunio se eximeret: nunquam verò à carnium abstinentiâ, cessabat, quibus quadragesimæ, & aduentus, aliisque ieiuniorum statis diebus in morem seruare induxerat. Quare cum sub mortem grauiter ægrotanti contusas carnes, contritis amigdalis commixtas, die quodam, quo ab illis abstinebat, administri clàm ipso sumendas præbuissent: nec pietatem necessitas vincere, nec palatum fallere potuit stutia; expostulans aduersus ministrorum fraudem, quod vellent ob duos breues vitæ dies, ipsum à custoditâ per annos sexagina viuendi lege reuocare. O virum verè ex animo Dominicanum & Catholicum!

Ne per ſingula decurram, omiſſis propè infinitis; duo aut tria occurrunt plane ſtupenda, nec minus ad imitationem accommodata; quam admiratione digna: nullius vnquam mortalium longior vita, aut firma valetudo ad ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ hujus Pontificis incolumitate optanda magis fuit aut neceſſaria; nec tamen diuturnioris vitæ ſpe & causâ paſſus eſt ſe à rigore vitæ, cui à pueritia primum aſſuenerat Religionem Dominicanam, profeſſus, vllo reſpectu deduci.

Quid de paupertate votiuâ? Quid de adjunctâ humilitate, & vtriuſque virtutis ſtudio dicam? Eo à pueritia inſtitutus, ad Ordinis ſui comitia, ſibique aſſignata domicilia, ne ab Ordinis ſui legibus vel modicè declinaret, pedes proficiſcebatur. Et in itinere ſarcinulas ſuas humeris impoſitas geſtabat ipſe, vno paupertatis, & humilitatis, & ſui Parentis Dominici imitandi deſiderio. Atque hinc factum, quod ab Alphonſo Aualo Vaſtii Marchione, & ditionis Mediolanenſis pro Hiſpaniarum Rege Præfecto; licet Vilgebani per viginti quinque milliaria diſtaret, inde aſcitus in conſcientiæ ſuæ Iudicem, vitæ moderatorem & Eleemoſynarum erogatorem, nunquam à ſodalibus perſuaderi potuerit; vt è collatâ ſtipe pecuniarum ſibi conficeret pallium, pluuiæ tempore Mediolanum ad Marchionem proficiſcenti omninò neceſſarium.

Sed ad quid iſta minutiora refero? Vt agnoſcat, Lector; hominem diſciplinæ Cœnobiticæ, quâ imbutus fuerat, tenaciſſimum; totum ex animo Dominicanum, & ab his virtutum Cœnobiticarum ſeminibus, vt à minimo ſinapi grano (quo Euangelij progreſſum exemplo deformauit Chriſtus,) natas Pontificias virtutes ex ſummo gradu per totum, qua latè patet Chriſtianum & Turcicum orbem; cum omnium admiratione reſplenduiſſe, quæ nihil à cœnobiticis differant, niſi amplitudine & vſu. Nam quo amatitiæ odio innato, quo votiuæ & Chriſtianæ paupertatis ſtudio pedes itinera conficiebat, deferebat ſarcinulas, pallium ex eleemoſynis ſibi confici minimè patiebatur, eodem animo in Eccleſiâ adminiſtrandâ ab omni auaritiæ & lucri ſpecie, à vectigalibus quæ vel minimum

mum id vitij resiperent toto corde abhorruit.

Non dicam summâ rei frumentariæ inopiâ ex Gallia centum aureorum millibus magnum in vrbem tritici numerum comportari curasse, & viliori pretio quàm constitisset, vendidisse, nec auditas quæstoris ærarij expostulationes hoc detrimentum non mediocre iniquo animo ferentis; cui reponebat Pius quod Reipublicæ saluti gaudioque esset, id non damni sed lucri loco ponendum: præstatreque populum rerum ad victum necessariarum copiâ quam arcas otiosæ pecuniæ plenas intueri, & indignum Rege, atque eò magis summo Pontifice, quæstum ex omni occasione odorari, & lucellum in publico negotio quærere.

Verum si quæ vnquam esse potuit honesta & iusta, aut certè excusabilis causa tributorum; nulla fuit ne dicam tolerabilior, sed nec magis necessaria quam nostro Pontifici, dum sociali bello contra Turcas, magnâ pecuniarum inopiâ premebatur: Cumque plures libelli supplices de beneficiorum quos vocant regressibus offerrentur, ac de soluendis legibus, atque aliis abundè colligendæ pecuniæ artibus multa referrentur, audiit ille quidem omnia, quasi oblatam vellet occasionem arripere; sed mox: Auertat inquit, hoc à me Deus, vt pietatis causâ quidquam agam, aut permittam, quod vel minus pium, vel auaritiæ speciem præ se ferre videatur: inter hæc verò libellos ipsos omnes in ignem conjecit.

Quid de hoc viro Dominicanâ institutione, & Thomisticâ disciplinâ imbuto statues, quem nec belli nec Christianæ Reipublicæ contra Turcas deffendendæ, nec seruandæ ditionis contra latronum Ducem, nec tutandæ vitæ à lethali morbo necessitas inducere potuit, vt à rigore vitæ cœnobiticæ, à fide etiam perfidis seruandâ sine vllo verborum & officiorum fuco, à summâ in subditos sibi populos charitate vel minimùm recederet?

Quare mutato statu, nihil prorsus immutato animo virtutes easdem tenacissimè seruauit, auxitque, & à communium virtutum genere ad heroïcarum gradum prouexit, vt ad propriam salutem primùm comparatas in omnium vtilitatem largissimè effunderet,

A Seneca, neſcio quo loco dictum memini, magnum eſſe qui fictilibus contentus, quaſi argenteis & aureis vteretur. At longè maioris animi eum eſſe, qui diuitiarum contemptu, argenteis perinde ac fictilibus vtatur. Ad primum ſeu infimum gradum pertinebant Pij Cœnobiticæ virtutes: vt paupertas qua cellam quaſi Palatium incolebat. An putas minus fuiſſe pauperem cum palatium quaſi cellam inhabitabat, & hanc alteri præferebat? Virtus cœnobitica iſti ſoli, aut paucis proderat, pontificia toti profuit & illuxit orbi.

Hæc de virtutibus Pij qua cœnobitæ, & qua Pontificis vniuerſim dicta atque exemplo paupertatis illuſtrata valent in ſingulas, ſeu illarum inter ſe cognationem, ſeu vnius præ alia gradus expendas: omnes Pontificiæ à Cœnobiticis quaſi fructus à germine exiſtunt.

Is boni, ſeu ad naturam, ſeu ad virtutem & gratiam ſpectes, vnus eſt ac certus progreſſus, vt in ſe primùm abſoluatur, deinde perficiendis aliis intendat, & obſtantia mala abigat & profliget; eoque actuoſius fit ad ſui propagationem, ſeu ad mali aduerſantis depulſionem, quò plenius cumulatiuſque fuerit. Hinc tum naturæ tum gratiæ opera, quaſi certiſſima regula metimur. Quis enim dubitet ad virtutis officium, nedum ſubiecti, quod afficit, ſed omnium quibus quacunque ratione prodeſſe poteſt, bonum pertinere, & vbi adoleuerit in alia vim illi exerendam eſſe ſeu impertiendo augendoque bono, ſeu minuendo & curando malo?

Hinc facilè Lector intelliget, quas in familiâ & ſcholâ noſtrâ edoctus eſt, altoque animo impreſſit Pius noſter; virturum gradus, atque amplitudinem dimetietur: neque enim priuato tantum ſuo aut ſui inſtituti, ſed communi totius Eccleſiæ, omniumque gentium, promouendo bono idoneas pareſque probauit, & quâ latiſſimè officiorum vitæ humanæ & Chriſtianæ patet ambitus, exæquarunt, ac penè ſunt prætergreſſæ: quia gratuitò magnâque perfectionis acceſſione, pleraque ſtupenda impleuit ex maximâ charitate erogata nullo iure etiam ſummo exigenda.

Miramur, quî fieri potuerit vt vnus iam prouectæ ætatis, morbis debilitatâ & accelerata ſenectute, tot

tantaque molitus sit, & fœliciſſimè confecerit. Sola edidit decreta, profligandis malis, aut commendandis virtutum operibus, quæ poterant laborioſiſſimum longioris Pontificatus principem diſtinere.

Nullum enim eſt vitij aut peccati, nullum boni genus, quod illum effugerit, & mala à maximis ad minima vſque non ſit perfecto odio inſectatus; nullum vitæ humanæ & Chriſtianæ officium non eſt impenſiſſimè proſecutus. Quis vnquam Epiſcoporum diligentiſſimus vnius Diœceſis exactiorem quam ipſe totius Eccleſiæ curam ſollicitudinemque geſſit? Quis diſtinctiùs paterfamilias, quæ domeſticorum ſingulis conueniant, quam ipſe Laïcorum, ſeu Deo ſacrorum hominum cuique pro ſuo gradu conſentanea in numerato habuit, aut præſcripſit? Hæc eſt tum altiſſimæ ſapientiæ, qualem D. Thomas docet, vocatque architectonicam; tum virtutis conſummatæ, quibus à puero fuerat imbutus, vis efficaciſſima.

Quid mirum ſi Pontifex exactiſſimæ Innocentiæ, qui nullum vnquàm graue peccatum admiſit, nullâ ſe voluptate inconceſſa paſſus eſt allici; omnibus vitiis bellum indicat, alioſque eadem qua ſeipſum ſeueritate moderetur? Quid mirum ſi altiſſimæ paupertatis vir, qualem Hieronymus Anaſtaſium vnum Pij deceſſorum appellat: paupertatem Chriſti ore & exemplo conſecratam, non ſolum in ſe, ſed etiam in cognatis amarit, eoſque voluerit, quod plurimi faciebat, boni ſecum conſortes eſſe, imitatus Chriſtum qui ſibi, matrique ac diſcipulis theſaurum hunc præ omnibus diuitiis pretioſiorem ſeruauit? Ille quidem ſic cognatos habuit, vt communis originis ipſe memor, eos ſuæ conditionis non pateretur obliuiſci; bonaque daret, non ad delicias & pompam ſuperflua, vel ad augendam, ſed ad ſuſtinendam cui nati erant, ſortem neceſſaria. Quare multis principibus etiam viris, expoſtulantibus dari propinquis ſubſidia tenuiora, quam tanti principis cognatos deceret, & largiori manu cum illis agere ſuadentibus, reponebat, etiam de his modicis, an ſaluâ conſcientiâ daret ſæpe dubitaſſe: quia Eccleſiæ bona in ejus tantum ſacros vſus, non ad luxum aut ditandos propinquos erant à ſanctis legibus deſtinata. Addebat,

se ad Pontificatum à Deo vocatum fuisse, vt Ecclesiæ suæ, non vt consanguineorum commodis, aut cupiditati inseruiret.

Malè profectò conueniebat, & hominis fuisset à se ipso dissentientis, si in se parcus & austerus, qui in summâ dignitate constitutus, toto die vix duobus Iuliis pascebatur, in suos indulgentior & prodigus fuisset: atque illâ sui discordiâ non iam laudandus aut mirandus, sed penè ineptus & ridiculus, aut certè suspectus euasisset, seruatus ille ad mortem vsque vitæ rigor, omnis remissionis adeò impatiens; vt dum subuculam laneam cui à tyrocinio Religionis assueuerat, medicus ægro iussisset in lineam mutari; non conquieuerit, donec prior restitueretur, in eâ, vti D. Martinus in cilicio moriturus: & credidisset cum eodem sanctissimo præsule si aliud Ecclesiæ exemplum dedisset, se peccaturum.

Nimis anxiam hanc paupertatis, vel seuerioris disciplinæ sollicitudinem, in Pontifice sene, ægro, & morituro causaremur, si Ecclesiæ bona suis ad luxum fuisset elargitus; sed hanc dissentionem actionum, quâ virtutes inumbrantur, ac penè pereunt, ipse diligentissimè cauit, & paupertatem ac humilitatem Christianam vbique amauit, & prosecutus est. Hinc vix sibi ad victum necessaria dabat: Cum suis paulò liberaliùs quam secum agebat, suppeditatis quæ primam conditionem decerent, non mutarent in majus.

Eadem est cæterarum virtutum, quæ in pontificatu eluxerunt, cum Cœnobitici cognatio: ab istis suam illæ vim & originem, à pontificiis Cœnobiticæ lucem hauserunt. Ante pontificatum iam comparatæ eodem fortè gradu, latebant aut lucebant obscurius, in altiorem prouectæ locum, longiùs latiusque resplenduerunt. Priuati hominis virtutibus, duo à dignitatibus bona adueniunt, & si illis excidant, totidem pericula impendent, dignitatum accessione pluribus prosunt, & innotescunt: si genuinæ sint & legitimæ probentur, inualescunt; si adulteratæ & fucatæ, in fumum euanescunt; aut veluti nix ad solis radios, illo splendore colliquescunt: si debiliores sint, licentiâ quod libuerit agendi, grauissimè tentantur, & plerumque pereunt

& corrumpuntur. Hinc fit, homines dum vitam agunt priuatam, gratos, modestos; vbi ad altiorem prouecti sunt gradum, prioris conditionis & beneficiorum obliuisci, injuriarum memores & vltores, qui nolint æquo cum aliis iure viuere, sibi omnia arrogent, & nedum humilitatis, sed vix etiam humanitatis memores, cæteros hominum, seruorum, ac penè brutorum loco habeant: hæc vitia, non tam dignitatum sunt quam hominum, eò malis artibus enitentium.

Ab illo contagio remotissimum cum multis argumentis se Dominicanus noster probauit, tum maximè cum ex familiaribus suis percuntanti, quid de sua ad Pontificatum assumptione populus sentiret, & respondentibus priscæ ac nimis duræ seueritatis metum animos incessisse, reposuit: *confidimus Deo, eius ope nos ita facturos, vt maiorem ac longiorem ex obitu nostro, quam ex hâc susceptâ dignitate metum, aut mœrorem homines sint percepturi.*

Vaticinium hoc, vt consilium, aut votum verè impleuit. Quamuis enim vera humilitas nostri contemptum ingeneret, non tamen virium nostrarum ex gratiâ & virtute, ignorationem, & diffidentiam inducit: imò illi optimè conuenit cum magnanimitate. Hinc Granatensis noster Bartholomæo à Martyribus à se adacto ad Braccharensem Archiepiscopatum, inter alia monita hoc postremum, quasi omnium maximum adjunxit; vt grauitatem cum affabilitate, humilitatem cum magnanimitate conciliaret vinculo indissolubili. Id temperamenti & cognationis genus mirè iniuit & seruauit vterque Dominicanus. Hinc fit vt nullum illis ex summis dignitatibus vitium adhæserit; sed maxima inde lux accesserit, & de omnibus bene merendi facultas: vnde obscuriores sub priuati Cœnobitæ statu veluti sub modio occultæ quasi ex altissimo loco emicuerunt, ad sui, suæque familiæ gloriam ad omnium exemplum & salutem.

Hinc quas diligentissimè excoluerat Pius Religionis exercitationes, quod ab infantiâ conceperat, & impleuerat diuinæ voluntatis, & gloriæ vbique spectandæ, & quærendæ votum, euulgauit, hoc vatis regij in insigne assumpto, & diplomatibus inscripto, altiusque cordi

inſculpto Verſiculo, *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas*. Hinc quas ad Deum exorandum adhibere ſolebat omnis generis precationes, afflictationeſque corporis, impoſito totius Eccleſiæ onere, feruentius iteratæ & congeminatæ ſunt. Meminerat enim ſe Moyſis loco eſſe: nec tam militum manibus, quam ſuis in cælum ſublatis, ieiuniis, vigiliis & lachrymis Eccleſiæ victorias comparandas eſſe. Hinc ingenita in referendâ gratiâ liberalitas, quâ antiquior illi nulla virtus erat, cum facultate aucta in omnes de ſe, aut de Eccleſiâ bene meritos. Hæc vna Pij noſtri virtus, cum illo ferè nata, & variis pro ætatis progreſſu gradibus ad ſummam cum Pontificatu prouecta, copioſiſſimæ hiſtoriæ materiam ſuppeditaret. Hoc vnum nonnulli in illo deſiderabant, vt in domeſticos qui ſibi afflicto & pauperi ſummâ fide inſeruierant, minùs liberalis gratuſque eſſet.

Sed quem vidimus magnanimitatis cum humilitate, grati animi cum ſupremâ dignitate, fœdus arctiſſimum ineuntem; haud ſcio an fœlicior & magis admiratione dignus ſit, cognatione comitatis & clementiæ cum ſeueritate, miſericordiæ cum juſtitiâ, conſtantiæ cum modeſtiâ, prouidentiæ & ſollicitudinis in pauperes, cum paupertatis ſtudio, odioque lucri, vel minimum illiberalis. Equidem manſuetudinem ita cum grauitate temperabat, vt neque de authoritate facilitas, neque ſeueritas quidquam de familiaritate detraheret, & quod in Patre Gondrano ſummè & meritò laudat eius vitæ ſcriptor; omnes tandiù patienter auſcultabat, quandiu volebant ipſi; nec loquentem quemquam interpellabat, & quoties pro ſuo cuique deſiderio ſatisfacere non poterat, id ipſe ægerrimè ferebat.

Quoſdam memores ſuarum in illum offenſionum, eo creato Pontifice metu vltionis aut pœnæ quam commeruerant, fugam cogitantes ſuâ humanitate detinuit; quâ offenſiones non pœnis ſed officiis ita anxiè compenſabat, vt vix ipſe ſatis ſibi facere poſſet; veritus ne quam offenſionis memoriam ſibi ſupereſſe, qui ſe læſerant, ſuſpicarentur. Vnde etiam illud ferebatur, iuuare aliquando Pium offendiſſe, quod ipſe in illos eſſet liberalior & benignior; vt paris videretur eſſe

compendij, bene aut malè de Pio meruiſſe; quod illos ex æquitate & grati animi ſenſu pro beneficis, iſtos ex ſummâ charitate pro iniuriis liberaliſſimè haberet.

Et quamuis eſſet feruido ingenio & ad ſubitos iræ motus prono, turbidos tamen nunquam admiſit; aut ita temperauit, vt irato animo ac multò minus odio in quemquam cubitum ſe nunquam contuliſſe teſtaretur. Et hanc naturæ propenſionem, quaſi in propaſſionem mutatam accomodabat rebus fortiter gerendis, aut juſtitiæ ſplendori à ſceleratorum hominum iniuriis vindicando. Hæc ſummæ ſeueritatis, cum pari clementiâ, admirandâ potiùs quam imitanda conſenſio, multis enituit argumentis, eodemque fœdere cum magnitudine animi coniuncta humilitas, vnde ſibi contradici nedum patiebatur, ſed etiam optabat maximè. Hinc gratiæ relatæ Cardinali Commendono ſuo apud Cæſarem legato, quod iuſſis ſuis etiam iteratis, ad rigorem non obtemperaſſet, melius pro tempore conſilium ſecutus, in quo præter vnam Reipublicæ ſalutem ſe nihil omninò ſpectare, nihil intueri ſignificauit.

Sed quem ad feralitatem, cum cæteris quæſitoribus Dominicanis, naturâ ac ſtudio comparatum ſuſpicari poſſet, ex Petri accuſatione, Lector; aduertat velim, quantum ab illo vitio abfuerit, ſuumque inſtitutum vindicet cum relatis, tum maximè hâc vltimâ qua obſeruationes ſuperiores in cognationem virtutum pontificiarum cùm Cœnobicitis concludam. Iam à multis obſeruatum eſt, nuſquam ſub vllo Pontificum, aut Principum, majores fuiſſe expenſas, aut minora mitioraque vectigalia. Et cùm ingruentibus à Turcarum & Hæreticorum rabie, aliiſque calamitatibus nunquam rei pecuniariæ maior fuerit neceſſitas, aut inopia; nullum tamen probauit, aut paſſus eſt lucrum, ne dicam minus æquum, ſed nec quod minus etiam deceret. Reus prædiues morte dignus, ad pœnas redimendas nummum aureorum decem millia pro ſui redemptione, vel ſupplicij commutatione pollicebatur. Eam pecuniam recuſauit Pius & cum eo lege agi præcepit: quia ſi pecuniis crimina paſſim redimantur, non diuitibus, ſed pauperibus tantùm à legibus pœnæ fuerint conſtitutæ.

Nec minus illustre est quod in eandem rem exemplum subjicio. Hispani quidam principes coniugij causâ, solui se legibus postulabant, nummum aureorum quindecim millia Pontifici pensuri. Ipse postulatorum momentis diligentius expensis, legitima vbi cognouit; nullâ pecuniâ receptâ indulsit quod vrgebant: objicienti Datario eam summam, saluis legibus, accipi posse, atque in vsus pios impendi, subiecit Pius, verba concilij sunt rarò, ex causâ, & gratis.

Quendam callidis exquisitisque artibus instructum, exigendæ pecuniæ, absque populorum damno modos se aperturum pollicentem, non modo non audiendum putauit, sed etiam Româ quam primùm iussit abscedere; ratus improbabile, posse principem id sine populorum detrimento præstare: hinc summam quingentorum millium aureorum, Reipublicæ Christianæ grauissimis negotiis penè oppressæ, à Senatu Romano ex vectigalibus colligendam repulit: quod perinde in pauperum ac diuitum onus cederet, nec admisit nisi voluntatiâ diuitum largitione erogandam.

Sed haud scio an superiora exempla vincat postremum, quod subiungo. Prælio ad Monginturcium, maximè Pij auxiliaribus copiis, & precibus fœliciſſimo, Comiti Montis Floris exercitus Pontificij Imperatori, se Vticensis princeps Hugonotorum dediderat, pactâ redemptionis decies mille nummorum aureorum summâ; ægrè tulit Pius hæretico parcitum fuisse. Sed cum æquitas non pateretur pactum rescindi, & captiuum detineri, iussit ne redemptionis causâ quidquam acciperetur, vt vel inde posset intelligi, vnam Dei gloriam cum religione ita animarũ salute coniunctam, præterea nihil Pium nedum illo bello, sed toto pontificatu domesticâ, & Dominicanâ institutione imbutum, spectauisse.

Nec obstrepat Petrus nostros homines vepribus Scholasticis assuetos nihil aliud quam feralitatem spirare, clementiæ, humanitatis ac prudentiæ infinita exempla prætermitto, vno contentus.

Harum virtutum immortale monumentum est Sixtus Senensis patre Hebræo natus, Franciscanæ familiæ nomen dederat, sed in gentilitiam impietatem semel & iterùm delapsum, & in errore pertinacẽ flammis expiando

respexit Deus, & Pij tum proinquisitoris Romani operâ, ad meliorem mentem reuocauit, veniâque apostasiæ cum facultate (quia id maximè optabat) mutandi Ordinis obtentâ, suis ipse manibus, & propriâ veste induit Pius, & hoc æternum Ecclesiæ, Reipublicæ litterariæ, ordinique Dominicano ornamentum, summâ prudentiâ, ac clementiâ comparauit: vt ipse præfatur suæ Bibliothecæ ad Pium: *Tu me olim ab in inferis reuocatum, & errorum tenebris erutum, sincera veritatis lumine illustrasti & ad sublimis disciplina obseruantiam perductum, habitu sanctæ professionis tuæ, tuis ipse vestibus, tuis ipse manibus induisti, & in filium tuo renatum spiritu adoptasti.* Nec minus opportunum est Pij nostri exemplum accusationi inuidiæ, quam feralitatis depellendæ: quare tanti mali à nobis auertendi causâ, patietur æquus Lector aliquot obseruationes superioribus addi.

Paragraphvs Tertivs.

De rerum à Pio V. gestarum magnitudine.

POntifex tot virtutum præsidiis & ornamentis instructus, ex disciplinâ Dominicanâ, cuius per totam vitam ad mortem vsque tenacissimus fuerat, seruatis etiam vel minimis partibus & officiis, Apologiæ nobis loco est, aduersus omnes Theophili criminationes; sed longè validiùs illo exemplo depellentur, si addamus tot tantasque huius Dominicani virtutes, rerum fœliciter gestarum magnitudine æquatas fuisse.

Non vnus est virtutis apud nos gradus aut honor: nam cum vti Diuinitas occultissima sit, & tota inaspectabilis, non alia ad eius notitiam laudemque ac iustam æstimationem via nobis patet, quam quæ nos ad Deum ducit, nempè variæ multipliceſque operationes, quibus se prodat, nostrisque oculis se visendam subjiciat. Hinc fit plerosque sapientiâ & sanctitate summos, apud nos ferè nullos esse: quia nihil aut modicum ad sui gloriam & aliorum vtilitatem peregerint, seu morte, cum magnam sui expectationem excitassent, in

procinctu ingentium rerum prærepti; seu occasio defuerit, priuatam & minus actuosam vitam secuti, seu fœlicitate destituti sint.

In Pio nihil eorum, vel cuiusquam boni desideres, præter longiorem pontificatum, absoluendis, quas faustè fœliciterque inchoauerat rebus: eximiisque virtutibus, à me Paragrapho superiori, obiter delibatis accesserunt plurima præclarè inuenta, prudenter instaurata & fœlicissimè gesta: Quid enim non toto septennio sui Pontificatus, licet senectâ, morbisque oppressus non tentauit, non induxit, non peregit? Quid mali non est aggressus, non profligauit ad Reipublicæ Christianæ salutem, ad sui nominis, suæque matris à qua imbutus fuerat, gloriam immortalem?

Non adeò sum vecors, aut inuidus, quin agnoscam infinita ab hominibus aliorum Ordinum, & plura etiam quam à nostris, ad Reipublicæ Christianæ gloriam & salutem quotidie obiri, nulla pietatis officia prætermitti, quibus non defungantur egregiè, aliosque doceant; denique noua quotidie in Ecclesiam merita comparare. Sed ausim dicere vix quicquam ab illis susceptum, charitatis exercendæ aut Religionis propagandæ causâ, quod pari studio maiorique authoritate non occuparit impleueritque noster Dominicanus. Et ne per singula decurram aliquot insigniorum operum delibabo.

Multi piorum hominum & ex variis familiis, salutis animarum studiosissimi prouinciam longè difficillimam susceperunt, milites Christianos ferociam, rapinas rixasque, duella, licentiam morum, ludos bacchanalia aliásque impiæ gentilitatis reliquias dedocendi, scortationes ac meretrices profligandi; vt depulsis his sceleribus moribusque teterrimis, melioribus & Christianis hæc hominum genera à religione magis aliena imbuendi: at qui vnquam Principum vel Religiosorum, majori curâ ac fructu ad Christianam disciplinam instituti sunt exercitus, quam quos Pius in Galliam aduersus hæreticos misit, vel contra Turcas comparauit, præscriptâ ducibus ad Christianam disciplinam imbuendorum militum formulâ & ratione, datis sacerdotibus, qui eos ad sacro-sanctæ Confessionis,

& Eucharistiæ frequentem vsum cohortarentur, æternæque morientium saluti consulerent, & identidem monerent, consiliorum, præceptorumque pontificiorum, nempe singulos suis contentos esse stipendiis, nefaria maledicta in Deum execrari, corruptum ludendi morem, aliaque vitia defugere: vt vel hac ratione per exempla cognoscerent illi populi, ad se missos esse sanctæ Ecclesiæ milites verè Catholicos, qui eos ab hæreticorum furore, atque impietate vindicarent; non autem dissolutos homines, qui incolarum bona aut domos expilarent? Sic imbutis militibus à Pio nostro senserunt hæretici, & Turcæ, sibi non minus ab illorum pietate, quam ab armis timendum esse, & impendere periculum; vt videatur suo sæculo sanctissimus Pontifex, Christianorum sub Antonino Imperatore pro Imperio Romano aduersus Marchomanos in Germania, militantium fulminatricem legionem instauasse. Quos enim illi olim Imperij Romani, isti à Pio imbuti milites Romanæ Ecclesiæ hostes diuinâ virtute profligarunt.

Verum in hac Christiani exercitus institutione, Pius vti in plerisque aliis vitæ & administrationis partibus, dubium planè facit, sapientisne Principis, an Pontificis sanctissimi munera accuratiùs obierit. Nam quos Christianis moribus imbuendos curauit, ad strenuè agendum animauit, summâ in dando stipendio liberalitate, ac magnificentiâ in remunerandis pro cuiusque merito singulis: nec non diligenti curâ, quam vt cibaria & commeatus abundè suppeterent geri volebat, & item eis qui vel ex morbo vel ex vulnere decumberẽt sedulâ adhibendâ curatione: quos etiam eo vnde profecti erant, quo ad eius fieri posset; incolumes reducendos, sumptibus suis curaturum esse pro sua charitate pollicebatur ipse, inseq; recipiebat. Sic passim tota Ecclesiæ administratione miscuit principis prudentiam cum Pontificis charitate. Hinc vt ante obseruatum est magnâ inopiâ rei frumentariæ, maiorem copiam viliori pretio diuidendæ ex Gallia exportari curauit. Sed ne videretur nimiâ vllâ charitate non tam consulere necessitatibus pauperum, quam ignauiam fouere, nobilem agriculturæ artem instaurauit, eam-

que in finibus vrbis exercentes agricolas, & alios ipſi arti præfectos magnis & amplis muneribus, ac decretis auxit, & exornauit.

Eadem vbique huius Dominicani hiſtoriam legentibus, omni feralitate ſemotâ, ſeſe ingerit imago ſapientiſſimi principis cum ſanctitate Pontificiâ; hoc diſcrimine, quod interdum par ſit vtriuſque virtutis laus & ſpecies, ſæpius verò ſanctitas emineat, ac penè Principis dotes inumbret. Hinc natam puto in rebus conficiendis fœlicitatem, quod nihil niſi ſanctum, Deo duce, diuino potius auxilio, quam humano conſilio aggrederetur. Cum ſingulis diebus ſacrum faceret, quoad per valetudinem licebat, hinc dictum à prudentibus viris, minimè fieri poſſe, vt is quidquam conſilij caperet, niſi vtile, ac Regi ſalutare, qui nullum ferè diem prætermitteret, quo non hoſpitem, & tanquam ſui conſilij authorem Deum reciperet.

Sed cuius magiſterio ferociam milites dediſcere, meretrices, is ipſe ſuſcepit, quam ejurauerant pudicitiam docendas. Itaque ſuum pontificatum exorſus eſt edicto grauiſſimo de expellendis ab vrbe meretricibus, quarum numerus & petulantia eò excreuerat, vt egregias vrbis domos, & vias publicas, cum piorum & exterorum ſcandalo, occuparent. Sed triumviris vrbis conſeruatoribus huic legi acriter obſiſtentibus, ob cauſas neſcio quas politicas, & lucri gratiâ, ſilentium impoſuit his grauiſſimis verbis; ſcilicet Romani Senatus officium eò recidiſſe, vt impudicarum mulierculârum patrocinium ſuſciperet: adjecitque, niſi illæ Roma cederent, ſe vnâ cum vniuersâ curiâ ex vrbe migraturum.

Hoc edicto impudentioribus depulſis, plures ad ſaniorem mentem reuerſæ de matrimonio, & deſerendâ turpitudine ſeriò cogitarunt; quò facilè impulerunt eleemoſynæ iis effuſiſſimè collatæ: quæ metu paupertatis ſegniores erant ad vitam honeſtiorem, & terror illatas in ſterquilino ſepultum iri quoquot in ea fœditate è viuis exceſſiſſent. Nec mortuum deſeruit vis benefica in curando id genus impudicitiæ morbo, ferè immedicabili: obſtinatiores, auditâ eius morte, lætabundæ ad eius feretrum acceſſerunt illudendi causâ, ſed

conſpectu corporis ita ſunt perculſa eorum corda, vt quod ſuperſtes non potuerat obtinere, defunctus in feretro ad lachrymas & emendationem vitæ coëgerit.

Qui militum & meretricum, è toto malorum genere inſanabilioribus morbis potuit mederi; quid putas à clericis, aliiſque honeſtioribus Laïcis non obtenturum? verum quis in profligandis è Chriſtianâ ſocietate, quæ ſupererant ab Ethnicâ ſuperſtitione corruptelis, zelum ſanctiſſimi Pontificis poſſit verbis exæquare, & quæ à tanto exemplo nata ſint bona? Vt paucis quæ fuſius proſequuntur eius vitæ ſcriptores, perſtringam; ſingula ad vnum caput nempe ad fidem, quæ per charitatem operatur, toto orbe ſparſam; illique velut capiti viſibili illigatam ſancitamque, facilè eſt reuocare. Vnam enim videtur fidem inſpexiſſe; ad illam velut ad totius vitæ, ſuæque adminiſtrationis ſcopum collimaſſe.

Et cum ex Angelico Doctore fidem ſic conſtitutam, id eſt, ex charitate operantem, tria malorum genera imperant; nempe Catholicorum peccata, quæ charitatem vnde fides vitam & meritum haurit extingunt; errores hæreticorum, qui fidem indiuiſibilem euangelio explicatam diuidunt, ipſaque perimunt diuiſione; & Iudæorum impietas, qui veteri teſtimonio prænuntiatam abdicant; ac Gentilium denique, & Turcarum, qui nec noui nec veteris Teſtamenti profeſſione ſuſceptam aut promiſſam damnant & execrantur: Hos omnes fidei hoſtes, non vno loco, ſed vbique gentium aggreſſus eſt Pius, tantâ fœlicitate, vt quas Paulus Epiſtolâ ad Hebræos eloquentiâ omni humanâ maiore in heroas fidei congerit laudes, nihil ab illis degener, nec forte impar Pius commereatur; & de illo iure dixeris nedum *per fidem*, ſed ipſius fidei propugnandæ causâ *viciſſe regna operatum eſſe iuſtitiam*, &c. Illi quidem vno vel altero loco aut certè intra vnius anguſtæ Regionis metas, aut vno pugnandi genere contra fidei hoſtes decertarunt; at Pij quæ vincit mundum fides totum latè orbem complexa eſt, nullamque prætermiſit regionem in qua aliquod pietatis operæ pretium non ediderit.

Nam vt obmittam per omnes Chriſtiani orbis par-

tes efficaciſſimè Tridentini Concilij decreta in mores inducere conatum, cultum diuinum, emendato Miſſali libro, Breuiario Romano, Deiparæ officio ordinato vbique inſtauraſſe, & ſanctiſſimis legibus diſciplinam Eccleſiaſticam auxiſſe & confirmaſſe, eliminatis prope modum infinitis ſuperſtitionibus, corruptelis, & omni pietatis ac virtutum genere inducto: in Germania quidem (vt paucis totum orbem Chriſtianum decurramus Pij ſapientiâ innouatum) Laïcorum principum audaciam, qui inconſultâ ſede apoſtolicâ, jus ſibi arrogabant de fidei controuerſiis ſtatuendi, compreſſit: in ordinem coëgit principes Eccleſiaſticos, qui Romanæ Eccleſiæ fidem ſtatâ formulâ profiteri in dies ſubterfugiebant: ab Auſtria confeſſionem Auguſtanam ipſius Imperatoris ſummè Catholici ignauiâ inducendam plenis Comitiis, in eius familiæ æternum dedecus depulit, non tam litteris conſiliiſque (quæ fruſtra tentauerat, ſed ipſa Pij imagine viſa Imperatori,) vt ipſe fatebatur flagello quod manu tenebat ſibi minitantis.

Quid de Melita dicam? Ioannes Valeta ſummus Ordinis Hieroſolymitani Magiſter, longiſſima obſidionis pericula & incommoda expertus, metu grauioris ad quam Turca, ſe majoribus copiis accingebat, cogitabat de hoc Reipublicæ Chriſtianæ propugnaculo deferendo, cuius ſe defenſioni imparem credebat; & reuera vacuam reliquiſſet à Turcis occupandam inſulam, niſi Pius detinuiſſet, tum litteris Apoſtolici feruoris, tum pecuniarum vi ex ſuo ærario, & vndequaque collectâ, adeò opportunè, vt ſeptimo menſe, noua arx quæ nomen à Valetâ habet, iuſtius à Pio, cujus expenſis conſtructa fuit, ſtetiſſet inexpugnabilis, & Turcam à ſecundâ obſidione deterruiſſet.

Neſcio an Reſpublica Chriſtiana firmius habeat Melitâ propugnaculum, aut Auſtriâ purioris fidei familiam & prouinciam: vtrumque verò bonum illi à Pio comparatum demonſtrat rerum ſeries à me enarrata, quæ Dominicanos docet non eſſe, vt obtendit Petrus, ita ſuæ feritate Eccleſiæ pernicioſos.

Quid de Pannonia dicam Germaniæ contermina? Illa etiam ingentia Pij in ſe beneficia prædicat: Nam vt ob-

mittam, audito Solimani in eam Prouinciam armorum apparatu, ad sociale bellum Principes Christianos impulisse, Commendonem legatum ad Cæsarem, & ferè ab omnibus destitutum iuuisse pecuniis, & auxiliaribus copiis, Principum Italiæ non contemnendis, & solemnibus supplicationibus, quibus nec infirmâ valetudine, nec caloribus maximis deterreri potuit, quin primus adesset: Atque Dei exorati argumentum non leue fuit, mors subita Solimani, triduo antequam Siguetum, quod longâ obsidione premebat, dederetur. Nihil potuit optatius Ecclesiæ contingere morte Tyranni, à quo sex quadraginta annorum cladibus fuerat diuexata.

Obseruat Lypsius tres Imperatoriis virtutibus summos Principes, Solimanum, Franciscum primum, & Carolum quintum, nisi eâdem ætate nati pares animo & bellicâ fortitudine, suos mutuò progressus intercepissent, magnam orbis partem occupaturos: sed vi fati sibi ad res magnas fuisse impedimento; vnde Solimanus Caroli quinti miratus fœlicitatem noluit cum illo prælij aleam experiri; veritus ne magis eius fortuna quam armis vinceretur: sed plus sibi à Pij precibus, quam à Caroli fœlicitate timebat, & damnum passus est, suâ ad Siguetum inopinatâ morte, quam ipsimet Turcæ in Pij supplicationes referebant: vt inde agnoscat Lector, hoc etiam posse inter merita hujus Dominicani recenseri.

Quandoquidem Aquilonis, vnde omne panditur malum, & Septentrionales ingressi sumus regiones in Poloniam, Prussiam, & ad Moscos vsque progrediamur: eò enim Pij nostri sollicitudo pastoralis fœlicitasque penetrauit. Et à Prussiâ quidem Catholicæ Religionis cultus, hæresi Lutheranâ depulsus, exulabat; & iuge sacrificium à Dantisco inter Europæ Emporia celeberrimo, planè defecerat. Verum Pij nostri zelo & authoritate suis fratribus templum & Cœnobium restitutum est, & collapsa Religio missis Concionatoribus cœpit instaurari; & quos in posterum habuit, progressus non pœnitendos in Pium referri oportet, qui primus occlusam ad Euangelium, & salutem viam aperuit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [307] - 287
PUBLIC DOMAIN

Sed plura maioraque Poloniæ, quam Prussiæ contulit beneficia: non dicam Moscum illi imminentem, missis eò solertibus viris, à consilio Poloniam aggrediendi deductum; vt fœderi contra Turcam communem hostem sese adiungeret. Non addam Sigismundum à pessimâ cogitatione curatum, sororem Imperatoris sterilitatis causâ, legitimam vxorem repudiandi, & nomine hæreticorum vrgendi Communionem sub vtraque specie. Satis fuerit monuisse authore & hortare Pio, Societatem in Polonia receptam, triaque illi à Rege extructa collegia, quæ tribus farinæ satis ex Euangelio iure comparauero. Vnde tot nata sunt in Societatem & in eam gentem bona; vt debuerit potius ea in se beneficia Dominicanorum prædicare Theophilus, quam illis feralitatem & damna Ecclesiæ imputare.

E Septentrione ad alias orbis Christiani partes cursum intendamus. Equidem Philippus II. tria Pio V. accepta referebat immortalia beneficia, Nauales scilicet de Turcis victoriam, filium vnicum Regni hæredem, copiosissimam in summâ ac longâ siccitate pluuiam. Poterat plura addere Hispaniæ, Indisque collata non minùs conducibilia, licet fortè minùs placerent, quòd suis iuribus aliquo modo aduersa censeret.

Hoc in vtroque Principe intimis sensibus, de præcipuis Religionis capitibus summo consensu conjunctissimis, planè mirandum est; quod de iurisdictione Ecclesiasticâ controuersiæ nihil amicitiam immutarint: difficile est enim inter mortales præsertim Principes, de rebus omnibus conuenire: nec dissimulandum est inter hos duos, quasdam querelas extitisse, quarum in altero causa fuit sanctum quoddam propositum corruptelas omnes è re Christianâ publicâ tollendi; in altero vero studium iura ditionesque, eo quo natus erat statu seruandi: quibus contentionibus adeò aberant ab offensione animi, vt Pius nuncio de ægrotatione Regis perlato, sublatis in cælum manibus diuinam clementiam implorarit, annos vitæ suæ contraheret illique adiiceret, quod eius vitam suâ, Reipublicæ Christianæ necessariam magis censeret.

Sed

Sed hæc nihil oberant quin decreta quibus ſub anathemate ludicra ſpectacula, in quibus Taurorum ferarumque congreſſiones in Hiſpania frequentiſſimæ, non ſine hominum cæde, grauique animarum damno fiunt, interdicta voluerit ad Hiſpaniam pertinere. Naſcenti Indorum Eccleſiæ accuratius conſultum eſt, vt nedum animorum, ſed etiam corporum alimonia abundè ſuppeteret, ne nouellis in Chriſto creaturis, vel minima in gentilitiam impietatem relabendi daretur occaſio ex duriore Chriſtianorum Imperio.

Sed ne æquitatis & ſapientiæ in gratiam illius gentis Pij decreta proſequar, luculenter demonſtratum fuerit in illius Eccleſiæ adminiſtratione, nihil potuiſſe magis Apoſtolicâ ſollicitudine & charitate dignum ſtatuere, quam Andreæ Ouiedo, Caſtellano, & Melchiori Carnerio Luſitano, ex eâdem Societate à deceſſore ſuo Iulio III. Æthiopiæ, Sinarum, & Iaponum Conſtitutis Pontificibus & Patriarchis, nedum confirmatâ, ſed auctâ etiam nouis priuilegiis authoritate, quâ egregiè ad earum gentium ſalutem in maximis ærumnis, ſeu quaſi ſui apoſtolatus inſignibus ex Franciſci Borgiæ Generalis Præpoſitione nouerat egregiè defunctos fuiſſe.

Hæc Theophilus & Catherius Dominicanorum in ſuos ſtudij teſtimonia meminiſſe debuerant, non fingere odij in illos Vatiniani, quæ nulla fuerunt, nec ipſi referre poſſunt. Quam verò ſint ab hoc teterrimo affectu alieni, ſolumque bonum commune, & fidei reſpiciant, ſi hactenus ignorarunt, docebuntur collatione eorum quæ idem Pius Patriarcharum ex ſuis gratiâ, & quæ in Toletani Archiepiſcopi cauſâ Barth. Carranzæ egerit: illos Eccleſiæ vtiles ornauit ſuis muneribus; cum hoc erroris ſuſpecto, ſummo iurè egit, eiuſque cauſam quæ duos ſuorum deceſſorum Paulum & Pium IV. exercuerat, ad ſe euocauit; & juſſit ſub arctâ cuſtodiâ cum ſuâ quæſtione deſcriptâ, Archiepiſcopum è toto Chriſtiano orbe illuſtriſſimum Romam perduci, & in Sancti Angeli arcem includi, ad eius cauſam dijudicandam & variis Congregationibus, quibus ipſe frequentiſſimus intererat, incubuit. Et licet ſolis coniecturis res vrgeretur, quas fortaſſe condo-

nasset extraneis, seueriùs illum habuit quod sui esset instituti. Atque hoc experimento verissimè dixit acerrimi iudicij Innocentius X. Dominicanos cum de rebus Ecclesiæ & fidei agitur, seueriſſimos nullis parere, nequidem suis, & illos seueriùs quàm extraneos habere.

De Galliâ, quid opus pluribus, cùm iam obseruatum sit, vnum illi Pium variis pecuniæ, militum, consiliorum subsidiis reposuisse, quidquid suorum decessorum multis sede Apostolicâ pulsis, aut inimicorum vi laborantibus contulerit beneficia, & quæ paucis perstrinxit Sixtus V. Elogio ad Pij sepulchrum marmori inscripto, his verbis: *Galliam, Carolo IX. Rege perduellium hæreticorum nefariis armis vexatam, vt de Regno, de cuius Religione actum videretur, Pius V Sforti& Comitis sancta Flora ductu, missis, equitum, peditumque auxiliaribus copiis, periculo exemit, hostibus deletis, victoriam reportauit: Regi Regum cum Religione restituit: signa de hostibus capta ad Lateranensem basilicam suspendit.*

Quibus verò Pius Cosmam Medicum Florentiæ Principem magni Etruriæ Ducis ornauit, auxitque, titulus & corona, præmia fuerunt peditum, Equitumque, quos Pontificiis adjunctos, rogatu Pij in Galliam misit, & trienniò stipendio aluit: nam cum Florentiam præcepisset Ducibus suas cohortes reuocarent, rogassetque Pius ad defensionem Regis Galliæ sineret, diutiùs ibi hærere: Dux accepto nuncio Pontificis, respondit: Non solum meos subsidiarios, cum Pontificis copiis quandiu voluerit Pius, in Gallia pro Catholicâ Religione permanere curabo, sed etiam eo iubente, operam in illo bello meam ei nauare, & quidquid ex ditionibus meis subsidiorum cogi poterit, promptè suppeditandum polliceor. Quod cum per litteras renuntiatum fuisset, oculos conuertit in Christi de cruce pendentis effigiem, iunctisque manibus, supplex Deum orauit ne permitteret, se è viuis excedere, dum in Cosmam de sanctâ Ecclesiâ optimè meritum, gratum animum testari licuisset. Nempe Sanctissimus Pontifex sibi imputabat beneficium, quod Galliæ periclitanti Cosmas contulerat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [310] - 290
PUBLIC DOMAIN

Nec Carolus IX beneficij magnitudinem dissimulauit, sed gratum animum multis argumentis contestatus, è quibus cæteris tacitis hoc vnum attingo. Post Longum cum Cardinale Alexandrino Nepote, & Legato Pij colloquium, quo de summis rebus actum erat, Rex è digito suo detracto annulo, cui adamas eximij pretij erat illigatus; accipe inquit legato, pignus hoc, Arrhabonem promissionis, fideique meæ quam tibi do, me à sanctæ Sedis Apostolicæ obedientiâ nunquam defecturum: & quæcunque sum pollicitus, aut exigit paternus in me affectus tui patrui, cumulatè præstiturum. Legatus, cui patruus iniunxerat abstinentissimas ab omni munere manus seruare, recusato annulo, omnino sibi esse ait tanti Regis testatam fidem omni pignore, omnique obside maiorem. At Pio ex humanis erepto Rex Cardinali annulum misit cuius in pala incisa erant hæc verba *non minus hæc solida est pietas ne pietas possit mea sanguine solui* Obmitto cætera Pij in Galliam beneficia, sanis consiliis, salubribus decretis, contenta, quæ plures eius corruptelas curarunt Inde enim me vocat Flandria.

Iisdem perduellium & hæreticorum quibus Gallia laborabat, vexata furoribus, quos tamen Dux Albanus multis secundis præliis, & Pij precibus, aliisque subsidiis munitus compescuit, ac ferè domuit Et cum Pius etiam erga immeritos liberalissimus, nunquam pateretur virtutem suâ laude & mercede fraudari; Albano tanquam de Ecclesiâ optimè merito, pileum ensemque decorè gemmis ornatos, ac Pontificiis de more precibus consecratos transmisit, quibus muneribus honoris, & grati animi causâ illustres Catholicæ veritatis deffensores ornare consueuerunt summi Pontifices.

Præter hæc communia Galliæ & Belgio, tum mala, tum malorum solatia, & remedia, non defuerunt vtrique loco Pij miracula. Nam vti in Galliâ contra Huguonotos ex Turcelino retulimus, visas nonnullis cœlestium Equitum turmas, qui Catholicis contra impios pugnantibus adessent: non est passus Deus id in Belgio ostenti genus desiderari, licet diuerso genere affulserit. Graues Authores litteris produnt, His-

panum militem ab Aurantio captum, arborique alligatum; vt illum milites hæretici æneorum tormentorum ictibus occiderent. Sed innoxia fuere prope infinita in illum proxime, certoque ictu disploſa; quo viſo obſtupefacti hoſtes, veſtibus exuerunt hominem; rati occultis quibuſdam armis, vel incantamentis communitum, quæ vim tormentorum arcerent. Sed nihil in eo præſidij repererunt, præter ſacrum Agnum è collo pendentem, ex iis quos Pius V. primo ſui Pontificatus anno de more conſecrauerat: vt agnoſcas Pium non ſolùm armis, aut conſiliis humanis, ſed maxime ope diuinâ & miraculis, contra inſenſatos fidei hoſtes pugnaſſe.

Sed quæ illum cæteras orbis Chriſtiani partes adjuuantem ſecuta eſt fœlicitas, videtur planè deſeruiſſe, dum Mariæ Scotorum Reginæ, & Anglis Catholicis ſæuitiâ Eliſabethæ oppreſſis auxilia parat: omnia enim videntur peſſum abiiſſe; fortè vt Chriſti vicarium agebat, eius exemplo quibuſdam ad reſurrectionem, aliis futurus erat in ruinam, & cum multas ad ſalutem prouincias iuuerit, videtur Scotiæ, & Angliæ excidium feſtinaſſe: & hinc creationis eius tempore Londini in Angliâ ſuper eam inſulam, tum Impiæ Elizabethæ Reginæ Catholicos perſequentis tyrannide oppreſſam; crinitus cometes per eos dies apparuit, igneſque de cœlo terribiles ac ſanguinei coloris, immanis præterea magnitudinis manus diſtrictum intentans gladium, minarum ac dirarum indicium: & mox intorquendi ab hoc Pontifice in eam Reginam, Apoſtolicæ poteſtatis gladij, eam vti hæreticam à fidelium Communione præcidentis, & omni regnandi iure ſpoliatam declarantis, haud obſcurum prodigium.

Scio Politicos noſtros in rebus Scoticis, & Anglicis grauiſſimè Pium criminari; quaſi præpoſteræ authoritatis appetentiorem: & forte eiuſdem erat opinionis ille Theologus, à quo ipſemet audiui, Pium V. munus pontificium corrupiſſe; ipſe eſt, quem mihi relatum eſt dixiſſe, ſe in D. Thoma deſiderare ſenſum communem. Quo ille ſit donatus, facile ex his duabus cenſuris præfractæ audaciæ, ne dicam impietatis, intelliget, prudens Lector. Cæterum ſummæ fuiſſet

nedum ignauiæ, ſed etiam inhumanitatis, deſerere Mariam Scotorum iure Anglorum Reginam, id eſt vnicam Iacobi V. ex ſorore primogenitâ Henrici VIII. orti filiam vnius Religionis Catholicæ causâ, fratris Nothi vi depulſam Scotiæ, & excluſam Angliæ regnis, quod ab auitâ Religione non pateretur ſe abduci, & ab Elizabetha Henrici VIII. ex pellice, id eſt, primâ vxore legitimâ ſuperſtite, poſt duo viginti annorum carcerem capite multandam.

Qua igitur æquitate grandi ſceleri imputatur Pio oppreſſæ Reginæ, duobuſque Regnis ſpoliatæ, quod auita Religionis tenax eſſet, commiſeratum; & eius iura bonis artibus tutatum fuiſſe? De quo Pontificis conſilio Philippus II. ad Legatum Pij Nepotem ſuum collachrymans aiebat; nullum vnquam hoc ipſo præclarius vel ſanctius compoſitum ſtratagema fuiſſe: ſed neſcio quo ſtatus iure, quod Pius diabolicum appellare ſolebat, atque vanâ ſuſpicione, ne Anglia recepta Galliarum Regno immineret Hiſpanus, factum eſt vt de rerum ſerie tota in deffenſionem Mariæ inſtructa, ad Eliſabetham referretur à nonnullis, politice magis, quam piè conſulentibus. Vnde totum in Mariæ caput recidit infortunium.

Vnum videtur eſſe operæ pretium Pij, quo Pontificatum abſoluit; niſi fortè moroſi illi cenſores vitio vertant, fœdus cum Hiſpano & Veneto initum contra Turcam, quamuis ſecus alij ſentiant, quibus res viſa eſt prodigio, quàm hiſtoriæ propior; hominem, vt loquitur Petrus, vepribus Scholaſticis ad feralitatem iunutritum; tentaſſe iſta, & difficultatibus infinitis cum quibus ſummâ vi & prudentiâ eluctandum fuit, ſuperatis, adeò inexpectatum euentum conſilia habuiſſe; quem pauciſſimis verbis Sixtus V. appenſo ad eius ſepulchrum elogio perſtrinxit. *Selinum Turcarum Tyrannum, multis inſolentem victoriis, ingenti paratâ claſſe, Cyproque expugnatâ, Chriſtianis extrema minitantem Pius V. fœdere cum Philippo Hiſpaniarum Rege ac Repub. Venetâ inito: M. Antonium Columnam Pontificia claſſi præficiens, ad Echinadas hoſtibus xxx. mill. caſis, x. mill. in poteſtatem redactis, triremibus clxxx. captis, xc. demerſis xv. mill. Chri-*

stianè à seruitute liberatis, precibus, & armis deuicit.

Et ne humanis, aliisque consiliis, quam Pij nostri, quis minus æquus in Dominicanos, aut inuidus hoc fœdus imputaret: licet maximam pecuniarum vim, aliaque præsidia apparasset; quibus successor potuisset facilius seruare, & prosequi quod ipse omni auxilio destitutus inchoasset, eo viuis exempto prorsus concidit; quasi non potuerit stare, nisi illius fœlicitate, cuius consilio, & prudentiâ fuerat susceptum: is enim ille erat qui suâ sapientiâ velut cælesti diffluuio, discordes animos in vnam Reipublicæ Christianæ poterat deffensionem iungere, & conciliare.

Istis incubuisse Pium vix excusarem, & illi Ardelioni, qui eum grauabat adulterati Pontificatus assentirem, si is belli distentus cogitationibus vacasset ab emendatione morum, à curâ salutis animarum, à suæ familiæ, & totius Ecclesiæ instauratione, ad Euangelij regulas exactissimâ. Sed audi, quid de illo scribat Sirletus Cardinalis ad Pontificatum sine inuidiâ, alieno studio, non suo æmulus, quo nullus suo sæculo melior, & doctior; denique Sancti Caroli sui discipuli iudicio Pontificatu digniſſimus.

Iam pridem resides animos, desuetaque corda
Ad pia facta Pius suscitat ore, manu
Quinti nomen habet, nulli pietate secundus
In calum recto tramite ducit oues.

Quid in illo desideres? An sui, suæque domus ad bonam mentem institutionis curam? In ea perinde totus fuit, ac si de extraneis, de juuandâ Galliâ, de Turcico Imperio euertendo nihil cogitasset. Lege quæ grauissimus Author, cuius hîc frequenter verba vsurpamus, scripsit libri 6. cap. 15. de domesticâ disciplinâ. Multo seueriorem præscripsit, quàm apud Carthusianos seruetur. Et apertis suarum ordinationum causis, adiecit *ad officium suum pertinere, domesticos omnes rectâ viâ ad suum finem deducere. Quamquam enim Princeps sum*, inquit, *antiquius tamen pastoris, & dignius quam Principis officium agnosco.*

Habet sæculum nostrum, habet Gallia domos Epi-

scoporum, quæ monasteria prouocent, & vnde moroſi quidam nimiæ damnant seueritatis: sed vix quidquam seruant, quod in suam non induxerit Pius, vt illum videantur imitari, eiusque nedum exempla, sed decreta toti Ecclesiæ constituta in suas Diœceses inuexisse. Quid enim effugisse putas eum, qui etiam ad minuta quæque descendat: quæ conqueruntur, aut rident nonnulli, nostros Episcopos suis Clericis præcipere, qualia sunt, ne cauponas aut tabernas, nisi longioris itineris causâ ingrediantur: ne cuiquam propinent, vel prouocati ad bibendum respondeant: sed sobriè, modestè, & castè, ex doctrinâ Apostolicâ viuant.

Illud mirari satis non possum, Pontificem tot distentum negotiis, tot bellis exhausto ærario; antiqua instauraſſe, vel noua excitasse ædificia ingentibus sumptibus, quæ recensèt Nominatus Author libri sexti cap. 3. quamuis alio loco vectigalia, ac portoria partim sublata, partim remissa, omnemque eiectam esse in rebus sacris pecuniæ conditionem referat: nullumque potentiæ, aut gratiæ locum relictum, spectatæ Religioni, ac virtuti tributa omnia, Episcopatus dignitates, & sacerdotia consideratè ac prudenter collata; ornatas viris Ecclesias, non hominibus, aut pensionibus oneratas; denique purgatam vrbem flagitiis, sublatas calumnias, nullam fœnoris iniquam conditionem permissam; non extrahi lites, sed maturo iudicio dirimi, diuina diligentius officia coli, frequentari conciones sacras, visitari hospitales pauperum domos, sacrosanctam, tum confessionem, tum communionem totâ vrbe maiore frequentiâ celebrari; ludos, commessationes, fabulas, ludicra certamina; ac cæteras scelerum occasiones obsolescere.

Sed vt modum rei infinitæ faciam; neget Theophilus Pium fuisse in familiâ Dominicanâ, & in scholâ D. Thomæ institutum, & ex animo vtriusque parentis, & magistri alumnum; vel desinat obstrepere inde homines non prodire nisi ad feralitatem natos, ad omne bonum ineptos, aut alienæ felicitatis, & virtutis inuidos.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

De Bartholomæi à Martyribus historiâ gallicè editâ aliorum, nostrumque Iudicium.

NOn adeò fœliciter res humanæ peraguntur, vt optima quæque omnibus probentur; nec iniquos censores, aut inuidos virtus interdum plures patiatur, quàm iustos inueniat sui æstimatores. Quamlibet elegans, pius, cultusque sit liber Bartholomæi à Martyribus, nuper gallicè editus; in multorum tamen, non vnius generis reprehensiones incurrit: à nullo quidem, quod sciam, in illo desiderata est elegantia; sed quidam nimium cultum in re piâ arguebant prorsùs immeritò, cùm parem elegantiæ vim, & grauitatem adiunctam habeat.

Verum his omissis, quidam iusto prolixiorem censent, alii breuiorem causantur; plures historiam vel confictam gratis, vel in maius auctam, & ad aliorum reprehensionem conscriptam suspicantur. Non est dubium quin Theophilus si viueret, parum Dominicanis æquus, ne tantum lumen, & decus illis accederet; aut ex nobis, inde in Ecclesiam redundaret; his censoribus assentiretur, aut fortè iniquius aliquid pronuntiaret. Sed cùm aduersa, & pugnantia sint, quæ retulimus iudicia; simul stare nequeunt: aliqua etiam, aut verius singula falsa esse constat.

Vnius quidem summi ingenij, ac paris apud nos famæ, ac scriptis alterius argumenti libris notissimus, prolixitatem arguebat libri; exemplo Plutarchi, qui Cæsaris, Alexandri, aliorum ex Græciâ, & Româ virorum illustrium vitas in breuiorem formam, quàm sit hæc Bartholomæi contraxit. Sed minimè conuenit comparatio Plutarchi cum nostro scriptore, instituto, & argumento dissimili. Plutarchum quidem Romam cum Græcia collaturum, plurium, ac ferè omnium quos vtraque gens tulit Ducum res gestas ad summam certaque capita reuocare oportuit: alias in infinitum cum cruce Lectorum hic paralleliſmus ab-

jisset: deinde alia est Ethnici, alia hominis Christiani institutio; ea illis eximia tantum æstimantur, modica minus vitio quam laude carent: at hominis religiosi interdum minima maxime imitanda sunt, & apud Deum immensam mercedem habent, ideoque ad exemplum minima scribi oportet.

Hac prima censura, vt dixi, hominis ingeniosissimi, alteram eleuat eorum qui breuiorem historiam, & multa ex Bartholomæo obmissa ægrè ferebant: atque his libri censoribus quidam me accensebant, quod à me absit; nam vt de me dicam, si cui harum partium, quæ vel prolixiorem, vel breuiorem reputant, esset assentiendum; illis accederem qui cum Lipsio id maxime damnant in modernis scriptoribus, quod minutiora sectentur, quæ parum historiæ maiestati conueniant. Deinde præter morositatem, ingrati animi vitio non caret hæc expostulatio mihi imputata, in authorem de nobis eò melius meritum suâ illâ elegantissimè scriptâ historiâ, vnde decus immortale in nostram familiam redundat, quò plures omnium æmulorum recidunt in illam accusationes.

Non nego aliquam huic suspicioni arreptam potius, præter meam mentem, quàm datam occasionem; quod vt multis obtrectatoribus, ex quibusdam nescio causis, quas nihil attinet referre, aut inquirere; huius historiæ omnium ordinum applausui, & gloriæ, quasi obstrepentibus, vel ficta esse; aut certè in maius aucta, reponebam, quod verum est, & modo probaturus sum, historiam Bartholomæi Lusitanam nihil à Gallicâ dissentire: nisi quod plura narret, vel obmissa prudenter à Scriptore gallo, quasi paulo seueriora, & à nostro vsu abhorrentia, vel ad nostros mores fuisse accommodata, & si quid peccatum fuerit, quod non facile admiserim, id non additione, & auxesi, sed detractione, & extenuatione, altioribus ad sensum nostrum demissis, aut rigidioribus mollitis contigisse.

Certum est imprimis, rerum maximum factum fuisse delectum, & quæ referuntur omnia esse singularia. Neque etiam conueniebat laboranti Scriptori rerum copia; qualis suppetebat ex Bartholomæo, cuius vir-

tutes, & laudes non facile est exhaurire, & exæquare; & prudentis erat authoris (qualem se hic non minus quam elegantem, & pium probat; tacito etiam de industria proprio nomine, vt hujus operis longè nobilissimi gloriam fugiat,) è multis selecta scribere; quæ vtiliora, gratioraque Lectori futura videbat: insolita verò quæ fidem sollicitant, ac penè vincunt; vt austeriora debuerunt, aut prætermitti omninò, aut molliri. Alia est enim additionis & detractionis, seu exaggerationis & extenuationis ratio: additio vix vnquam mendacij vitio caret, suppressio & reticentia interdum laudem meretur; Atque in hanc partem declinasse authorem sæpius demonstraui, vt illorum suspicionem amouerem, qui in alteram partem peccasse & Bartholomæo multa affinxisse, falso criminabantur. Idque aliquot exemplis quæ hic subjiciam euincebam.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Rigidiora multa prudenter omissa, aut mitigata in historia Gallicâ, ex Lusitanâ referuntur.

ID vnum vniuersim monitum Lectorem velim; Scriptorem Gallicæ historiæ vsum duntaxat Castellanâ, quod tardius aduenisset Lusitana, & penè ignotum illi esset illius gentis idioma, & fortè quæ hic scribimus in Castellanâ quam non licuit perlegere, desiderantur. Et quamuis illa haberet; nihil mali est obmisisse, iis de causis quas insinuaui; qualia & multa sunt hoc articulo, & altero de mendacij calumnia à nobis relata.

Ad primum caput nimij rigoris pertinent, quæ viro cuidam sibi conscientiam aliquo Religionis sensu percellenti, ne peccasset Pontificatu, quo tam accuratè defungebatur, abdicato; reposuit Bartholomæus me peccati maximi superbiæ damnarem, nisi meo loco sufficiendum eo digniorem me: & diligentiùs Pontificis partes obiturum, certo credidissem. In idem recidit

quod aduentanti successori iam deplorata salute se eo festinasse officij causâ, & vt se eius precibus commendaret, respondit se Deum pro illo rogaturum; quod maximè egeret. Mirum plane: quò ad cætera vrbanitatis verba, mutus cum esset, interjectâ precum mentione ad implendas Pontificis partes, inter moriendum vocalis factus est, & ad se rediit, quasi adhuc sentiret officij Pastoralis pondus intolerabile.

Aliud etiam habet historia Lusitàna, à Gallicâ prudenter obmissum; quod à nostro vsu abhorreat, Pontificiis litteris, quæ ad Concilium Tridentinum Episcopos euocabant, receptis, statim se itineri Bartholomæum accinxisse; nec consulto, aut salutato Rege; vel petitâ ad discedendum veniâ: nempe à Launoij opinione remotissimus erat, id genus potestatis habendi consilia, merè iuris esse Ecclesiastici, non politici; & ad summum Pontificem, non ad Principes pertinere. Sed vereor, ne ea de causâ Bartholomæum inter Romanæ curiæ palpatores reponat; quamuis hanc notam eluant, quæ ab illo liberrimè Pio IV. & V. dicta, aut scripta retulimus. Nec illo discessu Sebastianus Rex Lusitaniæ se inconsulto, & insalutato, offensus est; quasi suam, authoritatem læsisset; sed cursorem ad illum misit, eumque assecutus est Dominicâ Palmarum, occultato primatus titulo, in quodam Hispaniæ Conuentu cum Religiosis in claustro versantem, illique, stupentibus omnibus tanquam Archiepiscopo Braccharensi (quem priuatum Religiosum censebant) litteras à Rege tradidit, & mandata quibus non redeundum in Lusitaniam, sed negotia Regni in Concilio curanda iniungebat.

De reditibus multa habet historia Lusitana, quæ Gallicâ tacentur, fortè cuitandæ mentionis inuidiosæ pensionis, quam Henricus Cardinalis post abdicatum Archiepiscopatum, ante Regium aditum seruauerat, ferè tertiam prouentuum partem. Nam cum septemdecim millia nummorum aureorum vix excederet, vltra quinque milliâ numerabantur Henrico, plus etiam duorum millium soluebatur Archiepiscopi iudicibus. Vnde mirari subit, vix octo millibus nummorum aureorum, tot tantaque pietatis, & charitatis officia im-

pleuisse Bartholomæum : sed aliud magis mirandum occurrit, quod cum maximo in pauperes charitatis æstu arderet ; & potuisset reditus ferè duplo locupletiores iure colligere, & huic lucro bonis artibus comparando obtendere inopiam & subsidium egenorum, nunquam tamen de augendo prouentu cogitauit : causatus vix posse id fieri citra pauperum noxam, quorum leuamen auaritia prætexeret. Voluit etiam sua pascua, & syluas egenis patere : ægrè sine dubio laturus, se hominis Ethnici, & Cimonis Athenienſis charitate vinci ; de quo scribit Plutarchus Imperij sui compendia, quæ præclarè ab hostibus parauerat, præclarius impendisse in ciues, prædiis suis sepia detraxisse, vt & peregrini & ciues quotquot quærerent, liberè sumerent poma. Effusior, vti conueniebat fuit nostri Bartholomæi in pauperes, & in omnes liberalitas. Hinc mancipes redituum semouebat à locatione, quos nouerat austerius vi, & litibus colligere prouentus : eos enim censebat veluti lac sponte fluens, excipiendos non quasi sanguinem vi exprimendos & emungendos esse à principibus.

Neque id obmittendum, assumpto Regno Henricum Cardinalem Bartholomæo pensionem remisisse, ea lege vt dimidio eius voluntati permisso, ex reliquo partem vnam pauperibus Diœcesis, alteram collegio Societatis Braccharensis ; tertiam Collegio Portuensi eiusdem instituti elargiretur. Respondit Bartholomæus æquam esse distributionem, & à se probari, præter partem vltimam Collegio Portuensi addictam : quia non conueniebat, nec ipse passurus erat, Diœcesis Braccharensis prouentus aliò deportari : cum non deessent egeni, quibus impenderentur.

Prætermissa est etiam cogitatio quæ eius animum diù distinuit, cujus locum euulgandæ, & implendæ in Concilio Tridentino frustra quæsiuit ; redituum cuiusque Diœcesis seruatâ Episcopo parte modicâ, præcipuam, & maximam pauperibus addicendi.

Crucem quæ à natalibus congenitæ & insignis superiori parti manus impressa extabat, mirum est ac penè incredibile, toto viræ decursu ita diligenter occultasse ; vt nec amicis vnquam aperuerit, om-

neſque fefellerit, præter vnum Clericum, quo cum officium ſolebat recitare, & qui in defuncti corpore ſucceſſori viſendam præbuit. Res eſt, fateor, quæ penè fidem ſuperat: ſed id præter ſummam ex humilitate diligentiam vt Dei donum hominum oculis ſubduceret, perſuadet vſus Luſitanorum, fortè ab illo inductus, præter morem cæterarum nationum, qui etiam apud illos adhuc in noſtris Monaſteriis obtinet; vt togæ manicas non ad commiſſuram brachij cum manu, ſicut ſolent aliarum gentium Dominicani; ſed etiam ad manus demittant. Suſpicor hoc vſurpatum à Bartholomæo tegendæ Dei gratiæ & occultando inſigni crucis ſignaculo manui à natiuitate congenito.

Ad idem genus pertinet, quod etiam Luſitana narrat hiſtoria, & Gallica tacet: Matri Bartholomæum ſuo lacte alenti, vlniſque geſtanti veſte peregrina innotum occurriſſe hominem; qui diù paruulo blanditus Matrem monuit diligentius filium educaret; & pietate, ac litteris imbueret, magno Eccleſiæ olim ornamento futurum.

Obſeruatum eſt huius articuli exordio, quam ſubjicio Dominicanorum Pontificum triadem maximè paupertatis ſtudio conſentire. Hinc cum Pio non liceret extremam paupertatem præferre; Antoninus, & Bartholomæus huic affectui plura indulſere; & vterque hoc conueniunt, vt vnam tantum mulam alerent, eamque gratis datam: Bartholomæo Pius IV. ſuam donauit, ob egregiam formam, gradumque citiſſimum, nomine Aquilam, quam ad communes familiæ operas aſſiduo labore fatigabant domeſtici: & cùm ipſe in ſummâ grauitate, more gentis acutus eſſet, & iucundus; eam intuitus ſub graui, vilique onere lapidum, aut ligni, vel fimi, pabulandis arboribus, & horto ſtercorando ſudantem: heu miſella, inquit, Aquila quam diſpari domino ſeruis: rebare prioris dignitate te huiuſmodi laboribus eximendam; ſed mutata ſors irritam ſpem facit: ad pauperem pertines, in cuius domo ne fame conficiaris, non eſt parcendum labori. Iſta puto, hiſque ſimilia licet acumine & vtilitate non careant, prudenter ſemota ab hiſtoria, quæ Prælatis ſcribebatur. Eiuſdem generis eſt quod ſubiungo.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [321] - 301
PUBLIC DOMAIN

Visus est Deus primo Religionis tyrocinio ad vigilantissimi pastoris munus Bartholomæum comparasse, acri contra somnum, in quem à naturâ procliuem se sentiebat, dimicatione, quâ nullâ durior visa est Diuæ Catharinæ Senensi. Itaque à primo nouitiatus anno per totam vitam vasculum aquâ plenum ad caput lecti seruabat, oculis ad depellendum somnum abstergendis, & ceruicali has duas litteras grandiori caractere S. B. legendas inscripserat: quibusdam nomen S. Bartholomæi interpretantibus, respondit mentem suam non attigisse; sed iis significari: Surge Bestia: quibus verbis quasi quibusdam stimulis acribus se se excitabat à somno, quo nullius corporis infirmitate magis ad brutorum gradum infimum prolabimur.

De Eleemosynis multa præclara sunt recitata: hæc duo obmissa, non pigebit audire. Solebat ex iis, quæ sibi ad mensam ministrabantur quam libet modicis, dimidiam pauperibus partem præripere; quod eleemosynæ, inquit, sint etiam ex necessariis ad victum decerpendæ, & erogandæ. Abdicato Pontificatu, dum priuatam vitam ageret singulis diebus dominicis, & festis quamdiù per valetudinem licuit, circuniecta loca, & mapalia circumcursabat, cathechisandis pastoribus, & rudibus Id ab illo factitatum obseruat Sousa, quod non crederet se posse saluâ conscientiâ otiosum pensione à summo Pontifice constitutâ ali; nisi nouo hoc labore comparatâ: quasi nihil hactenus Ecclesiæ causâ egisset. A modicâ pensione, parte ad victum, & vestitum excepta, quod supererat in pauperes solebat peracto Sacro sedens ad vnam chori sellam partiri, extensa in pauperem manu, & oculis in cœlum sublatis. Cuius rei causas pie, & acute inquirit Sousa prætermissis aliis, has duas insinuabo: cælum non pauperem dum eleemosynam elargiretur ait inspexisse, vt vercundiæ pauperis parceret, quem fortè pudebat suæ egestatis, & ne ipse à rectâ in Deum intentione, vel minimum deflecteret.

Quando quidem Sousæ elegantis sua lingua nostræ familiæ scriptoris iniecta est mentio, iis quæ de illo narrantur præfatione ad historiam Bartholomæi singulariſſimis, vnum addam, quod non pigebit au-

dire, & nuper referebat, vix Religiosus exceptum ore, & fide Sousæ Cottini ab aliquot annis apud nos, & Romæ Regis Lusitaniæ legati, & nostri Sousæ nepotis. Philippo II. noui Regni nullo sanguine comparati firmandæ possessionis gratiâ, per ciuitates Lusitaniæ discurrenti ad oppidum, quod Centarens vocant, Regius hospitiorum designator præiuerat, & palatium quod eo loci habebat Sousa, ipso inconsulto, vt solet, creta notauerat, & addixerat alicui procerum ex Regio comitatu. Hunc morem Lusitanis ignotum, & insolentem sub gentilitiis Regibus, qui patres familias potius quam Dominos, aut Reges agebant obstupuit Sousa, & indignatus est. Quid hoc, inquit, noui est? Nostris domibus expellimur, quas nobis inuitis, incolant alieni. Itaque libertatis studio quam hoc noui Regni exordio minutam ægrè ferebat, conuasatâ omni supellectile, Palatio ignem iniecit. Paulo longius ab argumento me euocauit huius rei insolita mirabilitas, non omninò ab instituto, & à nostrorum Præsulum triade aliena. Sed quæ sunt historiâ Gallicâ prætermissa & magis ad rem faciunt, absoluamus.

Paragraphvs Vltimvs.

Cœnobiticæ virtutis Bartholomæi cum Pontificiâ cognatio.

IAm monui ea Bartholomæi historiâ Gallicâ nihil supra verum additum, omnia summâ fide narrata: sed cum suppeditaret illustria omnis generis exempla, interdum paulò rigidiores, & à nostris moribus remotiores virtutes, nostris vsibus accommodatæ sunt, aut omninò prætermissæ: E multis huius generis hæc pauca colligo non omninò contemnenda. Iam à puero illum quasi vas electum, & lumen Ecclesiæ Deus parabat, & priuatis infantiæ, & vitæ Cœnobiticæ virtutibus, Pontificio proludebatur; adhuc Adolescentulus poterat cum Iobo gloriari, oculus fui cæco, & pes claudo, & quod de Scipionum familiâ narrant, illius glo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [323] - 303
PUBLIC DOMAIN

riæ, & magnitudinis initia ſumpta ab vnius in partem officio; quem cæcum ductabat, fulciebatque; vnde omnibus ex eo natis Scipionum nomen adhæſit. Id obſequij præbebat Bartholomæus Auo grandæuo, & cæco, quem ſingulis diebus bene mane dum ad ſcholas ibat, in Eccleſiam deducebat; vbi ſacro, aliiſque pietatis exercitationibus idem temporis quod Bartholomæus in Scholæ ſtudio impendebat, & lectione peractâ, ſcholâ emiſſus conueniebat Auum, & ab Eccleſia domum reducebat; atque hac in Parentes charitate, vitæ Cœnobiticæ vti ac Pontificiæ aſſueuit. Vtriuſque verò generis virtutum cognationis, præter plura quæ vel iam attigimus, vel in hiſtoriâ Gallicâ leguntur, viſum eſt, hæc prætermiſſa obſeruare.

Primum auulſus, & vt ipſe loquebatur, ab Ordine expulſus, quem Magiſtrum nouitius habuerat Ioannem Leriam in Vicarium generalem Diœceſi, & ſuæ familiæ, ſibique ipſi Præceptorem, & Pedagogum præfecit. Quamuis enim in virum perfectum adoleuiſſet & Eccleſiæ Principem, non puduit tamen infantiam Euangelij perpetuam profiteri, & ſeruare, & conſcientiæ rectorem habere quem nactus fuerat puer in Religionis incunabulis Patrem, & Nutritium: deindè Granatenſis imperio adactus ſe ſubjicere oneri Pontificiæ adminiſtrationis, illum, omneſque ſecuturos Prouinciales enixè rogauit, ſe ſuamque familiam perinde ac Monaſteria, & Religioſos eorum permiſſos curæ viſitarent, ſuas culpas emendandi cauſa. Sperabat enim ſe nunquam eo cæcitatis deuenturum vt obmiſſâ Dominicani profeſſione, illorum imperia, & emendationem detrectaret.

His duobus tertium adjungo ſuperioribus conſentaneum: cum Prouincialis nomine Stephanus Leitan, vir magnæ eruditionis, & famæ, honoris causâ Sanctum Præſulem adiuiſſet, id vnum monendum habuit, mitius ſecum ageret, parceret laboribus nimiis, quibus niſi modum adhiberet ſuſtinendis impar, breui eſſet conficiendus. His auditis quaſi reus humi ſe dejecit, veniam poſtulaturus: quo exemplo obſtupefactus Prouincialis, ipſe etiam ſe toto corpore proſtrauit, & tum inter jacentes orta eſt humilitatis contentio

quis

quis alteri assurgere iuberet, nec cessatum est à disceptatione, nisi eâ lege vt pariter eodem momento vterque sese erigeret. His adiungo aliud maximi exempli, quod omnes imitari possint: cum visitationis labor perpetuus interciperet exercitationes vitæ Cœnobiticæ, certumque tempus de more impendendum meditationibus, & opportunitatem loci flagello, vt solebat, corpori macerando præriperet; visitatione defunctus, Bragamque redux, dimissis ad leuandum laborem domesticis, ipse per aliquot hebdomadas in Conuentum Franciscanorum ad suburbium se recipiebat; vt quem putabat interceptum, aut retardatum ad sanctitatem cursum intenderet: & fatigatum itineris, & visitationis laboribus animum rerum cœlestium contemplatione reficeret.

Omnes obseruationes hac vltimâ concludo: summis viris seu sacrâ, seu humanâ politicâ, aut militari virtute præstantibus, ad supremum gloriæ fastigium prouectis, vnum quo crescant supereſt; ne solitariâ magnitudine potiantur, suæque virtutis alios consortes faciant. Hoc in nostro Pio, & Bartholomæo decus non est quod desideremus: illorum familiam magnorum virorum scholam, & sanctitatis seminarium iure dixeris: nec Ecclesia ac Lusitania sanctiores, & ad omnem administrationem Ecclesiasticam sapientiores habuere; quam quos suo iudicio delectos, documentis, & exemplis Pius & Barth. imbuerunt. Quare S. Carolus Boromæus Epistola ad Bartholomæum à Martyribus ità habet: *Quid de me dicam, cui in conspectu animi semper ades? Et propter excellentem in omni genere virtutis laudem vnus mihi ad imitandum propositus: meæ quidem opinio, & cum opinione consentiens, hæc vna est oratio; nihil esse in Archiepiscopo Braccarensi quod absit à summis laudibus: vt non modo istius Prouincia, sed multarum præterea Regionum integritate, & virtute esse primarius videatur.*

Hæc ex Lusitanâ historiâ ab aliquot annis lectâ, memoriæ hæserunt; quæ veluti ex copiosissimâ messe, & vindemiatione historiæ Gallicæ spicilegium; & racemationem collecta, do tibi Lector. Hac digressionem boni vt spero consulturuses, cum præter vtilitatem, de-

lectationemque ex tot virtutum luculentiſſimis exemplis, duæ depellantur criminationes: vna à Bartholomæi Gallicâ hiſtoriâ, quaſi illi ſupra verum multa affingat: & inſtar pædagogiæ Cyri non geſta tradat; ſed facienda præſcribat. Nos contra demonſtrauimus, omnia ex vero, pleraque infra verum prudenter ad fidem faciendam, & ad imitationem commodiorem, eſſe delineata: & virum ſupra omnem admirationem euectum, ad mediocritatem deductum, ne virtutis magis deſperationem faciat, quam deſiderium. Altera, quam hac digreſſione depulimus criminatio ex Theophilo, Familiam, & Scholam noſtram petit; quam vepribus tantum ſcholaſticis ad feritatem, ad bonorum odium, & inuidiam, ſuos inſtituere contendit. Illi tamen ægrè fidem habebunt, qui has noſtras in Triadem Pontificum Dominicanorum obſeruationes relegerint.

Sed iis confirmandis, omninò ſoluenda eſt difficultas quæ penè exciderat, & commodùm occurrit expedienda ad leuamen non nullorum, quibus ſtudioſioribus obſeruantiæ noſtrarum conſtitutionum non leui offendiculo fuit: duobus aut tribus hebdomadæ diebus carnes quarum vſum prohibent leges noſtræ, guſtaſſe Bartholomæum à Martyribus: cui addere poſſumus Pium: nam de D. Antonino non vrget obiectio, nec quid ſimile de illo legimus. Igitur mirum illis, ac ſtupendum, & ſcandalo propius videtur Dominicanos nedum virtutis, ſed etiam ſanctitatis, & perfectionis exactiſſimæ ſtudioſiſſimos, qui vbique chariſmata meliora æmulabantur, perpetuam à carnibus abſtinentiam noſtris Conſtitutionibus indictam, non ſeruaſſe ad vnguem, omni diſpenſatione ſublatâ, quod illorum gloriæ obeſſe, eorumque ſtudio, qui vitam regularem totis viribus inſtauratum eunt, nocere putant, & fauere laxioribus qui diſpenſationes vſurpant, & tutantur.

Hoc offendiculum Souſa cui noſtra diſciplina notior erat, & antiquior quam aliis Bartholomæi vitæ ſcriptoribus, accuratè amouit. Id iam diximus à Pio factum ob perpetuos ex calculo dolores, quibus ſedandis, aut ne exaſperarentur cohibendis, vno ve

altero hebdomadæ die carnibus vtebatur, quibus per aduentum & quadrageſimam etiam æger ſibi interdicebat. Nec Bartholomæum minus quam Pium obſeruationis ſuarum Conſtitutionum ſtudium inceſſerat: ſed diuturni quod tibiam exedebat, & ſalito cito exaſperabatur, vlceris non tam ſanandi, quam cohibendi ne graſſaretur causâ, tribus hebdomadæ diebus modico & vili carnium edulio vtebatur: Et vt agnoſcas neceſſitati conſultum, nihil indultum voluptati, eadem hiſtoria Luſitana obſeruat; licet Bracharenſis Regio altilibus abundet, & omni genere cupediarum, vilique pretio vendantur; nunquam paſſùm menſæ apponi, & ſemel Perdicem dono datam iuſſiſſe ſemoueri, & pauperi ac ægro deferri.

Vtinam tota Religio Dominicana inſtauraretur, & ſeſe componeret ad horum duorum Pontificum exemplar. Quid enim mirabilibus? Quid imitandum magis? Quid efficacius iis qui vitæ regulari ſtudent, confirmandis, animandiſque, vel iis qui cùm corpore valeant, nec vllam poſſint obtendere infirmitatem, ſibi lineorum, & carnium vſum indulgent, pudefaciendis accommodatius excogitari poteſt, iis quæ ex Pio V. retulimus; grauiter conqueſtum, quod jam morti proximo carnes cibo ſuo admiſcuiſſent miniſtri, & induſium laneum lineo mutaſſent, nec conquieuiſſe niſi reſtitutâ laneâ ſubuculâ, cui tanquam legitimus D. Dominici filius immoreretur; ne dubitaremus totum ex animo vixiſſe, & mortuum fuiſſe Dominicanum: neque hoc affectu illi deceſſit Bartholomæus, qui nullam imminutionem diſciplinæ Cœnobiticæ admiſit, niſi grauis vlceris comprimendi causâ, omne voluptatis lenocinium ſemper deteſtatus.

ARTICVLVS QVINTVS.

Altera comparatio de relitteraria cum extraneis.

HÆc quidem sufficerent refellendæ accusationi Petri de inuidiâ Dominicanorum in suos ; neque erant necessaria hominibus sui instituti : quia ex illo omnes modestè de se, & præclarius de aliis sentire nouerunt. Sed cum gloriatio Theophili ascendat semper, & se suaque attollat (vt nobis ipse improperat) supra omne quod dicitur doctum, & extinctas penè scientias & artes velit primum à suis instauratas : visum est hanc illi cogitationem verissimis argumentis eripere, progressu scientiarum hoc nostro sæculo & duobus superioribus ex certa historia aperto.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De progressu scientiarum ex Constantinopoli & Pompeiopoli captis.

NEscio, an hoc sit ab vllo hactenùs obseruatum ; quod notaui, & modò subjicio. Quidquid à trecentis annis rei litterariæ accessionis factum est, videtur à duarum Vrbium expugnatione natum. Constantinopolis à Turcis capta, & Pompeiopolis à Gallis ; suo infortunio & suâ ruinâ Europam fecêre feliciorem, aut certè doctiorem. Nam Græcorum doctissimi à Barbaris patriâ pulsi, Theodorus Gaza, Argyropylus, Georgius Trapesuntius, Bessario, aliique plurimi in Italiam venêre, vt inde barbariem, ac subinde è Germania, & è Gallia expellerent. Excepti fuerunt summâ humanirate, & liberalissimè habiti à Pontificibus Romanis, à Principibus Italiæ maximè à Mediceis, & à Valesiis Regibus Galliæ : humaniores literas, & præcipuè Græcas docuerunt, cum summo applausu, cum incredibili frequentia & fructu auditorum. Atque ex eorum scholis prodière innumeri viri ingenio, & erudi-

tione, & eloquentiâ præstantissimi: quales fuerunt in Italia Beroaldi, Manutij, Pici, Ficinus, Politianus, aliique plures, qui in hujus postremis epistolis concentum faciunt omni harmoniâ gratiorem; de quibus ait Erasmus, eorum admirator, prorsùs sæculo Ciceronis non futuros elingues. Hos secuti sunt Bembus, Sadoletus, Paulus Æmilius, aliique Itali; qui visi sunt plures Italiæ Ciuitates in Athenas mutasse, quò ex omnibus Europæ partibus, ex Holandia Erasmus è Lusitania Hieronymus Osorius, è Gallia Socinus Prouinciæ Tolosæ inquisitor, aliisque plures confluebant, vt è Magistris fierent Italorum discipuli, & inde eruditionem atque eloquentiam haurirent, quam ad suos deferrent. Neque enim se Italiæ finibus cohibuit hic litteratum progressus; Suos habuit Gallia Budeos, Turnebos, Muretos: Belgium, Longolios, Agricolas, Langios, Lipsios. Germania etiam non caruit suis ornamentis, à quibus abstineo, ne mihi fraudi sit laudasse hæreticos, & in hostibus virtutem fuisse admiratum: Anglia habuit Roffenses, Moros, Alanos Copos, Sanderos, &c. Parum abest, quin dicam de hoc primo litterarum progressu à Constantinopoli captâ: *Quàm pulchra est casta generatio, cum claritate!*

Neque hæc rei litterariæ acceſſio intra Artium, aut Scientiarum humanarum fines se cohibuit: exundauit etiam in Theologiæ, & rerum sacrarum consultos. Hinc Bembi & Sadoleti Purpurati, Contarini Veneti; hinc Hosius, hinc Hieronymus Osorius, aliique innumeri Cardinales, & Episcopi, qui Purpureæ, & Pontificiæ dignitati eloquentiam cum eruditione conjunxêre: Hinc, vno verbo, confessus ille Augustissimus tot Patrum, tot Theologorum Concilij Tridentini; in quibus, nescias, quid mirêre magis, an grauitatem & sanctitatem illo gradu dignam, an eruditionem & rerum vel humanarum vel sacrarum peritiam. Hi omnes quidquid scientiæ aut eloquentiæ habebant, his acceptum referebant, qui primi Constantinopolitanam captiuitatem euaserant; quia nulli aderant instituti ab his, qui Pompeiopoli prodiere, si duos excipias, Laines & Salmeronem.

Venit mihi sæpiùs in mentem, si Concilium Oecumenicum hoc nostro sæculo habendum esset; an factâ etiam secundâ accessione rei litterariæ, tot, & tanti viri ex variis Orbis Christiani partibus possent euocari, qui Tridentinos Patres meritis, & omni scientiarum ac laudum genere vel æquarent vel superarent. Si Theophilum audiamus, non est dubium quin superaturi sint: quandoquidem credit à Suis barbariem, insciciam, & tenebras depulsas, & omnium scientiarum lucem inductam. At si magis nostris oculis, quàm eius verbis fidem habeamus; certè nescio, vndenam aduocandus esset iste confessus, qui Tridentinum superaret. Nescio an Patres Augustiniani haberent vnum Seripandum, qui præesset: an Polonia posset mittere alterum Hosium, Hungaria Dudicium Quinque-Ecclesiarum Episcopum Nescio an Franciscani haberent Andream Vegam, Michaëlem Medinam, & alios paris eloquentiæ & sapientiæ Theologos. Duo possum certiùs asserere. Primùm è Lusitania non venturum Paiuam Andrada, qui eloquentiâ & eruditione posset Lutheranos lacessere, & Chemnitium ad certamen prouocare; neque Bartholomæum à Martyribus, qui multa paucis diceret; neque Casalium Augustianum, qui posset scribere Opus de quadripartita iustitia, vel qui adeò esset exactæ paupertatis tenax, vt timeret dare fratri pauperi centum nummos aureos citra licentiam Summi Pontificis,

Quod ad nos attinet, cùm sine cuiusquam offensione liceat inopiam nostram aperire; nisi potestate Diuinâ donemur è lapidibus suscitandi filios Abrahæ, nescio, vnde Theologos supra viginti octo præter 6. Archiepiscopos & Episcopos 17. pares numero & meritis, his, qui Concilio Tridentino interfuerunt, vocare possemus; & quæ nobis Regio daret Sotos, Canos, Forerios, Naclantos, Leonardos Marinos, & alios istis sapientia & pietate æquales; nec video hanc sterilitatem, & inopiam ita nobis singularem, quin etiam plures Ordines, aut Regiones eâ laborent.

Quæro in Italia Bibliopopolas eruditos, vt Manutios, è Gallia Ascensios, & Stephanos: Quæro Hermolaos, Barbaros, Picos, Iacobos Antiquarios: vel

nulli omninò extant, vel seſe hominum oculis subduxêre. Videtur ergò secunda rei literariæ accessio inferior esse primæ: nisi fortè dicas viros doctissimos per varios Ordines ad diuersas professiones sparsos in vnum corpus Theophili coiuisse, quod habeat, qui sufficiant ad plura Concilia Generalia, quos frustra alibi quæramus. Sed licet huius temerariæ responsionis posset Theophilus esse author, non puto prudentiores eius instituti illi assensuros: quia agnoscerent Prouinciam sibi datam corrupisse. Cùm enim constituti sint ad Ecclesiæ & Reipublicæ bonum, vt instituant ad bonam mentem & ad scientas, qui societatis sacræ aut humanæ ministeria obituri sunt; si optimos quosque sibi seruarent, perinde agerent, ac nutrix, quæ vim sibi vindicaret ad proprij corporis alimentum, & alumnum pateretur fame tabescere. Non puto hoc absurdum cum Theophilo concessuros è Societate sapientiores: sed fortè contendent se plus ornamenti & lucis omnibus scientiis & artibus contulisse quàm primi, qui ex Europa barbariem expulerunt: verùm hoc etiam illis non facilè concedam, & præter argumentum, quod ex Concilio Tridentino desumpsi, quo arbitror, me propositam quæstionem confeciſſe, addam alia argumenta apertiora.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Exclusis Etherodoxis, instituitur comparatio cum Catholicorum peritis.

IMprimis, vt demonstrem incrementum ex prima accessione æquare omnibus partibus quod ex secundâ rei litterariæ accreuit; nolim in hac disputatione grauissimâ etiam velut auxiliaribus copiis, vti illis, qui ab Ecclesiâ Romanâ desciuerunt. Nihil eorum quæ scripserunt hæretici, non solùm ad sui erroris defensionem attingam; sed neque etiam quæ vel indifferentia sunt ad fidei controuersias, quales sunt libri qui ad artes vel scientias humanas pertinent; neque etiam illa, quæ aliquid lucis conferre possunt ad Scri-

pturæ ſenſus, & ad myſteria religionis. Cùm enim Scriptura ſacra triplicem ſenſum admittat ſecundùm vulgarem diuiſionem ſenſus Literalis, Moralis, & Anagogici: quam D. Bonauentura Animæ facultatibus, & Philoſophorum Sectis ita accommodat, vt dicat ſenſum Literalem reſpondere Rationi, quæ verum inquirit, & docet; Moralem appetitui Iraſcibili, quo bonum ſectamur ſuperatis difficultatibus quæ aditum ad illud impediunt; Anagogicum Concupiſcibili, qui bono delectatur: & iuxta hanc hominis perfectionem velit idem Bonauentura, inſtitutas tres Philoſophorum celebriores Academias; Peripateticorum, qui ad ſenſum quaſi litteralem vnum verum inquirunt & cujuſque rei naturam; Stoicorum, qui vni Morali vacant ſolâ virtute contenti; & tandem Platonicorum, qui Boni æterni non ſolum cognitione, ſed etiam guſtu delectantur.

Licet hæretici hunc vltimum ſenſum Scripturæ Anagogicum negent, aut non capiant, quem maximè cum Dionyſio Myſtica Theologia ſectatur; tamen, quò ab iſto remotiores ſunt, quia Diuina non guſtant, eò ſunt ſubtiliores in aucupando ſenſu Scripturæ Literali, aut Morali: Et ſi ſtudium partium ſubmoueas, quo ſæpiùs cæcutiunt ad apertum plurium Scripturæ locorum ſenſum Literalem; quoad alios à controuerſiis ſemotos, interpretationes habent adeò genuinas, vt ipſimet Catholici, tacito Authorum nomine ſibi eas vindicent, atque illis glorientur tanquam à ſe inuentis. Plurima poſſem afferre exempla huiuſmodi piorum furtorum: verùm abſit vt Catholicorum gloriam hæreticorum causâ inumbrem. Hoc tantùm dixerim: ſi ineatur numerus librorum quos hæretici, vel in Scripturam, vel de rebus Theologicis & humanis ediderunt; ſi verborum delectus & elegantia ſpectetur; ſi quælibet alia ſubtilitas extra Theologiam Scholaſticam, & Moralem, quam Caſuum vocant; ſi denique dotes omnes, (ſemotâ fidei ſinceritate) quæ ad Encyclopædiam ſcientiarum pertinent: conficies Bibliothecam, non diſparem numero librorum, & fortè eloquentiâ ſuperiorem illâ, quâ Petrus gloriatur, & ſeſe ſupra Catholicos omnes effert; ſed immeritò. Nam

reiecto illo hæreticorum auxilio, quamuis plurimùm huic cauſæ prodeſſe poſſet, citra vllam Fidei noxam: his (inquam) prætermiſſis, aliud obſeruandum aggredior, & Catholicos cum Catholicis committo, idque defendo primæ acceſſionis Conſtantinopolitanæ partus, aut diſcipulos, nec numero, nec præſtantiâ operum, filiis ſecundæ decedere, & multis etiam partibus ſuperare.

Quâ enim re vis, Theophile, contendere? An verſu & carmine ſeu Epico, ſeu Dramico, & cuiuſcumque ſit generis? An prosâ, ſeu hiſtoriam ſcribas, ſeu epiſtolas, ſeu orationes, aut, ſi velis, mixto quodam genere, quod cum proſa Poërarum lenocinia miſceat? Vis-ne certare commentariis in Scripturam, vel de rebus Theologicis, quà latè patet per omnes partes hæc ſcientia, vel etiam de rebus Philoſophicis? Nam præter has enumeratas partes, quæ ad ius Ciuile pertinent, parcè, aut nullo modo tui ſcriptores attigêre; ſicut etiam ea quæ ſunt artis medicæ: ac proinde non puto te ita deſipere, vt velis tuos Scriptores numero, elegantiâ, & profunditate librorum contendere cum Cuiacio aliiſque Iuris conſultiſſimis, vel cum Fernelio aliiſque artis medicæ profeſſoribus doctiſſimis. Itaque contineo me intra metas ſcientiarum, quas conuenit tractari à Religioſis, qui docent publicè, & habent Academias: in nulla harum artium quas profitemini, puto vos primos eſſe; & in omnibus credo vos vbique pares, imò fortè ſuperiores habere, idque à Conſtantinopoli capta. Neque enim auctores, qui anteceſſêre, ad hoc certamen vocare mihi permitto, in ſubſidium cauſæ omnium Ordinum contra priuatum hominem, qui vult ſibi primas partes aut ſolas prorſus vindicare.

Vt à proſa, & ab hiſtoria incipiam; fateor, Maffæum, Orlandinum, Turſelinum, Marianam, optimos Hiſtoricos eſſe, quibus vltimum ex eâdem Familiâ Stradam æquo: ſed planè te tui amor excæcaret, ſi innumeros illis pares, aliquot etiam in hiſtoriâ ſuperiores negares. Parium numerum non attingo, omiſſis etiam hæreticis; quia eſt infinitus, etiam Catholicorum: quales ſunt Bentiuolus, Guicciardinus, Dauila, Thuanus, aliique innumeri è Gallis, Belgis, Germanis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [333] - 313
PUBLIC DOMAIN

Italis, qui accuratissimè historias scripserunt. Parem ne habes Baronio? Fortè dices Salianum? Ita est: sic tamen, vt perinde merito differant, sicut argumento, id-est, sicut Testamentum vetus, cujus historiam scripsit Salianus, à nouo, à cuius institutione suos Annales exorsus est Baronius.

Quem mihi dabis tuorum parem Philippo Callimaco, cui primas dat Iouius inter Historicos huius temporis, & (quod mirêre) iudicio acerrimi viri & æmuli, hanc summam laudem sibi comparauit duobus tantùm libris, de rebus Hungaricis; ex quibus, sicut Lipsius dicit de Salustij fragmentis, illum admirari possis magis, quàm nosse. Sed omisso Callimaco, veriùs historiæ modernæ Princeps est ex sententiâ Lipsij Paulus Emilius, qui vnus veram historiæ viam, vidit, strauit, & calcauit; qui dicta habet paria Antiquis: & si aliquas labeculas tollas, *dabo*, inquit Lipsius, *virum supra omnem istam nouitiam & ad priscam laudem*: Cuius verba non dubitauit Mariana, aut potiùs loca integra tacito nomine in suam historiam transferre; quod illi vitio non verto, quia noluit mutare, quod æquare non poterat. Quid de Hieronymo Osorio dicam, etiam inter Oratores memorando? Scripsit de eodem argumento cum Maffæo, iudicent eruditi, vter vtrum superet. Nec prætermittam nostrum Alphonsum Ciaconium Dominicanum, qui Pontif. & Cardin. historias omnibus aliis accuratiùs descripsit, ac primus (quoad Cardin. saltem) aliis viam aperuit.

Nec feliciùs pugnabis de eloquentiâ epistolari, aut oratoriâ. Pauciſſimos vidi, qui orationes ediderint, & præter Perpignanum, Bencium Franciscum Raymundum Gallutium, & Stefonium, nullum alium legi ex Societate oratorem: epistolas verò nullas, nisi S. Xauerij à Turselino, puto, latinè redditas. Sed quid hæc omnia, ad Epistolas ne dicam Erasmi, Henſij, Grotij & aliorum Hetherodoxorum Orationes: quid ad Muretti, quo Henſius fatetur à sæculo Ciceronis nullum vnquam puriùs & magis Latinè scripsisse? Concedit Cardinalis Palauicinus Muretum, & alios, vt Sadoletum, Manutium, &c. delectu, & compositione verborum magis Ciceronianos esse, quàm suos, non ta-

men viribus, lacertis seu masculâ eloquentiâ, quem verum Ciceroniani characterem esse statuit, & illi assentio. Sed velim mihi huius Tullianæ eloquentiæ è suis Oratorem designet, quia nullum hactenùs vidi, qui æquet Christophorum Longolium Belgam, quem dicunt sub militari veste Romam accessisse, vt de Romana eloquentiâ Italis bellum indiceret. Vix etiam vllum legi Politiano parem in Epistolis: & si quis velit rem ad examen vocare, seligat epistolam ad Ioannem II. Portugalliæ Regem, re & nomine Principem perfectum; vel quâ Gasensis Theologiæ consulti conciones describit. Vnde hac parte nil video, quo gloriari possis, Theophile.

Multò minùs de te, vel de tuis altè senties; si Poëtices comparationem ineas cum extraneis. Nihil dico de carmine Epico, aut Dramico, patriâ linguâ scripto; quia non puto ita te cæcutire, vt velles vllum tuorum ex Italis, vel vmbram habere Tassi, aut ex Gallis Ronsardi, & Cornelij, aut ex Hispanis Lopes de Vega, & Camois Lusitani. Quod ad Latinum carmen pertinet, licet aliqui ex tuis, musis non inuitis scripserint, vel Tragædias, vt Petauius, Stephonius, Auberius; vel Elegias, vt iste & alij, vel Epigrammata, vt Vidermanus: Sed quid hæc sunt, præ tot Poëmatibus, tot Epigrammatis Poëtarum Italorum, Gallorum, Germanorum, Hollandorum? Quid isti ad Fracastorium, ad Hyeronimum Vida, ad Sanazarium? Vt abstineam à nominandis hæreticis, qui maximè carmine excelluerunt; quos inter Grotium omittere non possum, Virum doctissimum, eloquentissimum, & eruditissimum, qui fortè affectu fuit Catholicus: Nil dicam de Tragædia Iephtæ, Baptistæ, Herodis infanticidæ: Quid sæculo nostro visum in hoc genere præstantius Christo patiente, & lacrymis Petri, ne quid dicam, de Ostandæ prosopopeia, aut Cardinalis Richelij Epitaphio, quæ communis opinio ascripsit Grotio, tanquam vnico huiusmodi operum artifici? Quid de Epigrammatis? Planè dilutus est Raimundus, aut Vidermannus præ Ouën, & aliis innumeris, qui hoc genere versuum luserunt.

Si velis mixtum genus prosæ, historiæ, & carminis,

quis est comparandus Barclaio seu ingenij magnitudine & amœnitate, seu noui styli fœlicitate: quo vidi tuorum plurimos ita capi, vt penè illis Cicero desiperet? Huius generis nullum vidi tuorum Scriptorum, qui hanc viam tentarit; nisi ex tuis sit ingeniosus ille Scriptor Reipublicæ Solipsorum: sed innumeros habet in illo genere scribendi pares, aut superiores, qualis est Eutopia Mori.

Fortè dices; si has omnes artes humanas, quas enumeraui, copiosiùs aut feliciùs aliis ad vsum non reuocaueris, saltem illarum leges pleniùs scripsisse. At re-verâ, (vt apertiùs, loquar, quàm elegantiùs) non minùs theoriâ & legibus præscriptis, quàm praxi decedis. Quis altiùs causas linguæ Latinæ scrutatus est Iulio Scaligero? Quis illo exactiùs artem poëticam docuit? Qui plura in Poëtas, vel Oratores commentaria ediderunt? Lacerdam fateor doctissimum, & magnam sibi famam comparasse Commentariis in Virgilium & in Tertullianum: sed quid iste inter tantos? Quid præ Budeo de Asse, præ Turnebo in suis Anniuersariis, quid præ Lipsio in suis de Reipublicâ, aut Militiâ Romanâ, & aliis innumeris libris?

Doleo, meo tempore, cùm literis humanioribus studerem, defuisse nobis illud subsidium ad rem litterariam maximum, quod suppeditarunt à paucis annis Farnabius & alij; Poëtis omnibus commentariis marginalibus ita clarè explicatis, vt mediocris Grammaticus possit etiam difficillimos inoffenso pede locos decurrere. Hæc non possunt expectari aut parari adiumenta, ad Auctorum peritiam, ab iis, qui per tres aut quatuor annos literas humaniores docent, & ad Theologiæ conscendunt vel Philosophiæ cathedram, sed ab his, qui conseneścunt & immoriuntur grammaticæ, aut Rethoricæ scholis; quales non dubito fuisse illos, qui adeò vtilem & necessariam opem contulerunt bonarum litterarum studiosis, Commentatores marginales: qualis etiam est author nouæ methodi grammaticæ; qui vno mediocri volumine, mirâ breuitate & copiâ, (nec dissimili illi, quam in Summa D. Thomæ mirati sumus,) complexus est quidquid ad grammaticæ Græcæ & Latinæ subsellium per-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [336] - 316
PUBLIC DOMAIN

tinet, & clauem auream parauit ad reconditos omnium auctorum sensus. Vellem hæc omnia nobis præsidia dedissent ad manus nostræ pueritiæ magistri; vberiores sanè fructus tulissemus.

Suppetunt vobis doctissimi antiquorum Patrum, vel Philosophorum è Græco interpretes; Petauius, Ducæus, Pontanus, Andræas Scotus: sed materiam in hoc scribendi genere præripuerunt tot & tanti Interpretes omnium auctorum; quos inter eminent Theodorus Gaza, Argyropilus, Perionius, Germanus Brixius, & alij propè infiniti ex Italia, Gallia, & nuper ex Hollandia.

Esto, inquies, litteris humanioribus extranei paria faciant, aut vincant: at cedant oportet, si de rebus sacris agamus. Verùm de quibus? An de Anagogicis, seu de Theologia mystica? Sed illam pauci vestrum, & admodùm ieiunè attigerunt, imò quidam penè suspectam habent, & ideò in his Sancta Theresia, Ioannes à Cruce, à Iesu, Blosius, & alii innumeri Mystici regnant. At, inquies, populari & facili Deuotionis exercitio vincemus, innumeris hâc de re scriptis libris. Sed præter quòd post Granatensem ad subactam ac pænè exhaustam materiam accesserunt; vix vllus occurrit, qui solidiùs de Vanitate mundi Stellâ; qui suauiùs, & efficaciùs, ac pleniùs de tota vita spirituali scripserit Beatissimo Francisco Salesio; vt infinitos omnium Ordinum Scriptores Asceticos omittam, præsertim ex Ordine Cappucinorum. Et ex Theatinis Autorem diuini Libri de pugnâ spirituali.

Quid si à pietatis pacificæ Doctoribus ad Polemica, & ad Controuersias transeamus? Iam aperui Bellarminum, Valentiam, Gretserum, & alios Societatis auctores aggressos fuisse hæresim pænè mortuam & confossam armis tot Doctorum, qui ex Academia Louanensi, Parisiensi, ex Anglis & Hispanis prodierunt innumeri, quorum opulentiâ locupletauit suos Tomos Bellarminus, & illorum laboribus, nouisque inuentis armamentarium suum instruxit. Adde alios Bellarmino coætaneos, aut posteriores, qui nouis artibus & armis hæresim confecerunt.

De Casuistis, aut iuris Canonici Scriptoribus, infi-

niti sunt extranei auctores, qui tuos (licet quatuor animaliũ, & viginti quatuor seniorum figuris & nominibus repræsententur) æquant; Et si libros metiaris frequentiâ editionum, palmam feret Diana; cuius opera pluries & vbique impressa fuerunt cùm sint Casuum omnium moralium amplissimum Promptuarium. Quoad Canonistas etiam, (cum hanc partem tantùm delibetis) non contendetis, puto, cum Couaruuia, cum Martino Nauarro, cum Fagnano, cum nostro Turrecremata, aliisque innumeris, huius iuris consultissimis.

Sed ad minus Commentariorum in Scripturam multitude putas, te extraneos obruturum. Verùm id facile non concedam. Si copia quæratur; quis contender cum Tostato? Ne Salmeron quidem id audebit quamuis fusissimus. Si breuitatem captes; quis cum Vatablo, à quo Sà multa sumpsit? Si plures scripsêre in Prophetas; Cornelius à Lapide fatetur ingenuè; quòd *nisi Hieronymus glaciem fregisset, hærerent omnes* Quis meliùs aut doctiùs Estio in Paulum? Forerio in Isaiam? Iansenio Gandauensi in Euangelia, & Prouerbia? Genebrardo in Psalmos? Andrea Masio in Iosuè, aliisque innumeris, quos Xystus Senensis & Possevinus in suis Bibliothecis recensent?

At in Theologicis, & Philosophicis numero, & merito, vinces? Ne id quidem. In primis, si Philosophica attendamus, cum subtilitate & eloquentia iuncta, quid in hoc genere par editum est duodecim libris Pici contra Astrologos, exercitationibus Scaligeri contra Cardanum? Si nudam subtilitatem scholæ attendamus; quot libri Philosophici è variis scholis singulis diebus prodeunt Scotistarum, Nominalium? Vt nulla re minus causæ gloriandi iudicem te habere, quam illâ, quâ maximè gloriaris, Theologiâ: quam, nescio quo consilio, ita quidam vestrum sibi vindicant; vt modò vix extraneos, nisi obiter & quasi contemptim citent, vel ad pugnam admittant. Id obseruabam nuper apud Cardinalem de Lugo, qui Disputationem de causalitate Sacramentorum morali aut Physica, factam celebrem dicebat, contentione Vasquez, & Suarez: quasi illa, quæ interceserat D. Thomam inter, & Scotum ac Durandum, non potuerit illustra-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [338] - 318
PUBLIC DOMAIN

re: & tamen, quod ipse vrget argumentum pro causalitate morali, desumptum est è Scoto. Vix vllum extare puto in tot libris, vel pro D. Thomæ doctrina, vel contra illam instructum, quod Theologi antiqui non occupauerint.

Memini, eundem Cardinalem dixisse, Theologos Societatis illustrasse maxime Sanctificationem humanitatis Christi per Sanctitatem increatam, sed (præter quòd admittunt Filiationem naturalem, quæ communicaretur Patri, & Spiritui sancto, si naturæ humanæ vnirentur,) multò profundiùs hanc materiam tractauit, & expediuit Sanctus Doctor, sanctificatione repetitâ ab ipsa Filiatione Verbi cum Diuinitate communicata.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Responsio ad postremas accusationes.

SEd vt hanc Comparationem concludam; non admitto quod dicit Raynaudus: *Si adeantur Bibliopolæ & exquiratur ab eis, qui sint in vnâquâque facultate Scriptores maiori in pretio, constabit scriptiones Iesuitarum auidiùs expeti.* Id non omninò verum est vniuersim; quamuis summâ diligentiâ curent, suos Authores vendibiliores fieri; tamen in officinis Bibliopolarum sunt plerumque decani; & Comparatione nostrâ id euicimus, nullâ re primos esse; & in omnibus habere numero & merito pares. Ergò neque nobis aliisquè Ordinibus inuidendum est, neque tibi, Theophile, gloriandum, quasi in omni scientiarum genere Principatum occupes, quod fortè optares. Et cùm Dominicani non sint postremi, & qui tibi ad hoc imperium obex esse possint; velles illos ab officiis amotos, vel in totum extinctos.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Contentionum quas ſuſcitauit Theophilus prætextus & depulſio.

SI quæ ergo fuerit contentio inter nos, imputa potiùs tuæ cupiditati, (quæ nec finem habet, nec modum,) quàm noſtro liuori, aut metui; cùm per tot ſecula vixerimus contenti, & ſecuri noſtræ conditionis; cùm eodem loco ſteterimus quadringentis annis, nec augumentum nec decrementum paſſi. Poteris ne tibi aſſumere, quod nobis verbum vindicamus; *nec ſpe, nec metu, nec liuore?* Certè ſi his tribus affectibus & morbis laboraremus, iam non eſſemus (vt tu dicis) per vos iuuenes, ſenes depontani, ſed deportati. Qua in re nobis hactenùs obfuiſtis? *Regnabatis*, inquis, *in ſcholis, & in ſuggeſtis; à Conſultoribus ſola Cyriacorum Oſtia pulſabantur: ſed per exortum Ieſuitarum fieri cœpit tanti Principatus deceſſio* Addis etiam nouam materiam inuidiæ; *quòd aliis pleriſque ſacris familiis, Ieſuitarum exemplo excitatis ad ſacra literatura ſtudia diligentius excolenda, corriuarunt ipſi quoque in ſuas areolas doctrinæ latices: vnde Dominicanorum Dyorix, (qua antè videbatur trames aquæ immenſæ de fluuio,) parciùs fluxit; & diuiſus in multos ad ſapientiæ aquas concurſus, minor factus eſt apud Dominicanos. Hinc illæ*, inquis, *lacrymæ, hinc auerſiſſimus animus nigerrimis effectibus teſtatiſſimus.*

Sed, vt paucis ſtringam & refellam, quas his verbis complexus es calumnias nigerrimas; ſcio animum tibi non defuiſſe, quæcumque hîc recitas, mala nobis inferendi Quibus artibus & conatibus molitus es, vt aliquid contra nos definiretur, vel vt detereretur Ordinis fama, vel vt bona hæreditaria (ſicut præ te fers) nobis eriperes? At quid tandem profeciſti? Euanuere omnes conatus in tuum dedecus. Quid hactenùs contra nos definitum eſt? Quo excidimus loco, vel officio? An non in dies creſcit celebritas doctrinæ S. Thomæ? An non ſpectante, & applaudente totâ Hiſpaniâ, noſtet

Herrera

Herrera superior fuit Curieli? An non cathedras Salmantic. Complut. Academiæ auximus & firmauimus? Nonne singulis diebus nouæ Turmæ, integri Ordines floren. issimi (quod te pessimè habet) sese nobis adiungunt? Ergo nihil hactenus nobis deperiit, tuorum aduentu.

Scimus res humanas mutationi obnoxias: hi surgunt, illi cadunt; isti florent, illi iacent: Has vices æquo animo ferimus; quia nunquam ambiuimus primi esse, multò minus soli; neque nobis molestum est, quæ oriuntur dubia, ad alios referri, vel ad aliena potiùs ostia, quàm ad nostra pulsari: quia doces, inopes consilij & dubios rerum suæ salutis, posse ostia decurrere, donec inueniant Magistros & Duces, qui indulgeant priuato illorum affectui & commodo, qui permittant illos consenescere in periculo & occasione proximâ peccandi: Nos verò docemus tuta, vera, & viciniora saluti; nec committimus nimiâ in homines indulgentiâ, vt eorum sanguinem Deus á nobis requirat. Nulla subest igitur nobis liuoris in te, tuosque vel odij causa: nihil per vos nobis deperiit; nec ambimus, quæ habetis; nec quæ habemus, potuistis nobis eripere. Sed mirè tibi, tuisque canis, Theophile; nihil est in aliis Ordinibus boni, quod saltem vestris Exemplis non ascribas.

Ante tuum institutum vis iacuisse alios Ordines ignorantiæ situ; sed à tuis ad bonæ mentis & scientiarum studia fuisse excitatos. Quasi tibi Franciscani deberent Scotum, Bonauenturam, Ochamum: Augustiniani; Ægidium, Gregorium, Argentinam: Carmelitæ; Valdensem, Bacconium. Quasi eodem sæculo, quo nati estis, Ordines illi non haberent viros æquè sanctos ac doctos; vt Concilij Trid. Catalogus demonstrat. Vnde si veris agere liceat, difficile sit asserere quâ tempestate maior doctrinæ & sanctitatis copia aut sterilitas fuerit Si abstineres à vanâ iactantia; non audires vera hæc, quæ non solùm tibi, sed mihi etiam displicent. Id mihi semper probatum est auctas posteriori ætate scientias magis numero quàm merito doctorum.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Atrox calumnia Theophili de noſtris Magiſtris Generalibus depellitur.

ADdis Generales noſtros omnes tentaſſe pacem inſtaurare vobiſcum, excepto, inquis, Marino, quem ad finem tui libri tot conuitiis impetis, tot calumniis; vt videaris reliquo tuo opere fuiſſe modeſtus, Nam vt omittam te falsò ſcripſiſſe, illum receſſiſſe à deceſſorum conſilio de pace vobiſcum ſeruandâ, aut reparandâ, vt ſatis conſtat decreto vltimi Capituli Generalis à me relato, pluribuſque aliis in Societatem officiis: Puto te ſcripſiſſe illum eſſe Monachum per ſaltum promotum: quibus vero gradibus ad Generalatum peruenerit ſupra demonſtrauimus; quia tu vbique eaſdem calumnias ſpargis, & dicis, ſaltu inſolentiſſimo ad ſummum Ordinis verticem euaſiſſe, illum, qui maiorum meritis, vitæ innocentiâ, & commendatione, ac penè imperio ſummi Pontificis eò conſcendit.

Addis aliud longè falſiſſimum ad finem Diatribæ nonæ de Patre Rodulphio, & primum de Patre Turco, à te excogitatum. Rodulphium dicis conueniſſe Mutium Vitteleſcum ad ineundas ſolidæ concordiæ rationes; & cum Mutius mentionem ingereret literarum pacificarum in eam rem ad ſuos ab vtroque exarandarum; dicis ad hoc reſpondiſſe Rodulphium: faciam, ſed cum eo abs te diſcrimine, quod ſcribes tu, & dicto audientes habebis tuos; ſcribam ego, & audiar, ſicut qui ſurdis canit. Hæc plane commentitia ſunt, & à te per ſummam fraudem conficta. Nullus Ordo addictior vnquam ſuis Generalibus Magiſtris, omnibus penè illo gradu digniſſimis, Ordine Dominicano; & vix vllus fuit vnquam Dominicanis charior Rodulphio, quem conſtantiſſime Ordo vniuerſus ab æmulis oppreſſum propugnauit. Quâ ergo ratione, vir prudentiſſimus honoris ſuorum ſollicitus, nec minus illorum in ſe reuerentiæ ſecurus, potuit dubitare de obſequio ſuorum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [342] - 322
PUBLIC DOMAIN

quos rebus aduersis adeò fidos, incorruptos, & inuictos habuit? Deinde credamus illum dubitasse; putasne adeò incautum, & imprudentem, vt suorum vitia extraneis, & æmulis aperiret?

Turcus Rodulphij successor, illi par per omnia, eruditione, sapientiâ, studio integritatis, zelo doctrinæ Angelicæ, affectu paterno in filios incredibili, & parí amore, ac reuerentiâ filiorum in ipsum, cuius etiam hodie desiderio torquemur, & lugemus post duodecim annos nobis ereptum, dolore perinde recenti, aut certè vehementi, ac primo obitus die: Ergo per summam fraudem illi verba affingis, quæ nemo, nisi tu, potuisset scribere. Quis ardentiori studio pro doctrinâ D. Thomæ flagrauit? Quis vnquam filios magis reuerentes, & affectos expertus est? Quâ ergo ratione potuit illi in mentem venire quod tu scribis, respondisse: *Nisi suum sensum occultasset, fratres ergà se tales fore, quales ergà Benedictum, & Romualdum se præstiterunt aliqui inueterati dierum malorum.* Nescio quibus documentis, aut exemplis instructus, ista potuisti excogitare; sed certissime scias, huiusmodi scelera, maximè in nostros Generales apud nos ignota, & inaudita esse, & ad illorum nomen, vel ipsam cogitationem exhorrescere: dico solum illa verba, te authore digna esse.

Quid mirum si nostros Generales magistros, tantâ licentiâ & acerbitate infames, cum à Societatis Præpositis carpendis abstinere vix queas, & alio loco Vitelleschum per ludibrium, & conuitium voces carnem vitulinam, quod totus ad modestiam & æquabilitatem comparatus, longissime abesset à peruicaciâ tuâ. Quam verò alieni simus à tuo exemplo, & ab illâ horrendâ, quam iniecisti cogitatione, argumento est, tota nostrorum Annalium series: nam cum Comitia Ordinis facultatem habeant perinde Generalem Magistrum amouendi à Magisterio, si illi impar sit, sicut & eligendi; eâ fuerunt humanitate, & reuerentiâ Dominicani, & ipsimet adeò strenuè suas partes impleuerunt, vt nunquam sit auditum, è septem supra quinquaginta, quos habuimus Magistros instituti nostri successores, vllum fuisse sententiâ Ordinis loco motum.

Aliud addo ad rem magni momenti. Duo Franciſcani Pontifices Nicolaus IV. Munio Hiſpanum, Xyſtus V. Xyſtum Fabri, Pius II. Martialem Auribelli, Vrbanus VIII. Rodulphium abdicarunt ab officiis, ſed reclamante Ordine: & dum licuit, ſuo loco repoſuit, vt Martialem Auribelli defuncto Pio II. Idem Rodulphio contigiſſet, niſi pridie electionis mors ſeni iam matura, ſed filiorum votis intempeſtiua oneri ſubduxiſſet. Videat Theophilus an Dominicani in ſuos Generales omnes ad vnum, & præ aliis ob ſingulares animi dotes, in Rodulphium, & Turcum propenſiſſimi, id vnquam tentaſſent, quod horret animus animo reuoluere, nec te puduit ſcribere, quaſi ab illis dictum in æternam ſui & aliorum infamiam, niſi in te tota redundaret. Si numerum Præpoſitorum Societatis, & Magiſtrorum noſtrorum ineamus, nulla eſt ſicut, nec temporis comparatio: eâ tamen fuerunt reuerentiâ in ſuos magiſtros Dominicani, vt nunquam auſi ſint, vel habuerint cauſam ſuis Generalibus quaſi imparibus officio vicarios, aut ſuperſtitibus ſucceſſores eligendi, vel à ſummis Pontificibus efflagitandi. Vide ergo an à filiis amantiſſimis timenda eſſent, quæ ſcribis eò malignius, quò dum verbis ambiguis videris velle occultare, altiùs, & apertiùs inclamas, quam ſi in tectis prædicares.

Minus quidem atrox, non tamen verior eſt, aut minus fucata & à ſinceritate aliena, quam huic de Cicutâ horribili calumniæ adiungit, & inſerit ſuſpicio potius quam accuſatio veriſimilis inconſtantiæ noſtrorum hominum in domeſticis, id eſt, D. Thomæ placitis propugnandis; quaſi in omnia alia abeant cum non timent iras ſuorum, & vt loquitur Socraticam cicutam.

Quam ſuæ cauſæ diffidat Theophilus, voluit apud prudentem lectorem indubitatum eſſe, dum malas artes aduocat illi muniendæ, aut fucandæ, vt imponat incautis. Ad finem operis Diatribâ vltimâ inducit P. Ioannem Allemandet Ordinis Minimorum Diſp. 4. Phyſica, parte 4. Clypeo ſecundo ſic loquentem: *Non obſtantibus inſultibus, Bannis, & ſuorum partiariorum, Molixiſtica opinio abrogans ferreos illos libertatis humanæ nexus, altiores ſemper radices agit: Thomi-*

ſtica vero, imò Banneſiana prædeterminatio dormitat iam etiam in eorum ſcholis. Sed erraſit malâ fide duo hæc verba *Teſte Leſſio*: quæ Allemandet inſeruerat, quaſi referens, non approbans, imò Leſſium nimiæ præfidentiæ accuſat, relatis eius verbis, quæ illi velut legitimo authori adſcribit. Si bonam, Theophile, tutamque cenſes quam propugnas cauſam, cur malis artibus corrumpis? Si malam reputes, patior te iis fraudibus fucum facere imprudentibus: *Num qui ſibi nequam cui bonus eſſe poteſt?*

Placet hoc loco reponere ſuo opportuniore omiſſam reſponſionem ad accuſationem non diſſimilem; niſi quod iam relata & refutata, ad plures Dominicanos pertineat; refellenda vnum impetat P. Reginaldum; quaſi graue diſcrimen, nedum carceris, ſed etiam extremi, & hæreticis infligi ſoliti rogi incurrerit; quod cenſuræ in Ianſenium Pontificiâ authoritate latæ, ſcripto audaciùs interceſſiſſet: nec penas commeritas niſi diſceſſu Româ præcipiti, aut in Comitatu Venayſino P. Dufour illius ditionis tum Quæſitoris, potentiâ vitaſſet.

Mera ſunt hæc commenta & inſomnia, quibus certiſſimæ fidei hanc ſubiicio narrationem. Adeo, quod alibi neſciens ſcripſeram, ſubitus Româ diſceſſus P. Reginaldi, vel conſilium de fugâ capiendâ à vero abſunt; vt poſt damnatas quinque Propoſitiones ex Ianſenio quatuor menſibus, Romæ hæſerit P. Reginaldus, ita totâ ciuitate conſciâ & teſte, vt 9. Calendas Auguſti creatus ſit à P. Generali Prouinciæ Occitanæ in Galliâ Præpoſitus; menſe ſequenti die ſacro D. Auguſtino, auſpiciis Legati D. de Valencé, inter Melitenſis Ordinis primarios ſupremo Magiſtro proximi, ad pedum oſcula Innocentij X. ſit inductus, & Legato audiente. Summus Pontifex congratulatus ſit illi nouum munus Prouincialis, teſtatus ſibi gratiſſimum; & impenſe eſt adhortatus, vt indefeſſam operam ſicuti hactenus fecerat, in doctrinâ SS. Auguſtini, & Thomæ illuſtrandâ & propugnandâ nauaret. Pontificiâ Benedictione & Indulgentiarum beatiſſimâ copiâ donatus, Româ 4. Calendas Octobris diſceſſit; Loretanam domum pio-

tatis causâ adiuit: hinc Bononiâ, inde Florentiâ, Galliam tutus, ac ſecurus repetiit.

Verum P. Reginaldum demeruit Theophilus eâ relatione, quamuis falſa, longe tamen mitiori, ſparſis falſo & ſummâ fraude rumoribus de ſupplicio crudeliſſimo, quaſi hæreſis comperto, veliam ſumpto, vel ſumendo, niſi clementia ſum. Pontificis in perpetuas ad triremes pœnas & ærumnas mutaſſet. Idque adeò perſuaſum nonnulli voluerunt, vt P. Reginaldi parentem conuenirent, ex tam acerbâ primogeniti calamitate pro Chriſtianâ charitate deliniendo dolori. Plurimum debet Theophilo Reginaldus quod has illi pœnas condonarit, contentus ſcripſiſſe conſilio præcipitis fugæ deuitatas fuiſſe.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Recens Dominicanæ gloriæ monumentum & poſtremum ad inuidiæ cauſas depellendas reſponſum.

PArum abfuit quin grauem, & vix condonandam præpoſteri iudicij, & ingrati animi culpam in religioſiſſimæ Matris Iulianæ Morell Barchinonenſis, & Auenioni ad Sanctam Praxedem noſtrum inſtitutum profeſſæ, pios manes admitterem; quod cum toto hoc opere diſpellendis æmulorum inſectationibus plura noſtræ Familiæ virorum ac virginum præclara monumenta celebrauerim, illius nobiliſſimæ & piiſſimæ Virginis nulla hactenus iniecta ſit mentio; quæ tamen tot naturæ & gratiæ præſtitit dotibus, tot ſupra ſexum, ſupra ætatem rerum Philoſophicarum, Iuriſprudentiæ, & omnium ferè linguarum peritiâ reſplenduit, Hebraïcæ, Chaldaïcæ, Syriacæ, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, præter cæteras dotes egregiam muſicæ artem & pulſandi fides & organa, quam vt diſceret affectibus & præcepto parentis conceſſit; vt vnum Iulianæ Morell nomen pleni elogij & validæ pro eo quod ſuſcepit inſtituto Apologiæ vim & pondus habere poſ-

fit. Quo enim illa loco non occurrebat ad subsidium, quâcumque nos aduersarij parte lacessebant? Vbique illius mihi familiaris & compertæ sanctitatis & eruditionis sese ingerere imago debuerat.

Extranei Scriptores etiam ex Societate illam velut alteram Eudoxiam, & nostri sæculi portentum celebrarunt. Sed parum abfuit quin illam omninò tacerem. Excusare poteram ipse hoc silentium, quod ex compertâ humilitate quâ cæterarum virtutum splendorem obruebat, scirem illi etiam inter Diuos receptæ gratissimum fore: sed amicorum querimoniæ, & meæ etiam conscientiæ obiurgationes tacitæ à me euicerunt, vt dilati Encomij culpam publicè agnoscerem, & ne in totum præteritæ illius commemorationis reatum incurrerem. Nec timeo censuram Lectoris quasi hoc loco intempestiuè obtrudam; quo enim illa commode reponi non potest, aut iustissimè non debet? Cum nedum Virginis Deo sacræ Monasticam vitam professæ, & quorum sexus patiens est munerum, partes & virtutes impleuerit cumulatissimè; sed etiam hominibus suas ad inuidiam vsque laudes & dotes videatur præripuisse, virilis planè animi, & iudicij, & prudentiæ fœmina, seu comparandis scientiis, seu rebus administrandis eminuerit.

Verum quidem est paterno imperio potius quam suo arbitrio omnes excoluisse artes: & primum ingenij specimen dedisse anno vix ætatis duodecimo, cum Lugduni Philosophiæ Theses publicè cum omnium admiratione defendit: sed annum nondum decimum sextum prætergressa, hæc perinde ac sæcularia & aliena bona abiecit, vt à Christi è cruce pendentis ore vnam humilitatem has omnes naturæ dotes obruturam addisceret & profiteretur. Distractâ itaque & ad suos Fratres remissâ, quam pater illi comparauerat Bibliothecâ, vnum se Christum eumque Crucifixum scire in posterùm gloriata est: tantumque illo doctore profecit, vt quod de illius Matre Diuâ Catharinâ canimus, denobilissimâ filiâ liceat vsurpare: *Doctrix est disciplinæ Dei & electrix operum illius*: & nisi præstantissimi ingenij vim compressisset humilitatis studio, potuisset omnium scientiarum complexione doctissimum quem-

que prouocare. Ita est quandiu Patrem carnis, vt cum Apostolo loquar, eruditorem, aut verius impulsorem ad linguarum, ad Philosophiæ & Iurisprudentiæ studium habuit, & illum reuerebatur; nullam humanarum, aut diuinarum scientiam non calluit ad miraculum. Sed vbi excussa illa patria potestate, Patri spirituum cœpit obtemperare & viuere, cum Augustino gemebundo exclamauit: *Surgunt indocti & cælum rapiunt*; & abiectis scientiis quæ minus sexui conueniebant, vni se Deo docendam permisit. Multa quidem scripsit quorum initium fecit Anno ætatis vigesimo tertio præclarissimâ commentatione in opus aureum vitæ spiritualis D. Vincentij, & quæ ab inuitâ superiorum imperium extorsit: sed hæc pauciſſima, & præ ingenij fecunditate penè nulla sunt: iteratis enim precibus à superioribus vicissim ipsa obtinuit, vt vni diuinarum rerum, quarum amore flagrabat, contemplationi, non librorum scriptioni vacaret. Fœlicitati imputo mihi tùm datum illam nosse, eiusque colloquiis frequentibus frui, cum iam vna illi cura erat Christum sequi, se nescire; & perinde ac vitæ præteritæ flagitia occultare, & obliuisci quas probè nouerat artes, & vnam scientiæ supereminentem charitatem sectari.

Orationi mihi moderandum est, quia nullum eius laudum finem inuenirem, si quæ ipse expertus sum prosequerer. Hoc summi fuerit elogij loco, frequentissimè me hanc virginem allocutum, & semper à colloquio rediisse meliorem, quia nunquam bene de se, nec de quoquam malè, nec nisi de seriis & sanctis loquentem audiui, tantâ curâ ad limam aduocandi verba antequam ad linguam venirent, vt nullum illi excidisse otiosum, id est, non summâ charitate & prudentiâ conditum, ipse aliorum quam mei seuerior exactor vnquam animaduerterim. Annon dicas vnam Iulianam Catharinæ Alexandrinæ, & Senensis dotes omnes felici fœdere coniunxisse; illius Philosophiam & artium Encyclopædiam, istius zelum & humilitatem, & spontaneas corporis afflictationes fuisse complexam, & ne in illa desideres prioris Catharinæ à Tyranno illatas pœnas ferè pares tenella à Patris nescio quâ Zelotypiâ perpessa est, ne quid ad summam cum Christo patienti similitu-

dinem & gloriam deesset. Sed plura prætermitto eius virtutum insignia, quàm hic retulerim: vt non minus silentio colam, quam sim eloquio prosecutus: & id plane cultus genus hoc gratiæ & naturæ portentum merebatur.

SECTIO VLTIMA.

Examen Decimæ Diatribæ.

CVm rei cuiusque finis, optima pars sit, aut deterrima, prout boni aut mali rationem habet; qualem futuram putas Christiane Lector, Decimam Diatribam, quam coronidis loco apposuit Petrus, operi omnium quotquot vnquam fuerunt, maledicentissimo? Quidquid inuidia, furor, & vindictæ rabies moliri potest iniquum, atque ab omni ratione & humanitate alienum; id totum in hanc vltimam partem coniecit. Omitto quod iam animaduersum est, hominem inopem consilij, & verè puerum centum annorum, cuius vita perpetua infantia fuit, quam senectus auxit, docere ausum homines sapientissimos, post grauissimas illatas injurias, quo gratius sit datum ab homine procace consilium: & ne suspectum habeatur, vbique se æstu vindictæ, & furore agi præ se tulisse.

ARTICVLVS PRIMVS.

Consilium Petri de abdicandis familiæ Dominicæ officiis euertitur, primum à variis præiudiciis.

MIror, quòd cum te toto opere imprudentissimum probaueris, & hoc etiam nomine malè audias apud omnes, cum sis omninò consilij inops, omnibus consilia obtrudas, & vendas, siue domesticis, siue extraneis; & cum illa temeritas tibi infelicissimè suc-

ceſſerit, & multa inforrunia in caput ſenile, & inuexerit, adhuc non potueris tot pœnis ad bonam mentem redire.

Monuiſti nonnullos libro ſcripto, quem *hyparchum vocas*, ſeu *negotiatorem religioſum*, vt à nundinatione abſtinerent, & delerent ſuſpicionem auaritiæ, & mercaturæ: atque ab illiſmet iudicibus, quos tu reos peragebas, in carcerem iniectus es, à quo preces, & authoritas amicorum te liberarunt, vt mihi teſtatus eſt vnus ex illis, qui Rectorem conuenerunt, & precibus, ac minis te pœnis eripuerunt, quas commerueras. Cur ergo tota caſtigationibus non ſapuiſti, nec vnquam voluiſti tua conſilia in melius referre, & tibi ſeruare, cum aliis eſſent, non ſolum moleſta, ſed etiam ſuſpecta, aut potiùs apertè mala, cum ſcirent profecta eſſe ab homine ineptiſſimo, & vix ſui compote?

Illud quod ſubiicis tantâ verborum pompâ, non poteſt fœliciorem habere exitum ſuperioribus, quorum præmium fuêre pœnæ & perſecutiones. Vellem habere ad manum Saluſtium, vt tibi ſuggererem verba, quibus Iulius Cæſar orditur orationem in gratiam Catilinæ, & coniuratorum, merâ arte, & eloquentiâ habitam: eos inquit, qui iudicant, aut conſulunt, oportere ab omni odio, vel prauo affectu vacuos eſſe. Et cum toto tuo libro, te ferè rabie actum, te furiis agitatum in Dominicanos probaueris, nec niſi mendacia, & calumnias, omnis officij oblitus ſcripſeris; quem putas adeò veſanum, qui tua conſilia, vel non rideat, vel non abhorreat?

Deinde, cuinam illud tuum conſilium ſubiicis? Summo, inquis, Pontifici, & Cardinalibus, qui poſſunt amouere Magiſtrum ſacri Palatij, Commiſſarium Sancti Officij, Secretarium Indicis, quos iubes redire ad ſuam cellam, vt exerciriis ſpiritualibus vacent, & ſub diſciplinâ & paupertate religiosâ viuant. Toto tuo libello Pontificem, Cardinales omnes traducis, tanquam, cæcos, & ſtolidos, atque ignaros, qui ſinant ſe ab vno fraterculo decipi, & circumagi ad illius nutum; & modo vis illis conſilium dare contra Dominicanos, quaſi tuis conſiliis egeant, viri ſapientiſſimi ac prudentiſſimi.

Credo etiam, nec tibi ipsi probari tua consilia. Sapienti semper sua placent, omnis stultitia laborat fastidio sui: Sapientissimi Iudices, quos ad tuam mentem vis deducere, primam illius sententiæ partem sibi assumunt, caue ne altera in te cadat. Putas ne, illos fortè mutaturos sua consilia, te declamente contra Dominicanos? Non certè magis, quàm Luna à suo cursu deflectit ad canis latratus. Nescis primum Indicis Secretarium fuisse Franciscum Forerium Dominicanum, & ob tanti viri celeberrimam memoriam datum Dominicanis officium, sicut Magisterium sacri Palatij ob merita S. Dominici; & aliud Commissarij Inquisitionis in gratiam S. Petri Martyris, & Pij V. qui Palatium S. Officij extruxit, & Congreg S. Officij ampliauit. Non facilè mutant res maturè sanctas, diù seruatas, & præscriptas tempore, viri sapientissimi, ad vnius hominis voces: nec patientur relicto proprio iudicio, se abripi in crimen alienum.

Sed quàm bene Religiosis consulis, cùm arcendos à congregationibus mones, vt soli sæculares admoneantur, quasi ipsi nullo partium studio laborent, quasi omni affectu humano sint intacti. Scis Theophile, me satis feliciter tuos sensus penetrasse; & aperuisse animi tui morbum. Non aberrabo, si dixero, consilium hoc à morbo veteri natum, quod nec parem, nec superiorem vllum pati possis, nisi tibi omninò morem gerat: & (vt Diui Basilij comparatione vtar,) cum Religiosos & Dominicanos de te non vis, quidquam statuere, & ad sæculares appellas; videris mihi similis nauseam stomachi, & vomitum ex maris iactatione patientibus; qui vt morbum leuent, identidem locum mutant, & à naui ad scapham descendunt, nullo solatio mali, cuius causa in visceribus hæret. Sic tu totâ vitâ, inquies, nunquam tibi tecum benè fuit, adeò laboras fastidio tui: non es vnquam præsentibus lætus: à Religiosis, vis ad sæculares ire, & ab istis statim velles redire ad Religiosos: aut quod verius est, malles tui esse arbitrij, & nulli subjici: nec puto adhuc tum tibi benè fore, quia ab omnibus dissentis, etiam à te ipso.

Sed si altiùs liceat mali radices inquirere; scio te

morbo comitiali, quem vocamus alto laborare, qui cerebrum impetit: vno verbo nec jugum, nec frenum pati potes. Vis tibi omnia subjicere, quamuis te rationi non subjicias; & alios regere, etiamsi te ipsum regere nescias. Abstinui semper à sugillatione tui instituti, quamuis nostrum vbique discerpas. Meministi discordiarum in Indiâ, in Angliâ cum Archiepiscopis, & negatum ferè Sacramentum Confirmationis, ne illius conferendi causâ vllus adesset Episcopus, cui parere oporteret. Ergo tu neque Religiosum, neque sæcularem velles Iudicem, sed excusso omni iugo, velles frui iure omnia iudicandi, quod dat Apostolus homini spirituali, qualem te putas: *spiritualis iudicat omnia.* Nec malè apud te reputas: vbi confirmatam Ordini Prædicatorum per quadringentos annos possessionem labefactaueris, spes est maxima, constitutam per vnum diem apud sæculares facilius mutandam: & tandem ad manus tuas peruenturam. Atque illa est tui consilij profunda calliditas, quâ obtendis alienum bonum sæcularium, vt tuum priuatum promoueas.

His præiudiciis euerso tuo consilio, frustra prosequerer singula. Illud moneo, te non melius reditus officiorum nosse quam mores nostros Vis Magistrum sacri Palatij, & Commissarium Sancti Officij habere in annuos reditus mille quingentos nummos aureos, sed libertate arithmeticâ in duplum multiplicas stipendium.

Addis etiam, nos priuatim à communibus Scholæ nostræ placitis recedere. Videris mihi hæreticos imitari, qui adeò imperenti feruntur suorum falsorum dogmatum affectu, vt sæpius dicant, aliquot Catholicos optimos illis animo consentire, ac sua placita tenere. Eadem te insania ludit, dum dicis, Turcum aliosque plurimos vestris opinionibus adhæsisse, alienos à communibus in Scholà nostrâ.

Sed mira est tua charitas; & nescio an nimia sit, & præpostera: plus times aliorum saluti, quam tuæ. Certus sum, si penes te, & tuos essent ista tria officia, quæ nobis vis eripi, te vacuum fore omni metu, quo nostri causâ sollicitus es, ne quid illis adhæreat corruptelæ, aliisque tentationibus pateant: quia forte vos

estis ab illis immunes, neque tu multùm moraris calumnias, quibus nos impetimur, & à quibus optares nos liberari. Atque his rationibus vis persuadere nobis, vtilius fore, si ab istis officiis auocati, nobis tantum, & Deo vacaremus. O miram Theophili charitatem, qui sui oblitus, & suorum periculum, aliena totis viribus conatur auertere!

Putasne, etiam si hæc tria officia ad manus vestras peruenirent, te curaturum querimonias læsorum, quæ in Societatem resilirent, sicuti dicis modò redundare in incommodum nostri Ordinis? Vrgeres ne ilias rationes à iure peremptæ caducitatis, quod manum mortuam vocant? Minime gentium: nam inprimis putas te imprecationibus vulgi saginari potius, quam extabescere: & similem croco qui fertilior est, si vt antiqui dicebant, cum imprecationibus jacias semina; aut vulpi, cui felicissimæ sunt hominum diræ, & imprecationes. Nec manum mortuam diceres quidquid in tuas incideret; quia credis similes Mosaïcis, vt illis sublatis ad pugnam, vel ad orationem, certa constet victoria Ecclesiæ.

Congregationis Indicis forma in totum tibi displicet, & vis abolendam & sustituendam Rotam, quam tuis coloribus depingis. Insanirem si illam euertendam susciperem. Rotam, quam comminiscéris. Nullum est periculum à tuo consilio: sed puto dicturos Iudices, & Patres, si quando contingat ad illorum aures tua figmenta peruenire; quod Annibal auditâ vnius Sophistæ oratione, quâ docere volebat, quæ essent partes Ducis in bello præstantissimi: nam cæteris mirantibus hominis sapientiam, dixit Annibal se nunquam insaniorem audiuisse. Hoc Elogium referret Raynaudus, ex suo consilio nouæ Rotæ institutæ. Quis non miretur hominis audaciam, qui velit omnia ad sunm arbitrium constitui? Sed illum pessimè habet duplex silentium: vnum quod sibi Iudices indicunt, & quo censuræ causam tacent; alterum quod indicunt reis, ne post censuram conquerantur. Vtrumque fert Raynaudus impatientissimè, & maximè postremum. Vult sibi licere effutire, quæcumque in buccam venerint, contra censuras & contra iudices, id est, nullum vult finem

esse iurgiorum, & tumultuum: & ideo Rotam petit, quæ continuo voluatur, & nullo fine conquiescat. Certè vtrumque silentium exigit Majestas subsellij, & reuerentia in ipsum deberet occupare præceptum. Sed frustra id a Theophilo requiram, qui nimio in suos libros affectu non est sui compos.

ARTICVS SECVNDVS.

Operosius Consilium Petri expenditur & euertitur.

VErum quidquid sit de Authore consilij, aut de iis quos docendos suscipit; ad rem ipsam propiùs accedamus.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Nouis argumentis refelluntur causæ, quibus censet Theophilus Officia à Dominicanis amouenda.

QVid toto opere tot mendaciis & calumniis molitur? Quem fructum ex tot fraudibus & contumeliis expectat? Nempe vt ab Aulâ Romanâ omnino exulent Dominicani, & amoueantur ab Officiis, quæ per quadringentos & vltra annos quasi hæreditariâ successione seruarunt. Sed quod genus criminis admiserunt, vt adeo graues dent pœnas, & cum infamia bonis paternis longissimâ successione comparatis depellantur?

Multæ huius abdicationis obtenduntur causæ, & forte plures occultantur; nec solum statuitur in pœnam criminum & iniuriæ vindictam; sed vt consulatur Dominicanorum saluti, quæ periclitatur in Aulâ inter tot delicias, & opes, quæ votum castitatis & paupertatis lacessunt; inter tot pompas, & applausus quibus humilitas deijcitur, in illâ ad arbitrium viuendi licentiâ

obedientiæ iugo assuetis pernicioſa. Neque hac abrogatione Officiorum, tantum pericula arcentur, quæ impendent capiti illorum, qui à clauſtro ad Aulam tranſeunt, ſed à toto Ordine plura mala amouentur, aut bona illi accedunt. Extinguntur imprimis odia illorum, qui Ordinem execrantur; quod putent ſe læſos à ſuis, etiam dum Officiorum partes fideliſſimè implent.

Hæ euulgantur cauſæ abrogationis Officiorum; ſed multo plures, & veriores licet premantur ſilentio, ita tamen extant, vt lateant neminem. Quis neſciat totum hoc conſilium, & tantæ molis opus, à priuatæ vindictæ ſtudio natum; quod Petrus ægerrimè tulerit ſuos *de Martyrio per peſtem, & de communione pro mortuis* libros cenſura notatos? Atque vt hanc iniuriam vlciſcatur; cenſet, non ſolum abdicandum eſſe Secretarium Indicis, ſed ipſam etiam Congregationem prorſus euertendam. Quid poteſt iniquius eſſe animo vindictæ cupiditate flagranti? Atque vt paucis ſubijciam, in quæ præcipitia hoc æſtu abripiatur; imprimis aſſero, atque demonſtro toto libro tertio huius Apologiæ, iuſtiſſimam eſſe vtriuſque libri damnationem. Sed gratis demus quod ipſe quamlibet id enitatur multiplici ſcripto, quod nullâ vnquam ratione conficiet, aliquid peccaſſe Congregationem; cur tot conuitiis proſcindit ſecretarium? Cur in illum ſæuit iamdiù hoc Officio defunctum? Canes iapidem appetunt & mordent dum proijcientem nequeunt, aut non audent inuadere. Quid enim Secretarius Indicis, quid Decretum eius nomine ſubſcriptum? Plane veluti lapis eſt, quo latratus compeſcat, vel ſi nolit ſilere, dentes conterat ſacra Congregatio. At ille quaſi totus in rabiem actus, cum nequeat aperte in Congregationem ſæuire, & in Eminentiſſimos Cardinales; Secretarium lacerat, ac diſcerpit. Neque hæc eſt furoris eius meta. Vult etiam totam gentem perire, & Officia auferri à Dominicanis, & ſæcularibus permitti. Id-ne verò æquitas & ratio patiatur, velim Petre, paululum ſedato animo mecum attendas.

Commune eſt medicorum effatum, *malum bene po-*

ſitum ne moueto. Eſto, Dominicani aliquid in te & tuos; aut in alios peccauerint. Scio homines eſſe, & aliquid illis humanitùs interdum contingere non nego: Neque enim in me recipio illos ab omni culpâ quaſi immunes defendere: ſed quamuis odio in illos cæcutias; non puto te negaturum, à quo tempore hæc Officia ſuſceperunt, Eccleſiæ operam non pœnitendam nauaſſe, & etiamnum nauare. Si id abnuas, planè conuincam, paucis repetita ſingulorum Officiorum origine, & hiſtoria.

Magiſterium Sacri Palatii ab Honorio tertio, primum Sanctiſſimo Patriarchæ Dominico traditum ab illo per manus filiorum, tandem ad Reuerendiſſimum Patrem Raynaudum Capiſuccum (quem per ludibrium *Caput Cucurbitæ* identidem vocas,) peruenit. Et ne dicas hominibus ignaris, & immeritis collatum: è ſexaginta Dominicanis, qui hoc officio defuncti ſunt, duo, nempe D. Dominicus, & D. Vincentius Diuorum albo recenſentur: Septem Cardinales creati ſunt; quos inter eminet Turrecremata, quem vbique traducis: vnus ad Patriarchatum aſſumptus eſt, qui niſi me fallit coniectura, Paludanus eſt, infra cuius meritum manet quamlibet ſublimis hæc dignitas. Tres ad Archiepiſcopatus euecti ſunt, duodecim ad Epiſcopatus; quos inter ſplendet Durandus, & octo in Magiſtros Generales Ordinis electi. Qui ſuperſunt octo ſupra viginti huic officio immortui, ſcriptis, ſapientiâ, & pietate fere omnes per totam Eccleſiam celebertimi; quales vidimus Candidum, Riccardum, noſtro ſæculo, & ſuperiori Sylueſtrum ipſo nomine ſatis laudatos.

Reliqui quos taceo Officio pares, nec à deceſſoribus degeneres, nec diſſimiles ſucceſſoribus fuere; & in omnes fœliciſſimè cadunt illa Canticorum verba, *Ferculum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi.* Dices illos cuſtodes, qui excubias agitabant ad Regis pacifici palatium: cubiculum & lectum, typum eſſe Magiſtrorum ſacri Palatii ex Ordine Dominicano, quos ad vitium vigilantiâ, fortitudine, ſtudio ad Eccleſiæ

cleſiæ tutelam, & pari etiam numero nobis exhibent ac penè oculis ſubijciunt; qui plane militiâ illâ, quam tot annis & ſæculis ſtrenue & indefeſſe pro Chriſti regno militarunt, aliud videntur meruiſſe ſtipendium, quàm quod illis imprecatur Petrus; vt à filiis & à ſucceſſoribus amoueatur, quam glorioſiſſime adminiſtrarunt cuſtodia & præfectura.

Certè vnus horum quos nominaui, D. Dominicus, aut Vincentius ſat meriti habent, aut gloriæ conſecuti ſunt, vt poſſint Ordinem illuſtrare, & illi ad hoc officium ius quaſi hæreditarium comparare, aut ſucceſſorum, ſi qui ſint defectus, excuſare, aut ſuſtinere. Quid de illa ſerie perpetua tot heroum cenſebunt omnes, ne excepto quidem Petro, niſi velit æquitatem de medio, & ſolem de mundo tollere? Nec minus iuſta & Ordini Dominicano decora, ac toti Eccleſiæ vtilis eſt apud Patres Dominicanos alterius officii nempe Inquiſitorum ſucceſſio & admniſtratio: vt merito Petrus æqui, & boni, & fere generis humani hoſtis ſit habendus; ſi vt priuatæ vindictæ, indulgeat cupiditati, velit à Dominicanis abdicari Inquiſitionem, à Sanctiſſimo Patriarchâ Dominico ſuſceptam, & filiis traditam, & per tot annos continuâ ſerie ſeruatam, & obitam ſummâ integritate, & pari diligentiâ. Nec repeto quæ de Inquiſitione dicta ſunt.

Commiſſarij Sancti Officii & Secretarii Congregationis Indicis inſtitutio multo recentior eſt duabus ſuperioribus; ſed ſi originem repetas, & merita eorum, quibus hæc officia primùm credita fuerunt; non minus iure, quam Magiſterium Sacri Palatii, & Inquiſitionem aſſeres Dominicanis; & eam improbitatem auerſaberis, quæ omnia ad ſuum commodum metitur; omnia ad libidinem vult conſtituta eſſe, aut euerſa. Inquiſitionem Romæ inſtituit, & Palatium ſuis expenſis poſuit, & extruxit, nulli maiorum aut ſucceſſorum ſanctitate ac pietate, aut rebus præclare geſtis inferior Pius V. Ille ex ſuo Ordine & ex Prouincia Lombardiæ, quæ illum ſcientia, & pietate imbuerat, Commiſſarium Sanctæ Inquiſitionis creauit. Vnde ſatis commendata eſt à tanto Authore hæc inſtitutio, cui addi-

Baron. 5.

dit fœliciratem perennitatem, & reuerentiam apud omnes, nisi apud Petrum, qui iuris & æqui non satis respectum habet, & vt suo animo satisfaciat, vult funditùs euerti opus Sanctissimi Pontificis, hactenus toti Ecclesiæ & piis omnibus comprobatum.

Quid de Secretario Congregationis Indicis dicam? Eius institutio facta est authoritate Concilii Tridentini, cuius Imperio Franciscus Forerius Lusitanus, vir immortalitate dignus, leges condidit à Concilio sancitas, à Summis Pontificibus confirmatas: & cum maior esset Secretarii Congregationis titulo, qui primùm illi collatus est, & eius conditor ac legifer appellari posset; atque illud officium omnes agnoscerent esse infra eius meritum; visum est hac ratione compensandum, vt Ordini Dominicano qui Forerium dederat, perpetuus hic titulus assereretur: atque illud Concilij iudicium quasi lex hactenus valuit, nec etiam Ecclesiam pœnituit.

Sed tanti fuit displicuisse Petro, & vnum, aut alterum, ex infinitis quos singulis horis scripturit, liberum improbasse, vt non modo illud Concilii Decretum conuulsum velit, sed etiam Dominicanos omnes ex Aulâ Romanâ abiiciendos, in suas Cameras compellendos, vt sibi vacent, vt humilitati studeant, vt cum paupertate sub maiorum imperio viuant; neque ferant discordias, quæ ab Ordine hominum animos auertant ac pene reddant execrabilem. Sed dum videri affectas ex summa charitate & prudentia nostrorum hominum saluti & paci consulere, euersum is & perditum Dominicanum Ordinem.

An ignoras à suo Authore & Patriarcha institutum, vt Mariæ & Marthæ partes peragant eius filii, & contemplationi actionem adiungant, vt studeant, & meditata populis tradant; vt nouerint non sibi, sed toti Ecclesiæ esse natos, vt de toto genere humano bene mereantur. Neque solum institutione & legibus, sed etiam exemplo suis filiis præiuit Patriarcha Sanctissimus. Nonne ipse primus omnium & post ipsum tot nobiles filii inquisierunt in Hæreticos? Nonne Theologi Summi Pontificis Sacri Palatii Magisterio defuncti

sunt? Quid mali, quid peccati est, eorum inhærere vestigiis, in eadem statione militare, eadem obire ministeria, quæ nobis hæreditaria reliquere? Vis Dominicanos à celebritate vrbium in claustrum, & in solitudinem detrudere: vno verbo iubes Carthusianos esse.

At, inquis, graue periculum imminet humilitati à splendore huiusmodi dignitatum; paupertati à stipendio quod habent maximum; obedientiæ à liberiori genere vitæ extra imperium Prælati. Si tuta quæque sectari præcipis, amoues Dominicanos à studiis, à Concionibus, ab Academiis, à Principum, & Regum confessionibus, & subinde tibi tuisque ad hæc munera viam occludis: quia non minus imminet periculi, in aula Regum, quàm Pontificum, & Apostoli verissimum effatum est; *Scientia inflat*, & aura popularis; auditorum plausus, qui ex concionibus, & disputationibus captatur, non minus timendus est quam pericula, quæ nobis denuntias, fugienda. Sed vt verum fatear, *timeo Danaos*. Suspecta mihi sunt tua consilia, Petre, & quæ præ te fers ex charitate dare, dubito, an à liuore, & malignitate proficiscantur. Imprimis, quid illud sibi vult, quod a Rotâ, quam examinandis libris quasi Rempublicam Platonicam comminisceris; iubes abigi Religiosos, & solos sæculares admitti? An non vides quam graue vulnus infligas omnibus Religiosis Ordinibus, nequidem tua Societate exceptâ, & quam strenuè promoueas hæreticorum, & impiorum consilia, & odia in Religiosos Ordines, quos è medio sublatos vellent, & tu pellis ab eruditorum & integerrimorum Iudicum cœtu, quasi ignaros, aut corruptos, aut certè minus sani, & æqui iudicii quam sæculares?

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

De serie Magistrorum Sacri Palatij generatim, ac nominatim de penultimo, seu sexagesimo quinto.

RElegenti seriem Magistrorum Sacri Palatii, quam P. Fontana diligenti & accurata, codicum, tabularum, & monumentorum nostri Ordinis inuestigatione, aliisque nominibus benè de nobis meritus, titulo Syllabi nuper perstrinxit; mirari subit, cum numeris longe nobilissimi initia sanè modica, vt solent ingentium fluminum, & amplissimarum ciuitatum, tum virorum qui illud officii administrarunt sapientiam. Sed horum admiratio maiori cessit, perpetuæ Summorum Pontificum qui à prima Magisterij institutione sederunt, in nostram Familiam humanitatis & beneuolentiæ, nunquam interrupto miraculo.

Certum est à summâ parentis nostri charitate, & quo flagrabat animarum zelo repetita principia. Ad huius originis sanctitatem refero, quæ consecuta est, tum officij amplitudinem, tum in eo seruando, obeundo, augendoque Dominicanorum fœlicitatem: Nam quæ charitas molitur opera, semper inualescunt, & perennant. Primam nouæ Institutionis cogitationem iniecit hæc virtus D. Dominico. Nam vt ex Flaminio in annalibus nostris refert Maluenda, cum vir Dei Dominicus animaduerteret, quotidie occupatus cum Pontifice Cardinalibus, eorum ministros in aulâ nugis tempus terere; indoluit, monuitque Pontificem turpe & damnosum esse tempus à tantâ multitudine in ludos, ac res vanissimas absumi, sibique vtile futurum videri, si tantispet dum Cardinales cum eo negotiis Ecclesiæ vacant, quispiam doctus illos pietatis ac fidei rudimentis imbueret. Certe si grandia paruis liceat assimilare, videntur D Dominici exemplum secuti, qui ab aliquot annis, dum Clerus, aut Prouinciæ sua Comitia habent, vel Senatores exercent iu-

dicia, eorum seruos à pedibus, docent religionis elementa.

Sed ab Honorio III. Diui Dominici consilio institutum, illique primo impositum Magisterium, multis iuribus auxit Eugenius IV. in gratiam Ioannis à Turrecremata, tum Magistri Sacri Palatii; cum in Concilio Basileensi, illius, omniumque Pontificum causam validissime propugnabat: vt videatur cum suo parente huius instituti gloriam partiri; & seruatâ D. Dominico eius origine, incrementum merito in Turrecrematam referatur; cum pari penè ipsius viri ac muneris commendatione, quod illius virtute creuerit, qui authoritati Sedis Apostolicæ, & puellarum pudicitiæ consuluerit, constituto dotandis, seu ad matrimonium, seu ad votiuam castitatem virginibus sodalitio.

Hinc Dei liberalitate, & Summorum Pontificum gratiâ factum puto, ne vnquam hactenus id munus à Dominicanis ad aliorum manus peruenerit. Quamuis enim summa sit Pontificum potestas, in ea quæ iure Ecclesiastico decessorum voluntate sancita sunt, vt legitima suppetat, cum libuerit illa immutandi vel tollendi facultas, nec vllus foret de læso iure expostulandi locus, si concessa & multis sæculis ad nostrum vsque seruata Pontificum beneficio officia, in alios translaturus, nobis abrogaret; hoc tamen maximè Patrum nostrorum virtutem & Summorum Pontificum in nos effusam bonitatem commendat; quod Magisterium, cuius penès ipsos esset arbitrium, nostræ Familiæ perpetuò assertum voluerint, quasi summo iure ad nos pertineret, nec citra iniuriam posset auferri.

Neque hîc tantum id genus miraculi obtinet, vt rebus arbitrariis, & merâ liberalitate concessis, maior quam iure rato necessariis firmiorque perennitas contingat. Dum apud Romanos liberum fuit coniugij vinculum, nullum dissolutionis visum est, vel auditum exemplum: sed tum maximè feruuerunt diuortia cum huic animorum corporumque voluntariæ coniunctioni leges addiderunt, & iniecerunt necessitatem. Melius itaque fœliciusque nobiscum agitur, quod omni iuris meritorumque abrogatâ etiam cogitatione, in

manibus Summorum Pontificum, vti Dei, sortes nostræ versentur, & ab illorum mero suspendantur arbitrio Hinc firmior certiorque euasit huius muneris possessio; quia inde enixior fidei cura, maiusque noua merita comparandi studium nos incessit, priorum abdicatâ fiduciâ. Hinc etiam constantior minusque vicissitudini obnoxia Pontificum in nos beneuolentia, quod omninò gratuitam, nullo nostro iure, aut merito, nobis arrogemus; non certè magis, quam Dei institutam gratuitò & conditam naturam conseruantis perpetuo influxu beneficium. Vnde quam Centurio Euangelij in suos milites potestatem, promptamque illorum ad sibi parendum voluntatem, his verbis prædicabat, *dico huic vade & vadit*; par est Pontificum in Dominicanos imperium: nec militum in illis fides & obedientia vnquam etiam periculosissimis temporibus fuit desiderata; quamuis cæterorum Ordinum hominibus, longe aliis partibus scientiæ, & sanctitatis opinione, Scriptorum numero, & in Ecclesiam meritis decedamus, maioribus tamen nos Sedi Apostolicæ beneficiis, & fide pluribus experimentis comperta deuinctos esse contendimus.

Licet verò communis sit toti Familiæ Prædicatorum hic grati animi sensus, & qui ab illo recesserit sit plane degener hujus Piæ matris filius: attamen cum Magistri Sacri Palatij propiùs absint à domo, & maiestate Pontificum, eorumque domesticis accenseantur; Dominicanorum reliquos obsequio, reuerentiâ, gratoque in Pontifices animo longe vincunt: adeoque firmâ, & tenaci illis fide adhæserunt, vt nec lectum, nec auditum sit vnquam, ex sexaginta sex Dominicanis qui eo defuncti sunt officio, in illud peccasse, vel inde amotos, nisi vt ad majora vocarentur. Nec Alexandri VII. humanitas & sapientia passa est illud à decessoribus, familiæ nostræ seruatum fidei incorruptæ decus & testimonium, suo Pontificatu in nobis desiderari: id enim sensit ad Sedis Apostolicæ maiestatem pertinere, vt quam Petro eiusque successoribus Christus Patrem rogauit, pollicitusque est, nunquam defectura fides deriuaretur in administros, qui propiùs illi adsunt, Sacri Palatij magistros. Quotquot enim à D. Dominico,

qui primùm hoc loco & nomine donatus est, perpetuâ nec interruptâ serie filij succedere, Parentis cum munere fidem in Sedem Pontificiam exceperunt, & Magisterio immortui sunt, præter eos qui inde sibi gradum ad altiora fecerunt, quibusque dictum est *Amicé ascende superius*.

Et quamuis aliquid aduersi Patri Capisucco ordine sexagesimo quinto Sacri Palatij Magistro contigisse videatur, quod illi hanc fœlicitatem & laudem dubiam fecerit; propè est vt exclamem tanti fuisse ad commendandam casu singulari Summi Pontificis clementiam & humanitatem. Eo enim recidit faustumque exitum & fructum non pœnitendum habuit, illud quod in caput viri Religiosissimi videbatur vergere infortunij genus: quod tamen eo illæso, & illustrato, in Alexandri versum est gloriam immortalem. Habuit Capisuccus quid simile Carranzæ nostro Archiepisco Toletano: Cuius causa quatuor Pontifices exercuit, & hoc singulare consecuta est, vt bellum vtrinque iustum dari certo experimento euicerit. Ipsemet Carranza, ea erat in Iudices, & accusatores æquitate, vt quamuis innocentiam suam acriter propugnaret, non negarit tamen datam aduersariis occasionem in se inquirendi, eosque ab omni odio, & iniquo iudicio absolueret.

Cum Carranza, instituto, nobilitate, constantiâ, & innocentiâ conuenit Capisuccus: sed causarum euentus longissimè distant. Carranza licet solis suspicionibus laboraret, à Pio V. id est, Dominicanus à Dominicano seueriſſimè habitus est: cùm duo decessores Paulus, & Pius IV. in accusatum absentem egissent, ipse quâ valebat apud Philippum II. Hispaniæ Regem gratiâ, Romam adductum, cum posset saluo jure absoluere, suæque dignitati restituere; detinuit, seruauitq; successori judicandum, grauius quam inflictâ pœnâ hâc dilatione vexatum. Quâ vero humanitate Alexander cum Capisucco egit? Quamuis enim illius casui, nedum Roma & Italia, sed penè tota Europa indoluerit; & Principes Ecclesiæ, ac Reges, amicitiæ causâ suis litteris aut perlegatos iuuerint apud Pontificem, eius tamen animus, non tam horum precibus,

quam pro ingenitâ clementiâ rem peragi voluit, ſola paterna in filium charitate.

Et ne videretur reo culpam remittere, & aliquâ delicti notâ veniæ nomine, aut ſpecie aſpergere; non ſatis fuit Pontificis bonitati inſontem habere, voluit etiam quaſi benè meritum Epiſcopi honore decorare, quo nequeunt niſi digni, aut digniores donari. Cenſent Principum nonnulli, ex falsâ omninò opinione, ad ſuam maieſtatem pertinere, quos vel ſemel ſuſpicati ſunt vel aliorum relatione reos crediderunt, eo ſemper loco habere, & vix inſontes abſoluere, ne videantur iudicium retractaſſe: ſed prauam hanc mortalium ambitionem damnauit ſapientiſſimus Pontifex in Capiſucco, nedum compertâ eius Innocentiâ extra Iudicij aleam ſepoſito; ſed etiam ad dignitatem capeſcendam inuitato: neque enim humaniſſimus Princeps, ſuis beneficiis deeſſe patitur gratiam omnium maximam; vt vis omninò abſit, & quibus conferuntur, ſpontanea ſit vſura. Exemplo tantæ humanitatis, & clementiæ, qualis vix occurrit etiam apud antiquos, ſingulari nec hactenus visâ modeſtiâ reſpondit Capiſuccus: ſolo beneuolentiæ Alexandri, ſuæque innocentiæ contentus teſtimonio maluit ſuæ matri reſtitui, & priuatus in Cœnobio viuere, quam ornari infulis, & Patris ac Pontificis honore ac munere defungi.

Quæ à Magiſterio Sacri Palatij multis olim patuit ad Eccleſiarum præfecturas, quam Reuerendiſſimus Leucarinus adhuc ſuperſtes calcauit, via Capiſucco aperta fuit: ſed gratior tutiorque illi viſa eſt quæ ad Cœnobiticam humilitatem ducit, eâ quæ ad Pontificiam prouehit dignitatem: & hanc, permiſſo ſuæ conditionis arbitrio elegit, cum omnium admiratione & Summi Pontificis laude: neque enim ad ſuam matrem redeunti, ne quid videretur eius famæ eâ detractum mutatione, ſuam paſſus eſt commendationem deeſſe: ſed poſt Generalem Magiſtrum ſecundum iuſſit vbique locum obtinere, & recuſatam extrariam dignitatem placuit ſaltem hac domeſticâ compenſare. Quo ipſe hominem gradu repoſuit, nos omnes habemus; & poſt Generalem Magiſtrum, præ cæteris tanquam

optimè de Religione meritum, omni cultu prosequimur & reueremur, eoque iustius id obsequij impendimus, quod Pontificio imperio nobis iniunctum, multis ipse nominibus, cum Religionis tutandæ & ornandæ studio, tum singularibus natalium, corporis & animi dotibus commereatur.

Ad altiora auitæ gloriæ, propriæque virtutis gradibus, facilis illi esset ascensus: eo etiam reluctantem propellere, nos cogeret cum aduersis fortitudo animi, & repulsâ honorum modestia comprobata, tum longâ exercitatione in Sacro Palatio elegantis, & optimi concionatoris comparata fama; tum denique diuturná rerum grauissimarum tractatione collecta, & exercita prudentia, & nihil his dotibus impar Religionis gloriæ quo flagrat ardor incredibilis. Taceo quæ alij melius me norunt, & à natalium splendore, à vitâ innocenter actâ, & à variis quibus defunctus est muneribus habet ornamenta, quæ ipse vnus si per modestiam & humilitatem liceret, posset dictis & eloquentiâ exæquare.

Paucis celeberrimi Patris Leonis ex Religiosissimâ Prouinciâ Redonensi Carmelitæ nomen Romæ & in Galliâ ignotum est: ille concionibus, librisque omnis generis scientiarum quibus meritò sapientiæ contextus nomen dedit, Catdinalis Richelij, ac Innocentij X. Summorum nostri sæculi virorum, nedum iudicio, sed intima etiam familiaritate, nostro & sequentibus sæculis laudandus: ille igitur, mihi dum Romæ eram coràm testatus est, Capisucco eloquentiorem melioremque concionatorem se non audiuisse. Cuique in suâ arte credendum est.

Quid opus partis proprio labore bonis opulento, & laudibus ornato; aliena à maioribus decora ascisscere, quæ illi suppetunt copiosissima? Nemo enim nescit, nisi cui nostri & superiorum temporum ignota est historia, Familiam Capisuccorum Romæ peruetustam, & heroum feraciſſimam, infulis, armis, & litteris illustrium, qui domi forisque rem Christianam tutati sunt, Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Sedis Apostolicæ Legati, Senatores Romani, exercituum Præfecti, qui Fidem Catholicam aduersus hæreticos in Galliâ &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [365] - 345
PUBLIC DOMAIN

Belgio, aduersus Turcas in Hungariâ propugnarunt. Hos maiores pietate bello, aliisque bonis artibus celebres sortitus noster Capisuccus; nihil degener vix exactâ pueritiâ Sacro Prædicatorum Ordini nomen dedit: eâque vbertate doctrinam discipulus Angelicam hausit, vt in alios Philosophiæ ac Theologiæ Professoris functus officio profuderit; & habile ad præclara quæque, ingenium grauioribus negotiis aptarit per 20. ferè annos exercitum: Nam primum Patris Vincentij Candidi Magistri Sacri Palatij socius, deinde à Secretis Sacræ Congregationis Indicis, postmodum examini Episcoporum præfectus, tandem ad Sacri Palatij promotus Magisterium, vbique animum integerrimum, ab omni ambitu alienum omnibus approbauit, maximè Innocentio X. acerrimi & æquissimi iudicij Pontifici; quem maiora manebant, si diutiùs superstes fuisset, is cuius beneuolentiam promeruerat. Sed longe felicior sors contigit; cum ab extrariis rebus reuocato Deus hæc illi otia fecit, vt sibi & sapientiæ studio tantum vacet.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Secretior causa detegitur, & improbatur.

IMprimis si quæ videatur contrectatio pecuniæ periculosa, vnde possint maculari manus, cùm extra clausstrum procul à Prælati imperio viuitur; præter quod non deest authoritas summi Pontificis, penès quem est summum ius eiusmodi vincula dissoluendi; degunt semper magistri Sacri Palatij, Commissarij Inquisitionis, Secretarij Indicis, sub totius Aulæ & Summi Pontificis conspectu; atque illud celeberrimum totius orbis spectaculum & theatrum seueriores habet leges, quam ipsummet clausstrum.

Imprudens ac planè vecors fuerit is, qui ad hæc officia assumptus summi Pontificis iudicio, & aulæ consensu, licentiùs agat, & professionis Religiosæ oblitus, sæculari more viuat. Quin potius ex huiusmodi dignitatibus maxima illos vrget sanctius viuendi neces-

sitas; vt quam de se cum priuati essent, aut in minoribus officiis constituti excitarunt opinionem; sustineant, & se probent altiori loco dignos. Hinc etiam factum est vt vix dimidia pars illorum, qui ad aulam ex clausstro vocati suis sint officiis immortui. Nam vbi se dignos loco quem occupabant demonstrarunt, dictum est: *Amicé ascende superius*. Inde recensuimus tot Cardinales creatos, tot assumptos Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, tot Generales electos. Atque his exemplis validissime Consilia Petri refelluntur, fraudes, & doli aperiuntur, & euanescunt. Excelsa quæque non sunt semper prærupta, maximè illis, qui eò sponte non arrepunt & assurgunt; sed assumuntur, & alienâ manu & imperio protruduntur, qui pluribus annis dotes ad hæc officia comparatarunt; quales fuere quos Roma vidit Magistros sacri Palatij: neque id citra inuidiam negari potest.

Sed præter fraudes apertas, & profundam calliditatem, quas ex hâc diatribâ in lucem protuli: quod de libris Dominicanorum ante animaduerti, verius est de aulæ Romanæ officiis. Imitatur gulosos illos mensarum & cupediarum aucupes, qui delicatiores cibos sputis conspurcabant, vt conuiuis ab illorum contactu tot sordibus deterritis, soli illos helluarentur. Num etiam Petrus huiusmodi officia periculis plena, superbiæ, vitæ licentiori & offensionibus extraneorum obnoxia subjecit omnium oculis, vt reliquis tot malorum specie deterritis, Petro eiusque amicis in sortem cederent; & tum longissimè facesserent, quæ superbiæ, quæ laxioris vitæ Dominicanis pericula intentabat. Et nouam forte herbam ex nouo orbe deportaret, quæ huiusmodi tentationes arceret; similem illi quæ in aulâ Regum Lusitaniæ circumferebatur, quâ citra castitatis noxam possent pulcherrimarum mulierum audire confessiones, easque ad colloquia & familiaritatem admittere. Et Annales Societatis ferunt à Ioanne III. quæsitum ex vno Patre Societatis; an aliquâ herbâ inter voluptatum illecebras castitatem munirent?

Suam conscientiam exploret Petrus, & moneat nos quid responsurus esset summo Pontifici, si à Dominicanorum Ordine statueret hæc officia ad ipsum & ad

Societatem transferre. An recusaret, an obtruderet pericula humilitati, obedientiæ, & paupertati impendentia, quæ nobis comminatur? An timeret offensiones sæcularium, quas nos iure vel iniuriâ dicit incurrere? Communis omnium sensus est, sepositio omni metu, & respectu te hæc officia, quasi è cœlo missa, dona, quasi æterna instituti præsidia & ornamenta auidissime arrepturum. Cur adeo diuersa de te & de aliis sentis? Cur nobis timenda, tibi optanda credis? Quia in eâ es hæresi; vt Tullii verbis, & sensu, non Ecclesiæ loquar, tutò, & cum certâ salutis fiduciâ posse à te administrari officia, quæ aliis sint in perniciem, & in scandalum.

Verùm si liceret præterita repetere, & amoris sui paululùm præstigias semouere; potest-ne Petrus sibi persuadere, hæc officia sanctius & magis è Re Christiana à suis gerenda & implenda, quam fuerint hactenus à Dominicanis? Vix tota Societas dabit nobis viros sanctitate & scientia pares Dominicanis, qui Magisterio Sacri Palatij defuncti sunt. Habet Diuos Ignatium & Xauerium in Sanctorum Catalogum relatos: certe Dominicus, & Vincentius, quos Magistros Sacri Palatij diximus, merito cum illis paria facient. E Societate ad Cardinalatum quatuor hactenus assumpti sunt; è Magistris verò Sacri Palatij septem numerantur. Habent Theologiæ Scholasticæ, & Moralis consultissimos, sed non puto illustriores Durando & Syluestro. Habetis optimos præpositos Generales; sed non tot, nec meliores, quot ex Magistris Sacri Palatij in Magistros Generales Ordinis electi sunt.

Sed omissis pluribus, quæ possem per longam collationem deducere; vnum, aut alterum te volo, Petre, atque his exercitationem & totam Apologiam claudam. Tu qui times paupertati nostrorum hominum à nimio stipendio, & à copiâ rerum temporalium; credis-nè sanctiùs & citra noxam voti paupertatis, hęc bona à tuis dispensatum iri, quam à Turrecremata nostro, primùm Magistro Sacri Palatij, deinde Cardinali; quem tantum abest vt diuitiarum vsus infecerit, quin potiùs suis bonis testamento relictis in dotem Virginum & puellarum multitudinẽ, ideſt, plusquam quin-

gentas singulis annis etiamnum à prostitutione & spurcitia seruat, & vsque ad sæculorum finem est seruaturus?

Alterum à te velim: Num credas te tuosque hâc potestate Sacri Palatij, & Inquisitorum si penès vos essent, modestiùs cum minori inuidiâ, & extraneorum odio atque defensione, ne dicam tyrannide vsuros, quam Dominicani vsi fuerint, aut vtantur? Si te mitiùs acturum asseras, reclamabit totus orbis Christianus, qui multis experimentis edoctus (quæ non attinet dicere;) nihil magis timet quam tuo tuique similium arbitrio permitti, & subijci.

Summa apud Pontifices & Principes gratiâ valuerunt Dominicani. Quid non potuit Sanctus Raymundus apud Gregorium nonum, & Iacobum Aragonum Regem, quibus à Confessionibus erat & à Consilis? An non Innocentius quintum, Benedictus XI. Pius V. Apostolicæ Maiestatis culmen adepti sunt? At quis ne dicam insons, aut suspectus, sed ne reus quidem inauditus loco pulsus, aut proscriptus fuit Dominicanorum potentiâ, vel gratiâ apud Principes? Sed ne hæc inuidiosa, quæ importunitas istius hominis ab inuito extorquet, & quæ vellem æterno silentio sepulta fusius prosequar; hoc vnum verissimè dicam: Officia quæ nobis inuides, ita iustè, & sanctè, ita pro dignitate è Re Christianâ à Dominicanis administrata, vt non pœniteat Ecclesiam eorum operâ vsam esse, nec sperare possit aliorum Ordinum operarios, sibi fore magis fidos aut vtiliores, iis quorum fidem incorruptam, quorum intrepidum animum in sui causâ, & laboribus, ac periculis inuictum, longissimo 400. annorum experimento comprobarit. Da illi Petre, tuo, tuorumque nomine huiusmodi fidei iussores ac vadem, & fortè, tum te Dominicanorum, quem ita imporenter, ambis loco sufficiet.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [369] - 349
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vindiciæ Fratris Dominici Ottomanni.

VIdebor, quam totâ Apologiâ à noſtris ſcriptis, & ab animo Lectorem, pro virili amolitus ſum iactantiæ & gloriationis ſuſpicionem, huius operis parte vltimâ inducere, & confirmare: cum vix quicquam vanius ſit indagine, & prædicatione natalium; nec aliud habitura videatur operæ-pretium, hæc de Fratris Ottomanni origine à Turcarum Imperatoribus repetita, concertatio: niſi quale expectare poſſis à re nihili contemnendâ potius, quam indagandâ, de quâ in vtramque partem, quàmlibet enitare, ſolis coniecturis queas diſputare. Quis enim futurus eſt huius controuerſiæ exitus, aut fructus, cum nullus ſit coniectationum, aut diuinationum finis? Et licet rem propoſitam conficiamus, nec meliores, aut Deo gratiores inde euaſuri, nec Lectorem, & ipſum cuius causâ ſuſcepta eſt diſputatio, facturi ſimus.

Sed Præfatione operis monui, vindicationis huius illuſtris nominis, diuerſiſſimam nobis, & illi cuius gratiâ initur eſſe rationem: illi quidem abijciendam, omnem etiam ſi fieri poſſit, cogitationem; mihi verò aliquam deffenſionem eſſe ſuſcipiendam. fateor plurimum inanis habere natalia, ſi is ad quem pertinent ſe ſe inde efferat: maximum verò habere momenti ad commendandam humilitatem, & modeſtiam, ſi id decus aſpernetur. Refert verò nos ea ſcire, vnde vel ex ipſo contemptu creſcere poſſis, & noua merita comparare. Damnarem eum, qui anxiè in ſuos progenitores inquireret, ſuamque nobilitatem aliis perſuadere ſatageret: at ſi ipſe huius auitæ gloriæ certus, nihil penſi habeat, quid alij de ſe ſentiant; næ ille apud ſapientes bonum, magnumque nomen conſequetur.

Rei paulò obſcuriori, quam non ignorare interſit; illuſtrandæ, accommodatum licet paulo humilius videtur, exemplum notæ numerariæ, græco ὁμηρὸν ſimilis, quæ ſolitaria, vel aliis eiuſdem generis etiam

infinitis addita, nullum auget aut facit numerum, sed in nihilum abit. Verum si aliis notis adiungas, in maius crescit; & summas rerum pro varia sui additione, nullo termino, aut fine congeminat. Eodem loco reponenda mihi videntur natalia. Si nostra obtineat opinio, Dominicum Ottomanum id nomen verum præferre; quasi ab Ottomanorum Familiâ & Ibraini Imperatoris primogenitum; tria inde existunt necessaria consecutione, & aliqua etiam meditatione bona expendenda, pro cuiusque affectu aut studio.

Cogitanti quidem rerum humanarum vices Philosophorum more, magnum eius sors, est fortunæ ludibrium, & diuinæ prouidentiæ, ac maiestatis grande argumentum, & Encomium; illudque Ouidij altè inclamat:

Ludit in humanis diuina potentia rebus:

Cum ex altissimo Imperatoriæ Dignitatis, cui natus erat, fastigio, in captiuitatem puer delapsus sit; præter fœlicitatis humanæ stupendam inconstantiam casus; hic Equitum Melitensium fortitudinem ad cœlum vsque attollit, & fœlicitatis est aliquale augurium. Nam septem omninò triremibus præter quinque Turcarum naues captas, aut submersas, Gaulum grandiorem, ac capacissimum, quasi arcem fluctuantem, ac natatilem, quæ vna fere classem æquabat, & iudicio nauarchi aduersus quinquaginta Triremes satis munitam, aggressi; post acerrimam per quinque horas dimicationem, cum multa suorum, & hostium cæde expugnasse; fuit inuictæ fortitudinis, & gloriæ immortalis. In ea verò naui gazam planè Regiam, vltra trium millionum aureorum pretium, cum Vxore, & Primogenito Imperatoris, atque hærede Imperij cepisse; non leue augurium est, euerrendi aliquando ab iis Nobilissimis Equitibus Turcici Imperij.

Sed hanc laudem, & victoriam in fidei hostium gratiam, & noxam militum Christianorum eleuant, imminuunt, qui germen Ottomannicum captum negant: nec minus Dominicanorum, quam Melitensium gloriæ detrahunt, aut inuident: cum ab istis vi captum, ab illis negant fidei elementis imbutum; in

eorum Familiam voluisse adoptari. Trium itaque hac dissertatione causam ago: prouidentiæ diuinæ, quæ hoc nobis rerum mortalium vicissitudinis exemplum ad illarum inducendum contemptum recens subiecit: Melitensium Equitum, quorum victoriam illustrat, laudesque auget, & exaggerat, legitimus Imperij Turcici in suam potestatem redactus heres, in quo videntur Imperij Turcici excidio prolusisse: & Dominicanæ Familiæ, quæ hunc Ecclesiæ filium peperit, quem natalium gloriæ additis sapientiæ, & pietatis dotibus, immortale decus, & ornamentum habebit.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Dubitandi in vtramque partem, & certa in hac controuersiâ inquirendæ veritatis ratio, ac indubitata argumenta.

HIstoriam gallico idiomate eleganter, ac fusè descriptam, editamque nuper ab vno Equite; compendio, aptiori forte methodo, licet rudiori stylo perstringam; sumpto ab ipsius controuersiæ cardine, exordio. Ipse qui concertationis argumentum, & materiam præbet, eâ quâ pollet prudentia, & subtilitate ingenii, mihi secum familiariter colloquenti, ante susceptam, aut promissam hanc scriptionem, duobus verbis totam controuersiam, & omnia in vtramque partem argumenta complexus est.

Si constet Dominicum Ottomanum ex Gyneceo, & Palatio Turcico Bizuntino, quod vulgo *Serail* vocant, prodiisse, & inde voti & Religionis causa soluisse Mecham versus ad Sepulchrum Mahometis, euicta est eius origo certissima ab Imperatore Turcarum: quia has domos Regias solæ Mulieres cum famulitio Ancillarum, & Eunuchorum incolunt, & subeunt: atque hinc, & inde commeandi morem, & facultatem habent, occlusis arctissime, ac summa, nedum curâ, sed etiam Religione, foribus, viris omnibus præter Imperatorem, qui possit eo loci dare operam liberis, illosque

ſuſcipere. At comprobatum eſt, nedum Scriptorum omnium ex Galliâ, & Italiâ, qui rem libris editis narrant; ſed etiam domeſticorum, qui Sultanam, eiuſque filium comitabantur, teſtimoniis, in Lupara Bizuntina natum Puerum, & inde cum Matre, quâ per hortos porta ad mare patet, nocte intempeſta, ſemotis omnibus arbitris præter comites, ac milites, inſcia tota ciuitate ſoluiſſe.

Aliud igitur non ſupereſt contra nitentibus aduerſariis præſidium, & effugium, præter legem Turcici ſtatus, quam obtundunt; Imperatorum filios Gynecæo, ſeu Baſilica, in quâ nati fuerint, exire nunquam, ac proinde falſum eſſe Sultanam, eiuſque filium inde egreſſos; prædæ fuiſſe Equitibus Melitenſibus. Hanc legem Imperij Ottomannici ratam agnoſcimus; ſed nullius exceptionis, quacumque etiam Religionis, & Imperij causâ patientem negamus: eamque tum Imperatoris voti, cuius erat reus, ſoluendi cauſâ, tum Reginæ Matris, & Muphti, id eſt, ſummi apud Turcas Sacerdotis in res quæ ad religionem pertinent ſumma authoritate, & conſilio, ac conſenſu contendimus adhibitam diſpenſationem: idque variis, certiſque argumentis probaturus ſum, vbi aperuero locum, vnde certiora ſint repetenda.

Qui hac de re dubitationes ingerunt, non modò Melitenſis Ordinis victoriam eleuant, & gloriam inumbrant, vt iam monui; ſed longè grauiorem illorum fidei inferunt noxam: nec per illos ſtat quin veluti nugaces, ac mendaces traducantur; quo iniuriæ, & conuitij genere, nullum atrocius, & intolerabilius inferri poteſt eorum nobilitati: quid enim illis probroſius objicias; quam nedum mendacium ſemel aut iterum admiſſum, ſed in mores etiam inductum? Certum enim eſt penès illos fuiſſe hac de re vnam veritatis aſſequendæ rationem; quam ſi adulterauerint, (quale illis crimen aduerſarii affingunt,) non occurrit quo appellem nomine, aut quibus ſint pœnis afficiendi: ſi verò hoc illis eleuandæ hiſtoriæ, & victoriæ falſo objiciatur; viderint accuſatores quo loco ſint habendi, nedum ablatâ per fraudem gloriâ, ſed iniectâ etiam atroci calumniâ.

Imprimis contendo non eſſe hic Regum legatos apud Imperatorem Turcam audiendos: quia huius Imperij

lex ſuprema eſt, ſilentium, & arcanum Religioſiſſimè ſeruatum, quod lædi nequeat, citra perniciem certam eorum, qui res ſuæ fidei creditas, vel minimo ſigno ſuſpecti fuerint innuiſſe. Legatos verò habent ipſi, non tanquam iuris-gentium, (quod apud illos nullum eſt,) cuſtodes, & obſides; ſed veluti ſpeculatores, à quibus ſibi diligentius, quam ab apertis hoſtibus, velut ab inſidiatoribus, cauent: ideò Imperatorem adeundi ſemel, cum primum accedunt, & iterum abituri; magnum vero adminiſtrum, (quem Vizir vocant) rariſſimè alloquendi fit illis copia: nec ab aliis Imperii Miniſtris rerum certam comparare poſſunt notitiam; tum quod ratò illos conueniant, tum quod eos lateant arcana, & ſibi creditorum ſint tenaciſſimi: non ſolum quia Imperii Maieſtatem vno ſilentio conſtare putent, ſed quod etiam immania illos ſupplicia maneant, ſi linguis non pepercerint.

Vna ſupereſt explorandæ, & conſequendæ veritatis ratio, non ex vno, aut altero, vel vnius generis domeſticorum, aut plurib'us diuerſi ordinis, qui inito inter ſe de tacendis, aut dicendis conſilio conuenerint; inde enim facile poſſet error obrepere, aut credulis imponi: eam vero ſuadet, certamque prædicat conuenientia propè infinitorum omnis generis teſtium, virorum, ancillarum, ſeruorum, militum, qui vel ſuperſtitionis Mahometicæ tenaces ad mortem vſque fuerint, vel illâ eiuratâ adhæſerint Religioni Chriſtianæ: quodnam enim indubitatum magis argumentum veritatis eſſe poteſt, quam in vnam rem conſenſus tot hominum, non modo ſexu, ætate, genere diſſimilium; ſed etiam ſtudiis, moribus, ac legibus diſſidentium: quorum ſermones, geſtus, actuſque non vnius diei, menſis, aut anni; ſed longiſſimi temporis in vnum conſpirent: ſeu incautis, & imprudentibus exciderint, ſeu deſtinato, & meditati egerint, aut locuti ſint, ſeu arbitris ſemotis, res ſuas occultarint, ſeu omnium oculis ſubiecerint?

Certum eſt imprimis, egreſſum è Gynecæo Bizuntino non potuiſſe latere comitatum, & famulitium; cum inde omnes mare conſcenderint: nec tot diuerſi generis homines, ita vbique cautè ſe habuiſſe, quin multis ſignis, interdum etiam manifeſtis, iſta aperuerint; vel

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [374] - 354
PUBLIC DOMAIN

promiſſis, vel captiuitatis tædio, vel mutatâ Religione euulgarint. Ex his verò omnibus, ſeu diuidas, ſeu collectim ſumas, dictis factiſque, clàm aut apertè, caſu aut deſtinato, ſi conſentiant; quis neget exiſtere inuictum certæ veritatis argumentum qualibet demonſtratione euidentius? Illius verò generis conuenientia propè infinita ſuppetunt teſtimonia; è quibus certiora puto, quæ ab incautis, & aliud agentibus, vel ſummo ſe ſtudio occultantibus excepta ſunt: qualia ſunt dum Sultanæ & filio, occluſis foribus noctu, proni flexiſque genibus, vt ſolent Turcæ ſuis Imperatoribus, famulabantur; vel inter ſe familiariùs colloquebantur linguâ patriâ, rati ſe à nullo extraneorum videri, aut intelligi.

Hinc innotuit Equitibus Melitenſibus captas in Gaulo maiori Mulieres ex Ginecæo Bizuntino ſoluiſſe: neque hoc Turcæ negabant, quia apertius erat quàm inficiari poſſent. Nam præter ſuperbiſſimum famulatum Epheborum, ſupra quadraginta Matronas, ac famulas elegantiſſimis veſtibus ornatas, duo aderant Agæ, ſeu Præfecti, & cuſtodes Eunuchi virginum; quorum vnus in eo prælio inter pugnandum confoſſus, eo apud Turcas ſupremo honore ſub tribus Imperatoribus defunctus fuit: Eunuchus alter pugnæ ſuperſtes aliquot poſtmodùm menſibus morte impendente, iuſſit afferri ad ſe Puerum, & inter eius amplexus, ac pedum oſcula expirauit, hoc vltimo in ſuum Regem obſequio ſe ſe ſolatus. Omitto ex comitatu Matronarum præcipuam, cum ægrè ferret Sultanam, filiumque duriori cuſtodiâ premi, vt liberaliùs haberentur, Magiſtro Equitum penès ſe habere Imperatoris vxorem, ac primogenitum ſignificaſſe: & hæc indulgentia peſſime Sultanam habuit, quod videret ad libertatem ſibi viam occludere, & breue aliquod leuamen perpetuâ captiuitate compenſari.

Quamuis valida ſint hæc argumenta; certiora tamen ſunt, quæ Ignatius à Ribera captiuæ Sultanæ cuſtos, & interpres ſubiecit. Is cum Officii cauſâ diu noctuque in domo Sultanæ verſaretur, ſæpius per portæ rimulas explorauit, quid ſemotis arbitris, & extraneis inter ſe agitarent: aduertitque famulitium Sultanæ, eiuſque Puero non adeſſe, aut inſeruire, niſi adorantium more corpore prono, flexiſque genibus, quaſi numen ali-

quod colerent. Rem Ignatius Magistro Militum retulit, & cum vix illi fidem haberet; iussit alios rem explo-ratum ire: Et cum comperissent, vt relatum fuerat se habere; omnis de conditione captiuorum sublata fuit in posterum dubitatio. Hinc honorificentius Sultana, puerque restitutâ ferè omni suppellectile iussi sunt ab omnibus haberi.

Licet iure requiri, aut vix sperari possint certiora relatis, rei controuersæ testimonia; minus tamen aduersariorum cauillis obnoxia videntur, quæ ex toto famulitio excepit Eques Lanfreduchius Italus. Cum aduentus Turcicæ classis, & impendentis obsidionis anxiâ expectatione distineretur Melita, consilio Equitum decretum est, mortuâ Matre, Puerum Palatii turre maximâ, & fortissimâ includendum; illique in custodem datus est nominatus Eques, qui à Turcis olim captus, & per aliquot annos durissimam perpessus seruitutem, eorum linguam didicerat. Hic verò à captiuis puero ad famulatum seruatis, inter se liberiùs agentibus, quod se nec audiri, nec intelligi ab vllo crederent, totius historiæ seriem pluries excepit. Quid verò minus suspectum, aut tergiuersationibus opportunum est, eâ seruorum, & Ancillarum confabulatione, quâ pluries per diem datâ quâcumque occasione, vicem Domini suamque dolebant, deliniebantque commemoratione eius conditionis, aut expectatione redemptionis, pretio aut annis conficiendæ.

His adde Matronarum vnam, auditâ quam Iudæi pacisebantur pueri emptione; vix sui compotem exclamasse, se se non passuram Ottomanicum sanguinem Iudæos mercari, aut eorum manibus tradi, & contrectari. Sed multo compertiora, magisque, vt ita loquar; conferta, ac conglobata sunt testimonia ex Tunetensi, Tripolitano, aliarumque Ciuitatum maritimarum Imperio Turcico subditarum Præfectis, qui certatim Puero etiam captiuo veluti Regi, ac Domino parerent; quas exigebat pecunias liberalissimè dabant. His verò cum ipse redimi non posset, pluribus ex comitatu libertatem restituit; alios exemplo, ac persuasione ad fidem & baptismum induxit. Quamuis verò in studia adeò contraria scinderentur, in vnam tamen rem conuenie-

bant. Sed præ Matronis, quæ Sultanæ aderant; clarior magisque comprobatæ fidei, ac omnium intimorum sensuum, & arcanorum eius particeps nomine Calpha Boula, quæ principem ad annum 13. vsque aluerat, fidem Christanam complexa, in Hispaniam profecta est, & ibi adhuc superstes iurata testis est rerum quas narrauimus, aut quæ supersunt referendæ.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Refelluntur præcipuæ obiectiones apertâ, & altius repetitâ Sultanæ, & filij ex Gynecæo Byzuntino Mecham ad Sepulchrum Mahometi nauigationis causâ.

HIstoriam nostri Dominicani immeritò falsi suspectam, ac penè compertam, inde causantur non nulli; quòd malè conueniat cum eâ lege Ottomanicæ domus, cuius vnius fortitudine, & fœlicitate creuit, & stat Imperium Turcicum; ne ex illa liberi Ginecæo vnquam exeant, in quo nati fuerint, & alantur: quasi leges huiusmodi domesticæ nullius dispensationis etiam superstitionis, vel potentiæ, seruandæ causâ, quæ suprema est apud illos ratio, patientes; aut illis sanctiores sint legibus diuinis, & iure naturali, aut gentium, quæ cum lubet, aut iuuat, ludibrio sunt apud illos, & conculcantur.

Equidem Ottomanicum Imperium, vix à quadringentis annis inchoatum, & in eam prouectum magnitudinem, quæ amplissimas ex Asiâ, Europâ, & Affricâ, Regiones occupat; stupori, & portenti loco est, sapientibus: quod vnius Familiæ, vt iam dixi, fortunâ potius, quam virtute, breuiori quam Romanum spatio temporis in plures sit prolatum Prouincias. Non minùs quam ipsius origo, & amplitudo, licet vtraque miranda, admirationi est, & stupori, ipsa euersis pene omnibus naturæ & libertatis iuribus, perinde fœlix, ac iniqua regnandi ratio.

Nihil ingenitum magis mortalium animis libertatis studio, charitate in suos, & humanitate in omnes; nihil conducibilius cognatorum maximè fratrum, dile-

ctione, nullumque firmius, eorum concordia præsidium: nullum societatem humanam arctius iure gentium vinculum nectit: nec acrior est naturæ impetus quam filiorum in Parentes procliuitas Hinc S. Doctor negat vtile futurum Ecclesiæ, aut licere filios à Parentum infidelium curâ subducere, & illis inuitis rapere ad baptismum: quod naturæ vi credat ad suos parentes abiectâ fide quamprimum redituros. Sed id vnde nostri Theologi Religioni Christianæ timent periculum, robur est Turcici Imperij. Militum, quo stat, Prætorianorum, quos *Ianissarios* vocant, delectus fit ab incunabulis: rapiuntur parentibus vt plurimùm Christianis quatuor, aut quinque annorum pulchriore, aut validiore corpore filij, iam baptismo susceptо, ad hanc militiam sacrilegam aptandi: & vix auditum est vllum abiecto cingulo in domum, ac Religionem paternam rediisse.

Eadem est in cæteris prudentiæ, & naturæ euertendis legibus cum impunitate licentia. Quid horrendum magis libidine præposterâ, aut vnius in plures fœminas effusâ? His, aliisque dediti flagitiis, eò videntur progressi potentiæ, vt erepta omnibus libertate metuendi, nihil timeant, eorumque muniantur, & fidant armis, in quos crudelius sæuiunt: vt nihil mirum sit interdum suas leges infringere, qui ferè nullis naturæ viuunt, & regnant, fœlici temeritate, & licentiâ quod libuerit agendi; cui aliquid interdum superstitionis admisceant. Hoc nostræ controuersiæ, quam; paucis subiicio, luculenter confirmant historia.

Acmetus Imperator sex liberos, quatuor ex diuersis fœminis; Mustapham, & Osmanum primo genitos; Bajazetum, & Orcanum minores natu; medios Amuratum, & Ibrainum ex vna matre susceperat: è quibus quatuor breuis Tyrannidis ob sæuitiam hæredes habuit. Deposito Mustapha, & Osmano fractâ à Prætorianis Militibus gulâ, succesſit Amuratus perinde Imperatoriis dotibus, ac vitiis magnus. Is in bellum aduersus Persas ad Babylonicam expugnationem cum exercitu ducentorum millium profecturus; sibi magis à tribus quos Constantinopoli relinquebat fratribus metuens, minores natu, & alterius matris duos Baiazetum, &

Oreanum arcto carcere detentos, ad se iussit adduci, eorum animum exploraturus: quos vbi generosos, & imperio dignos probauit, certæ morti addixit, si ex Persicâ expeditione victor rediret.

Fœlicem belli exitum, & expugnatam Babylonem duorum innocentum fratrum Imperio Sultanæ matris mors secuta; cum Ibraino ex eadem matre ob stultitiam, seu veram, seu fictam humaniùs actum fuit. Nam ante discessum ad Babylonicam obsidionem à Fratre vocatus, Matris vt creditur consilio gnauiter stultum egit: & Imperatoris auditâ profectione cum eiulatu exclamauit, de se actum esse, nisi aliquot Aspras (genus est monetæ apud Turcas minutioris,) sibi relinqueret, quibus delicias suas, id est, Auiculas suæ solitudinis socias, quæ se cantu recreabant, aleret. Stoliditas his verbis comprobata, seu ficta, seu ex vero, Ibraino saluti fuit, & præsidio, ad reditum vsque fratris.

Is ex bello redux cum vino, & promiscuæ libidini deditus subditorum inhiaret sanguini; & qui omne sibi flagitiorum genus indulgebat, seueriſſimè minima quæque in aliis castigaret: Et cum innato odio aduersaretur tabaccum, ex illo fumi hauriendi frequentissimum apud Turcas vsum grauissimo edicto, & pœnâ mortis prohibuit. Et quasi summa hæc legum esset, & ad Imperatoriam dignitatem pertineret, eius obseruationi quacumque ratione inuigilare; personatus, & occultatâ maiestate cum tortoribus vrbem circumcursabat, eos extemporario supplicio damnaturus, quos reperisset edicto non paruisse. Portum itaque, & littus maris lustranti duo milites occurrerunt; quorum vnus obuolutus pallio clanculùm tabacci fumo cerebrũ leuabat: Princeps procul odoratus quam oderat herbam, statim aduolat, & torroribus iubet hominem interficiant. Alteri militum aderat ex Mahometica superstitione vnus vitam solitariam professus, ex secta eorum quos vocant Torlaquios; non dissimiles illi apud nos hominum fæci, quos Ægyptios, aut Bohemos appellamus; eisdem furandi, & diuinationis artibus infames: is ex chiromanciæ infomniis ex porrectâ manu militi sua mendacia venditabat; cui ipse Imperator manum porrexit, ab hariolo auditurus, quæ se fors maneret: ex primâ inspectione

conformationis, & linerarum manus, respondit illi violentam mortem impendere: quo audito contremuit, & totus cogitabundus, atque anxius, cum ad palatium rediret; non aliunde sibi mortis, quam à Fratre, vel eius ad Imperium (vti iam in fratre Osmano viderat,) promouendi occasione, periculum timendum, & mortem impendere certò sibi persuasit.

Quare tanto malo auertendo, Eunuchorum Principi iussit se quamprimum hoc metu, & periculo liberaret, Fratre interfecto: finxit, ille se pariturum; & aditâ Matre vtriusque curâ consultum fuit vitæ Ibraini; qui Fratre non alienâ manu, sed nimiâ compotatione, & libidine sublato; cum vnus supereſſet ex Ottomanicâ familiâ hæres ad solium raptus est: Et cum tantæ dignitati impar esset & nimia indulgentia confirmaret conceptam de se insani opinionem; quasi Rex aut stultus ex veteri prouerbio, aut verius vterque natus esset: versa in crudelitatem dementia omnibus odio, & contemptui esse cœpit, nequidem Matre exceptâ. Ea cum primis Imperii administris, & summo superstitionis Sacerdote inito consilio de medio tollendum Ibrainum statuit, vbi filium Regni hæredem genuisset; & tanti boni consequendi causâ illi votum suadent; quo se Mahometo astringat, si prolem masculam det, se missurum Mecham ad eius sepulchrum, Religionis, & gratiarum referendarum causa pro tanto beneficio.

Duobus itaque ex diuersis Matribus modico temporis interuallo, Primo-genito nostro de quo agimus, Dominico, & altero, qui hodie tenet Imperium, minori natu auctus, vix ex tantâ fœlicitate & adepti imperij, ac gemina prole mascula confirmati, gaudio sui compos; sponte, & authoribus Matre, ac Muphti, qui inde præsidium ad noua consilia parabant; cogitauit de voto quod ediderat implendo: Idque opportunissimè contigit matri, aliisque in Principis vitam coniuratis: Nam cum res periculi plena esset, quam meditabantur Ibraini vel morte, vel qualibet ratione ab Imperio abdicatione, metuerentque ne subodoratus insidias, suæ saluti nedum coniuratorum cæde; sed etiam filiorum morte consuleret; ratus, vt res erat, se ab omni periculo tutum fore, ipsa orbitate, quamdiu solus sine liberis, & hærede

ex Ottomannicâ Familiâ supereſſet; qui maiorum virtute partas ditiones teneret: neque Turcas ex alia gente quam Ottomannicâ Imperatori parituros.

Hinc Mater, & Muphti, atque Eunuchorum Princeps Ibrainum vrgebant, vt cuius rei reus factus fuerat, votum ſolueret; & nullâ dilatione Primo-genitum Mecham pro conceſſâ prole gratias vti ſpoponderat, Prophetæ relaturus mitteret. Addebant ſi negligeret quod vouerat implere grauiſſima ſibi mala timenda, & totius Familiæ Regiæ, atque Imperii certum excidium imminere. His conſiliis id vnum ipſi ſpectabant, vt certum Regni hæredem in tuto ponerent à Patris ſæuitia ſubductum, ſuæ obnoxium poteſtati. Nec res fucatâ religionis, & voti ſpecie carebat veri ſimili ratione apud Turcas ſuperſtitionibus addictos, nec exemplo domeſtico Familiæ: nam Amuratus Secundus Varuenſi in Pannoniâ cruentiſſimo prælio aduerſus Vladiſlaum Hungariæ Regem, & Hunnadum fortiſſimum Ducem inclinante victoriâ in Chriſtianos; ſi ſaluus, & victor euaderet, vouerat ſe abdicato Imperio vitam ſolitariam victurum, eamque amplexus, tædio quietis cum maximo rerum ſuarum damno deſeruerat.

Sed conjuratorum in Ibrainum metum augebat, ac ſubinde illos vrgebat vt rem conſultam nullâ morâ effectam darent, gratia vnius ruſtici, quâ apud Ibrainum ita valebat, vt eius ſe arbitrio regendum permitteret, eoque Authore omnia cædibus permiſcebat. Gratiæ adeò inſolitæ, & immeritæ initium repetunt, ab eo tempore, quo ſub Fratribus cum arctiſſima cuſtodia degebat incluſus turre, quæ per feneſtram crate ferreâ munitam in foſſam arcis, & circumiacentes proxime campos proſpectabat: eò hic nouus homo, tum Paſtor oues deducebat, & fiſtula modulabatur cantum, quo Princeps aſſuetus huiuſmodi auium deliciis recreabatur maximè. Rogauit itaque Ruſticum ne ſibi hoc ſolatium recuſaret, & cùm locus eſſet ad paſtum aptus, eò gregem identidem reduceret: obtemperauit Paſtor, idque officij, & ſolatii cum ipſi eſſet commodum, ſingulis ferè diebus impendebat, quò ita demeruit, ſibique deuicit Ibrainum, qui à puero aſſuetus auicularum concentui his rebus maximè afficiebatur; vt iurarit, ſi Thronum Pa-

ternum adiret, se gratias illi largissimè relaturum: stetitque promissis: vix enim adepto Imperio beneficij, & iuratæ pollicitationis memor, conquisitum Pastorem eo apud se loco esse voluit, quo Seianus erat apud Tyberium, & Tygellinus apud Neronem. Nihilo illis melior, delationibus corrumpebat animum Principis: optimo cuique erat excidio, aut metuendus. Hinc coniuratorum periculum ingens, certaque mors; si quid ex illorum consiliis posset conijcere, quamprimum Ibraino delaturus: hinc salutis priuatæ, & Imperij causâ sui consilii, & voti Principis accelerandi necessitas.

Atque ad id promptiorem fecerat Ibrainum, Sultanæ vxoris ex quâ Primo-genitum susceperat, morbus ex veneno à Riuali propinato. Illâ nomine Bassebah, gente Georgiâ, naturalibus nobilis, Religione Christiana schismatica, anno 13. parentibus erepta ad Ginecæum Constantinopolitanum, eximiam formam omnium artium, quæ puellas decerent, elegantiâ ornauerat; & Ibrainum pellexerat, præter pulchritudinem singularem, calatho florum quos acu arte exactissimâ elaborauerat, & vocis, & lyræ cantu vtriusque callentissima: sed amor quo illam deperibat Princeps, deferbuerat dilutâ langueſcentis ex morbo corporis, & vt dixi, veneno propinato forma.

Ipsa nauigationem ad Prophetam, cum valetudinis, tum pulchritudiuis recuperandæ causa vouerat; & cum opportunè Matri Sultanæ, & Muphti, eorum mentis ignara se adiunxisset; consilium nauigationis Mecham, inualuit apud Principem: qui tandem omnis moræ impatiens, iussit apparari naues ad discessum: & cum multa deessent ad nauigationem necessaria Gaulo grandiori, ministris indixit, nisi die quarto omni suppellectile nauticâ instructus staret ad portum, grauis mortis pœnas sibi daturos. Vrgente itaque, nedum imperio, sed etiam metu supplicii, festinata absolutaque fuit nauis commoda ad nauigationem tempore indicto, opportunaque iis quæ supra dixi, ne arcanum euulgaretur. Bizantio soluunt anno 1644. appetente Septembri, eiusque mensis, die 28. in Melitensium manus veniunt mater & filius, post atrociſſimum, & eruentissimum quinque horarum certamen.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [382] - 362
PUBLIC DOMAIN

Capti Gauli nuntium Constantinopolim perlatum, noua, & si fieri possit certiora nostri Ottomanni originis argumenta suppeditat. Nam vt obmittam ciuitatis & aulæ, eorum maxime, qui rem propius nouerant, consternationem; ipse Ibrainus sui omnino impos, præ dolore, irâ, ac vindictæ rabie, nedum Melitensium, sed Christianorum omnium excidium animo voluebat, in suos etiam crudelis: nam æmulam captiuæ vxoris, & propinati veneni suspectam, iussit ad se deduci. Illa conscientiæ stimulis, & impendentis mali formidine agitata; assumpto filio, quem sibi præsidio apud patrem futurum sperabat, accessit; & Ibraino sibi ex æmulatione malas attes improperanti respondere, vt se purgaret, parantem, pugione quem Turcæ ad latus gestare solent appetiit; sed ictum excepit filii vultus sub dextro oculo, parte quâ etiamnum hodie cicat ix extat.

Qui nec suo pepercit sanguini dolore amissæ nauis, quis credat, iniuriam à Christianis illatam vlcisci voluisse, etiam in vxore & filio insontibus? Quid enim illis cum naue à Melitensibus captâ, nisi Sultanam ab ipsâ quam pugione confodiebat, læsos ægerrime, cuiusque primogenitũ ferret? Deinde ad quid tantus belli apparatus, quadringentarum omnis generis nauium, qualem hactenus nec vllus decessorum molitus fuerat, nisi vt atrociſſimam omnium; quas pati poterat ereptâ filio & vxori libertate, cum Religionis causâ ad sepulchrum sui Prophetæ nauigarent; iniuriam imperio, & Religioni Mahometicæ illatam vindicaret? Quare adeò obfirmatus Melitæ exscindendæ animus; vt duces summos, loco, & dignitatibus abdicauerit, & vix pepercerit vitæ, quod Melitam non posse capi, & à bello abstinendum, vel aliò transferrendum prudenter monerent? Cur versa in Venetos arma, nedum vllâ belli denunciatione; sed etiam nouis promissis seruandæ pacis, illusâ Republicâ; nisi vt pœnas sumeret ob nauim captam Cretæ portu receptam? Atque hinc cum Melita extra periculum in tuto posita, munitior esset præsidiis, & militibus, quam vt obsidione vnius, aut alterius anni expugnari posset; in Cretam insulam versa est belli moles, & tempestas incubuit ab vno supra viginti annis, ad

vnius Ciuitatis expugnationem mora est Turcicæ potentiæ adeo dispari viribus maior Reipubl. Venetæ sapientia, mari semper victrix & terrestribus etiam præliis futura inuicta, si primos belli impetus sustinuisset eodem quo secundos fregit apparatus armorum.

Quare gratis omninò (quo animo, an ex alienæ gloriæ inuidiâ nolim iudicare,) quæ hactenus inuictis argumentis probauimus, nullis aut futilibus eleuare conantur nonnulli; & fingunt captam Matrem & filium, non ad Imperatorem; sed ad Ducum ex præcipuis aliquem pertinuisse.

Nam vt omittam post compertum vtriusque ex Bizuntinâ Basilicâ egressum, minus audiendos; quam si ex legitimo omnium opinione, & summâ fide seruato coniugio, procreatis litem mouerent, de iure natalium; cum nullius matrimonij rite initi & castè custoditi tenor, ad fidem legitimæ originis faciendam, par esse possit egressui ex Ginecæo Constantinopolitano, ad euincenda prosapiæ Ottomanicæ iura: Ad hæc duo responderi velim; si alterius quam Ibraini erat hæc mulier viri, aut parentis hic filius, cur tacetur quis fuerit? Quo nomine? Quo apud Turcas loco? Et cum ad seruandam maiestatem Imperii Turcici referret plurimum auertendæ ab Ottomanica domo Primogeniti captiuitatis infamiæ, hæc sciri ab omnibus, & per omnes nationes circumferri; cur altum hac de re apud illos silentium? Cur non est suffectus huic Sultanæ vir, aut filio parens, cuius significatione euanuissent captiuitatis Primo-geniti Ottomanicæ domus rumores? Deinde cur dati Eunuchi, qui post Imperatorem primâ authoritate pollent, Matris & filii custodes: an primas aulæ sedes deseruissent Imperatori à consiliis, & secretis, & gratiæ apud ipsum summæ renuntiassent, alicuius Principum, aut Ducum longè sibi inferioris vxoris, aut filii ad longam peregrinationem comites, & serui? Quis ista credat, non magis certè verisimilia, quam si ad ipsum Eunuchorum Principem pertinuisse velis, & Sultanæ virum, filii parentem fuisse?

Vindicatâ tibi, Dominice Ottomanne, legitimâ origine, vnum superest; vt Tumet certam nobis facias, & illustres, adito disciplinæ Religiosæ, quam vouisti stu-

dio, & comparatâ, quæ natalium ſplendorem æquet, aut vincat pietate, & ſapientiâ; alterum paſſurus caſum priore deteriorem, ſi datam ad virtutem contendendi facultatem, corrumpas deſidiâ, & à ſummo in vaſtiſſimas Regiones depulſus imperio, tuum in Te metipſum negligas, nec pluris amiſſo æſtimes. Iis quæ Tibi ſuadeo ex Euangelij regulis, vt nihil cures vniuerſum mundum cum ſalutis noxâ lucrari, aut Te ſaluo amittere ſapientes Philoſophi conſentiunt; ne cauſeris aliquid tibi præſcribi, quod rationem vincat.

Duplex eſt apud illos fœlicitatis, & magnitudinis genus: extranea vna à bonis aduentitiis, qualia caſus tibi abſtulit quæ ſors dat & aufert: domeſtica & intima altera, à bonis animi, in quæ nullum fortuna ius obtinet, quæ à Deo, & à Te exiſtant. Illorum ad quæ natus videbare abiectâ cogitatione, & contemptu maior quam vſura, iſtorum ſtudio, & curâ maximus euades. Ita voueo, & hanc ſcriptæ Apologiæ mercedem vnam, aut certe præcipuam opto; vt familiæ, quam pro virili his Libris propugnaui; nedum tingaris, ſed imbuare diſciplina, & ita dotibus locupleteris, vt tibi ſaluti, illi ſis ornamento, & Apologiæ loco, quæ noſtræ vires addat & faciat fidem.

Sed ne quid eorum quæ penès me ſunt ad Tuum ſolamen, decus, & profectum prætermittam; quam paro, & cui iſtis diſputationibus morum, & dogmatum, aut ex vtroque genere mixtis proluſi, Theologiam D. Thomâ Authore, & ſui interprete tuo nomini inſcribam: vt eâ potiſſimum fruare, creſcas, & in meliorem eâ quæ tibi excidit ſortem tranſcribare; id eſt, Perſonam quâ Te Deus, depoſitâ alterâ induit DD. Dominici & Thomæ Alumni, & Diſcipuli pro dignitate ſuſtineas. Vellem in Te maximè quaſi illuſtri exemplo experiri, aut comprobare huius meæ Apologiæ conſilium hactenus fortè Lectori ignotum. Abſit vt cum Theophilo, & aliis quibus reſpondi Authoribus contenderim, quis noſtrum videatur eſſe maior, quod in Apoſtolis damnat Chriſtus; Infamiam quidem à nobis amouendam ſuſcepi, non alendam gloriæ cupiditatem. Studium ad omne virtutis, & ſanctitatis genus nobis commune cum cæteris inſtitutis nullo prærogatiuæ ambitu conatus ſum euin-

cere : atque eo animo hæc à me dicta rogo Lectores interpretentur, nullo ſupra alios eminendi, aut illorum gloriam inumbrandi conſilio : imo in hac perpetuâ contentione cum Theophilo aliquam conſiliorum ſocietatem iniui.

Quamlibet, benignè eius mentem interpreter; non poſſum dubitare, quin id ſpectauerit, vt tot ſordium, quibus nos conſperſit aſpectu, pudore fortè ad ſalutem nos ſuffunderet. Illi ſin in totum, partim aſſentior: maiorum noſtrorũ virtutes, & præclara facinora eius falſis criminationibus ſuffeci, vt parentum exemplis ad omnem virtutem, tum æmulatione, tum pudore quaſi acribus ſtimulis nos concitarem. Non peperci verecundiæ noſtræ : volo nos pudore maximè affici non à vitiis, & ſceleribus commentitiis; ſed à rebus præclare & ſanctè geſtis, vt Sanctorum Filios pudeat non ſanctè viuere : & ne à maioribus de Eccleſia bene meritis ſic viuamus degeneris, vt Eccleſiæ ſimus dedecori. Eodem cum aduerſariis contendo; eandem ſpectamus metam : ſed aliud quiſque noſtram ſibi munit iter Illi ab infamia Patrum noſtrorum repetunt: ego ab eorum virtutibus depromo bonæ mentis argumenta. Illi fugienda eorum veſtigia volunt; ergo premenda demonſtro : & ſi id Tibi aliiſque noſtri inſtituti hominibus perſuaſero, votorum compos litaui, ac meæ conſcientiæ, & vt ſpero Sapientibus, & Deo ſatisfeci.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [386] - 366
PUBLIC DOMAIN

EXERCITATIO.

IN POSTREMAM QVINTÆ partis Epistolarum IOANNIS LAVNOII; *ad Thomam Fortinum Parisiensem Theologum & Harcuriani Collegij Prouisorem, eidem Theologo inscripta.*

SVSCEPTAM à tribus mensibus scriptionem, comprimendo cuidam aduersus Sacramentorum sanctissimum debacchanti Caluinistæ, diù noctuque vrgebam, & indefesso labore ad calcem propè deduxeram, quamprimum typis daturus, scandali, quod ex libro teterrimo contigerat operis festinatione amoliendi causa; cùm ad manus meas peruenit Ioannis Launoij, sub tuo nomine, Vir clarissime! edita, & in me scripta atrox epistola, tuo etiam, vt præfatur, consilio suscepta, quod vix crediderim; quia tuam in omnes humanitatem & æquitatem noui, à quâ illud scriptionis genus ita abhorret, vt nihil dubitem, te inscio aut obluctante potiùs quàm impulsore, suo authori excidisse. Sed cum Launoius certissimè agnoscat opus bonis omnibus improbatum iri, minuendæ inuidiæ grauissimum tuum nomen obtendit, quasi illius moliendi ipsi author fueris; & non verius ipsemet suâ sponte & abreptus omnes lacessendi, & vindictæ, quo solet transuersus agi; æstu illud aggressus sit: quia nec ire aut loqui vult, sed stare, aut tacere non potest; nam quî fieri

quèat, vt credam te illi persuasisse, ne maledicta pro maledictis redderet, qui si lectus tibi fuerat meus libellus, probè noueras, me nulla etiam prouocanti reposuisse, sed tantum depulisse coniecta in viros de Republica Christiana optimè meritos.

Multa præfatur de variis amicorum sibi subiectis consiliis omnino conficta; sed quidquid sit de aliis, postremi, quod in te refert velut in authorem, maledicta non esse reddenda pro maledictis, prorsus oblitus est: neque enim poterat magis gnauiter maledictis certare, quàm cum te commonitorem inducit, vt ab eo genere disputationis abstineret; tum enim maximè sæuit, cum nullis interiectis à tuo monito verbis malitiam & improbitatem; *qua mihi sufficiat*, & quasi ex adipe prodeat, objicit, *& veluti fratrem ventosissimum & gloriæ cupidum traducit*, quo animo putas tua excepisse & boni consuluisse monita, quæ tum maxime abjicit, cum testatur sibi arrisisse? Quid facturum putas, si displicuissent?

Cæterum indicta mihi respondendi necessitas molestissima id commodi & solatij habet, quod te arbitro litem nostram dirimendam sperem: neque enim puto Launoium ita à communi sensu & æquitate alienum, vt te ex amicis delectum, cui epistolam inscriberet, judicem sit recusaturus. Quod ad me attinet clausis & obductis oculis tibi meam causam pleno jure judicandam permitto. Imo si tacendum juberes, non auderem mutire: & nisi ejus amicorum nonnulli minus te æqui, & in illum indulgentiores sparsis veluti quibusdam rumoribus epistolam prædicassent eius generis esse, cui idonea afferri non possit responsio, nullam prorsus adhibuissem, contentus hoc conscientiæ testimonio, me calumniarum, quibus impetor, immunem, & nullum mortalium aduersario opportuniorem esse, quibus conficiatur responsionis telis; ita enim cæco in nos fertur impetu, vt sola feriendi cupiditate abreptus, nullam deffensionis curam habeat & pectus confodiendum nudet.

Verùm id qualecumque commodum infortunij genus puto, quia pacem cum Catholicis sanctè seruatam, quibuscumque certis victoriis antepono, & in He-

therodoxos mallem totam belli aleam & molem verti: sed id non patiuntur Launoij importunitas, & qui illi applaudunt quoscumque Catholicorum lacessenti non bona aut sana & tuis dissimilia consilia: nec dubito quin vicem meam doleas, bonique consulas hanc responsionem non sponte susceptam, sed vi & necessitate à me extortam.

Ego quidem quamdiu per res nostras, & per scholæ, ac familiæ nostræ æmulos licuit, à scribendo semper abhorrui & maximam vitæ partem silentio transegi, nec amicorum consiliis, aut etiam majorum monitis eò propelli potuissem, nisi adactus fuissem quadam velut è cælo delapsâ, qui nunc sedet, summi Pontificis voce. Prodierat in nostros homines liber atrocissimus, eo vt creditur, authore qui epistolâ quadam ad amicum, gloriatur se exercitatissimum in contundendis bambalalionibus (quos inter reponit Launoium nostrum sub mentito nomine Herculis Commodiani, ita durè à se pulsatum, vt nunquam ausus fuerit redactitare; neque enim tantum illius sensum, sed etiam verba repræsento,) is vero qui credebatur in eadem officinâ, cuius contra Dominicanos liber, ita optimo Pontifici visus est nos inique habuisse, vt addiderit omnino ab aliquo è nostris refutandum, quamuis responsio prohibitionis periculo non careret: ego qui aliis suadentibus, ac ferè præcipientibus libelli examen, morem gerere recusaueram, huic veluti oraculo obsistere non potui. Sed hoc nostrum in scribendo tyrocinium quot quantæque secutæ sunt molestissimæ concertationes? Pugnandum siquidem fuit cum duobus eodem nomine donatis, Petro à Clausanalle, & Petro Alua. Et quamuis obseruatum sit, id nominis sortitos petræ duritiem præ se ferre, & inuictam contumaciam, tamen collatos Ioanni Launoio expertus sum Petros posse à leni & sequaci ingenio laudari.

Cum ad illum responsionem meditabar, non eram nescius contra antiquum Pythagoreorum monitum, ignem me gladio fodicare, nec exciderat illud sapientis dictum præstare vrsæ occurrere raptis catulis, quàm viro præsidenti & rixis innatò ac innutrito; me falsum non fuisse demonstrat hæc ad te scripta epistola, &

grauiorem video quamprimum proditurum, si huic respondeam, Atque ita reliquum vitæ vtriusque iam ad finem decliuis his contentionibus transsigendum, priusquàm ipse consilia in melius, ideſt, ad pacem & ad silentium referat: horum præscius, ac ferè certus malorum, iam ipse conquiescerem, vt nostro exemplo desineret aliorum tranquillitatem sollicitare, & ipse pacis impatiens, pateretur nos eâ frui. Sed amicorum tui dissimilium adulationes, & clamores hoc ejus scriptum inuctum esse, nec refelli posse, nostris cogitationibus quæ vnam pacem spectabant, plane interceſſerunt; ne tam sponte, quàm inuiti silere videremur, vi ejus argumentorum oppressi, nec tam refellendæ epistolæ, quæ aliquâ religione & reuerentiâ me afficit, quòd tibi sit inscripta, quam refutandæ insulsissimæ opinioni, falsasque adulationes, hunc laborem agredior quo semel defunctus impostetum spontanei silentij mercede, & laude non carebo, quia ex hac meæ in te obseruantiæ significatione agnoscent imposterum omnes tuo arbitrio silentium mihi seruandum, aut abrumpendum fore.

Cæterum, quòd ipse Launoius Caïetano, Bellarmino, Baronio, aliisque sedis Romanæ Doctoribus Palpatorum notam & infamiam inurit, præter grande mendacij & maledicentiæ vitium, eo quem aliis falsò affingit, morbo grauissimè laborat. Vbi enim totis viribus Romani Pontificis Primatum ita apertè inuasit, vt ausus sit scribere, à duobus, aliunde, quàm à liberalitate Constantini, vel à conuentione cum Episcopo, nescio quo Hierosolymitano, cujus ne quidem nomen extat in historiis inita repetitum fuisse, ipse sibi in Republicâ litteraria, à multis annis vindicat principatum suâ opinione Pontificio firmiorem: nec desunt amici & palpatores qui hoc illi iuris asserant, hinc mei & aliorum conatus, qui Launoio, quasi ex tripode oracula, vel ex throno decreta profundenti audemus obsistere, nos, quasi per duelles in legitimam potestatem peragunt, vel infamiæ notam asciscunt; quòd eò audaciæ progrediamur, quamprimum inuictis ejus argumentis opprimendi & elingues futuri.

Et ne quis credat me quidquam fingere, tot ipsius Launoij & eius amicorum præuerterunt aut secutæ sunt voces hujus fulminatricis epistolæ editionem, vt plusquã viginti eorum, quos suæ eruditionis celebritate sibi conciliauit aut admiratione defixit, ad officinam bibliopolæ, qui suis expensis nostras edit nugas, sublato in cælum clamore conuenerint, de ipso & de me actum esse, illi quidem perituras, quas expendit pecunias, meis lucubrationibus ad institorum tabernas quam primum amandandis; me vero ita eius scriptionis pondere obruendum, vt ne verbum quidem hiscere possim. Vides vir clarissime, etiamsi omnem mei nominis curam abijcerem, me non posse silere, vt ad minus qua licet bibliopolam in me beneuolum indemnem faciam, monstremque illius nostrasque res non adeò deploratas, quin aliqua superstit spes respirandi: quare cum pugnæ seu militaris, seu litterariæ & virtutis quæ vtramque administrat duæ sint partes, vna sustinendæ, altera faciendæ impressioni instituta; tentandum est hac nostra responsione, quid nostrûm vterquelacessendo, seu sustinendo possit, & an ipse vnus mortalium aut primus suo jure illud Virgilianũ sibi vindicet.

Et nos tela pater ferrumque haud debile dextra
Spargimus; & nostro sequitur de vulnere sanguis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Prior pars exercitationis qua aliquot objectiones instaurantur.

QVÆCVMQVE aduersus Launoium, sua epistola bene longa in nos molitur, aut nos contra eniti possumus; ad duo designata capita reuocantur; hoc vltimum, primo exequar; alterum postremo pro virili implebo, atque eo ordine instituto forte ab æquo lectore obtinebo, ne incurram in censuram Launoij quasi in lucem certam quandam farraginem emiserim; id enim nominis commerentur, qui nulla methodo diriguntur & veluti arena sine calce excidunt suis authoribus & temere profunduntur libri: an vero

in Launoianis lucubrationibus miranda sit, in meis desi-
reretur ordine disputandi ratio penes lectorem sit judi-
cium. Hoc testari possum & qui legerint suis oculis
experiri, hac quarta & quinta parte me pluribus res-
pondisse scholæ & familiæ nostræ insectationibus. Et cum
ipsa tot aduersariorum hinc inde nullo ordine, nec
communicatis consiliis in nos insurgentium, confusa
multitudo ordinem certaminis videretur turbare,
seruasse tamen exactum, illorum insultibus ad quatuor
capita, contra fidem ac religionem, contra dogmati-
cam & moralem doctrinam, contra mores, denique
contra jura officiaque Dominicanorum, dispositis & di-
rectis, quo disputatio veluti quadrato agmine progre-
deretur. Atque vt alteri satisfaciam accusationi primis
Epistolæ verbis insertæ, sciat Launoius, non eo con-
silio à me sibi responsum, quasi quæ titulo nostræ apo-
logiæ præferuntur, omnes fuse, aut vllam ex professo
partium impugnarit. Nec abnuam bene de nobis me-
ritum instituta dogmatica & historica quæstione, quam
in suis scriniis seruat tempore maturandam, & cum
opportunum fuerit cudendam; sed cum Petrus Alua
opusculum Diui Thomæ contra errores Græcorum
lacessiuerit quasi inito fœdere cum Launoio, depromp-
tis ex ejus armamentario quibus Diuum Thomam im-
petit telis, cum vtroque mihi fuit decertandum, & hæc
fuit causa permixtæ cum his duobus scriptoribus dis-
putationis, quam Lectorem Launoio iustiorem & mi-
nus suspectum partium studio, æqui bonique consultu-
rum spero.

Occupanda est etiam altera Launoij accusatio animi
in se de nobis bene meritum ingrati: fateor enim & præ
me fero, plurimum me illi debere, hoc potissimum no-
mine, quod cum aduersus aliquot primæ partis eius
epistolarum vindicias Diui Thomæ, Caïetani, Perro-
nij, Baronij, aliorumque sedi Apostolicæ addicto-
rum suscepерim, eo animo vt si necesse foret cum Niso
Virgiliano clamarem.

Me me ipsum qui feci, in me conuertite tela:

Et vellem etiam cum meo periculo & excidio illis clypei
loco esse, excipiendis quæ in eorum caput intorquentur
telis, voti reum me fecit Launoius: nam in illos mitior

& æquior & conuitiorum factus parcior, eorum in me illuuiem deriuauit, quod ſummi & immortalis beneficij loco ſemper reponam pro quo gratias habeo & ago maximas, & ſi poſſem etiam referrem; ſed eius conditio, remunerandi vices non patitur, nec mea facultas admittitit. His breui expeditis primæ exercitationis parti me accingo.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Launoius affectati in re ſacra Litteraria principatus videtur ſuſpicione laborare.

QVOD alias cum ſcriptore nihil diſſimili Launoio diſceptaturus monueram, me non poſſe cum aduerſario lutulento congredi, quin vitiorum ſuorum aliquid mihi affricet, & dum illa refello, videar in ſpeciem imitari, videtur mihi ad nouas Launoij objectiones aut verius eaſdem nouis tantum conuitiis interpolatas & auctas reſponſuro vſurpandum eſſe: id tamen diligentiſſime curabo, vt ab illa parum graui Theologo digna, diſputandi ratione in iurgiorum & conuitiorum procellas mutata, quam longiſſime potero, recedam. Ille quidem paſſim ſuperbiam, peruicaciam, proditam Ethicem Chriſtianam, cæcitatem & calumnias in ſe inſtructas obiicit inter diſputandum, imo calumniarum portenta in ſe iniecta, in ipſorum capitum titulis præfert, & lectorum ſubiicit oculis, quaſi quædam ſpectra quibus in me commoueantur, tragedias excitat, & in me non tam argumentis quam cenſuris pœniſque agendum inclamat: à ſcholis quò iſta pertinent ad forum quo reis & perduellibus ſupplicia conſtituuntur rem deducit; nec contentus, mihi, ſi quæ ſint priuatorum criminum dicam ſcribere, alienis etiam grauat quæ ad me minus quam Iudæ proditio, ad cæteros Apoſtolos, pertineant.

Sed ita exerrantem minime ſequar, nec ferocientem & omnia ſus deque permiſcentem imitabor, non inquiram in eius mores aut natalia, vt illi ſua maledicta reddam, quod Dominus Fortinus ſubiecit conſilium ab

ipso abiectum implebo : quis nesciat cognationem nullam, eaquæ nos parentibus illigat arctiorem, nec laxiorem ea quæ aliquod vitæ humanæ aut sacræ genus professos sub vno nomine colligit, ne dum regionum aut temporum immensis spatiis diuisam, sed sæpius etiam moribus & sensibus quam loco & tempore magis dissitam : nec tamen Launoius cum cruce & indignatione Lectorum desinit mihi ex hac postrema cognatione inuidiam & infamiam omnibus locis creare, quæ eo minus, vt monui, in me quam proditoris Iudæ crimen in Apostolorum Principes deriuari possit, quo minor est Apostolorum duodenario numero contentus, quam Dominicanorum cœtus, qui iam quatuor sæculorum decursum & totum orbis Christiani ambitum exæquat; sed absit vt illi paria reponam & gentilitia obtrudam vitia, vel natalium cum commodiani Herculis authore, qui à patre coronato procreatum refert; imo quia hic suspectæ fidei est scriptor, non eius sensu à patre coronato dixerim natum, mallem potius eius originem repetere à Guillelmo Angliæ, à Guischardo Tanredo, Bœmondo Siciliæ dominatoribus ex eadem cum illo gente ortis, aut oriundis, & coronatis auis : aut si litterariam magis quam bellicam gloriam ambiat, Turnebi, Cornelij aliorumque illustrium, ex ea natione recentium aut antiquorum Heroum cognatum aut nepotem prædicarem : Lirani etiam, ex Normanniæ vico, vnde illi nomen adhæsit, cognationem gratularer, nisi oblique viderer ex hæbrea gente vnde ille natus erat, procreatam sugillare.

Non dissimili Cura à morum vti à natalium vitiis vindicabo; idque multo certius, magisque serio peragam, quia compertiora habeo vitæ insontis, immunis à sordibus quibus nobilissima interdum natalia inficiuntur quam familiæ & stemmatum testimonia & monumenta, quæ tanta suppetunt Launoio, vt quamlibet obscurum & nouum hominem illustrare possint & nobilitare. Nullus Launoio abstinentior, nullus à cupediis aut voluptatum illecebris remotior, diuitiarum vero contemptu cum Francisco contendere potest, sacculos nummis plenos tentandi causa, quo in diuitias esset animo ad cameræ ianuam appositos constat pe-

dibus conculcasse, & abiecisse, cum quadam in illum indignatione, qui eos sibi laqueos instruxisset. Et quamuis illi non admodum quoad dogmata cum Diuo Thoma conueniat, in cuius Summa vt statim dicam cuidam mihi amicissimo testatus est, se nihil Christianum reperire, præter secundam secundæ ab eius sensu alienam, & illi suppositam; tamen moribus ita consentit, vt si hyeme ad ignem sedisset, Diui Thomæ exemplum secutus, vt ipse mulierem quæ ad eius labefactandam constantiam inducta fuerat, titione hominem fugasset: & si quæ suppetant pecuniæ in pauperes largissime erogat.

Quid ad hæc dicam? Votis cum Launoio agendum. Vtinam sibi constaret, & perinde gloriæ, quam ex re litteraria captat etiam cum aliorum noxa, vti diuitiarum ac voluptatum cupiditati moderaretur. Vtinam vacuitati tot vitiorum quæ vicit aut fugauit, cæterorum, ideſt æmulationis in doctos, suarum cogitationum amoris & complacentiæ immunitatem adiunxisset. Sed heu! timeo ne Bernardi dictum de monachis in Launoium qui continuo monachos lacessit, verius quàm vellem cadat: eo spiritualibus vitiis nos periculosiùs laborare, quo acrius bellum carnalibus indiximus. Quid si Launoius cæterorum vitiorum victoriam aut fugam huic cupiditati debeat ex litteris gloriæ? Quo morbo nullum insanabiliorem ipsa ratio, Apostoli, authoritas & longissima Ecclesiæ experientia testatur: Vt enim faces quæ modice seu maligne lucent accessione maioris lucis inumbrantur; ita interdum, vitia leuiora grauioribus obruuntur. Obseruatum est, luem quæ vastat locis cæteros ferè morbos abigere, vt sola regnet & grassetur: sicut mens facultatum animæ summa est, ita quæ illam inficit & corrumpit ex scientiæ opinione quæ pulcherrimum suadet digito monstrari, & dicier hic est, gloriæ cupiditas morborum omnium periculosissimus est & fere immedicabilis: idque Apostoli documentum est ad Hæbreos his verbis, impossibile est eos resipiscere, qui semel illuminati, prolapsi sunt: quod plurium scriptorum consensione de hæresiarcharum errore irremeabili & lapsu interpretamur. His consentiunt Annales Ecclesiastici qui huius-

modi hominum lapsus hactenus reparati nullum suppeditant exemplum : eoque alte inclamant summum periculorum ab ea imminere cupiditate gloriæ ex præsumpta scientia, cui me & Launoium optarem minus esse opportunos : Et sane nisi ea voluptate à cæteris remotior titillaretur Launoius, moderatius ageret in eos qui à se dissentiunt, & iis verbis parceret quæ inter disputandum vsurpat. *Respondet superbus frater monachus*, Sed fortè illorum, si quæ sit superbiam maiori calcat. Non puto me falsum, nec temerarij Iudicij reum fore, si eo referam morem ipsi in naturam inductum; vbi maxime inopia argumentorum laborat, tum crebra & atrocia adhibere solet conuitia; in omnes virgam censoriam assumere, nec cuiusquam ne dicam reprehensionem; sed vix etiam responsiones pati. Quamuis tacerem, nemo negabit illum longissime abesse ab ea quam Tullius sibi probabilia secuto aliisque probe disputantibus præscribit, regulâ, *vt refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia possit.* Vtramque eius regulæ partem, cum summa animi dolore, in Launoio desideramus; sic enim disputat quasi rei litterariæ principatum summa auctoritate sibi vindicet, & æquo cum aliis viris eruditis jure viuere ex hoc præsumpto imperio recuset. Quis enim à pertinaciæ nota eximat eum, à quo post tot scriptiones, quibus viuos & mortuos, Diuos profanosque lacessit, nullum hactenus retractationis verbum auditum sit, nec sperare nos sinat, se Diui Augustini exemplo aliquem retractationis librum scripturum? nec vllo loco Diuum Thomam imitatus sit, qui primas cogitationes sæpe secundis & melioribus emendat?

Quid de altera parte Tullianæ regulæ dicam? videtur etiam propius ab iracundia quam à pertinacia abesse, eamque non modo, qui ab illo dissentiunt scriptores vel passim experiuntur innumeris scommatibus, sed ipsimet bibliopolæ, qui in illum responsiones edunt, eius vim sentiunt; quamuis nihil peccent, ante amicissimos ac familiares vix potest æquis oculis respicere. Audiui, vnum grauiter conquerenti, quod librum in se scriptum typis dedisset, ita cul pam excusantem: cedo mi Domine tuam responsionem & eodem imo & promptiori

animo meis typis edam: sed rationem iracundiæ & doloris sensus non admittit.

A vero non arbitror me aberraturum, si ad eamdem affectati principatus opinionem referam discessionem à Nauareo Collegio, quod illum aluit; & cum illius gymnasiarchis graues & frequentes disceptationes: veluti hinc naufragus æstu & fluctibus ad nobilissimi & sapientissimi Cæsaris Esthrei domum tanta fœlicitate depulsus est, vt illud Themistoclis vsurpare possit: perieram nisi periissem: nam amplissimi sacerdotij loco illi est munificentissimi Ecclesiæ Principis & nostri sæculi Mœcenatis beneuolentia & contubernium. Quid vero hic prius mirer plane nescio, an Launoium velut ex naufragio saluum, an hospitis humanitatem lenitatemque? duo enim paris hic gloriæ & laudis occurrunt monumenta quæ posteritas admirabitur. Exceptus domicilio Launoius æternum est Cæsaris Estrei, in litteras hominesque aliqua scientiæ laude commendatos effusissimæ humanitatis testimonium: sed Launoij excepti gloria, per tot annos retenti & ad mortem vsque seruandi cedat necesse est admirationi. Neque enim id miraculi genus aliunde existere potest quam ex clementia & lenitate animi quæ nullis frangi molestiis, nulla morositate queat exasperari. Narrant Socratem sibi in vxorem delegisse Sanctipem fœminarum rixosissimam æquanimitatis exercendæ & comprobandæ causa; & qui Socratem nouerunt, nihil ea illius vitæ parte mirabilius agnoscunt: quamuis minima & neglecta etiam eius præclare gesta miraculo non careant. Qui Launoium propius nouere; non diffitebuntur adeò diuturnum tranquillumque cum illo conturbernium posse lenitatis ac fortitudinis ac patientiæ Socraticæ exemplum nostro sæculo instaurare; cuius gloriam Cæsar Esthreus sibi vindicet, cum summa ætatis nostræ & totius Galliæ commendatione.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [397] - 377
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Quæ Launoius ex affectato principatu contrà hominis, Catholici, & Theologi officia peccet.

NON dubito, Launoi, quin ad primum huius scriptionis conspectum inclames, quod capitis 12. titulo apposuisti: *Baronis non tam calumnia, quam portentum calumniæ, vel potius insaniæ.* Sed vt Lector agnoscat in quem nostrum verba hæc verius cadant, paucis meam mentem aperiam, & quæ titulo polliceor, conficiam. Quæ inter nos versatur, controuersiæ caput præcipuum & summa, hæc est; an primatus Petri & successorum eius id iuris habeat, quod videntur illi asserere Symmachana Synodus & Auitus nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ *vt prima sedes à nemine iudicetur*, neque Ecclesiasticis seu positiuis Ecclesiæ legibus, pleno iure, id est vtraque vi directrice & cogente sicut Christianorum cæteri subjiciatur: an vna tantum in Petrum summosque Pontifices directione defungantur. Hic primum contendis, & totis quinque libris vrges; ego vix attingo. Neque enim mei consilij fuit, vt cum Tullio loquar, huius disputationis arcem inuadere, sed lacessitum Sanctum Doctorem à calumnia falsi vindicare.

Nũc assumo quod ipse ponis: si vim principatus eo vno constare aut resolui putas, neque ego dissentio, vt legi ciuili aut Ecclesiasticæ pro principatus genere obnoxius sit, aut ab illa immunis, qua ratione efficies quin affectati principatus, in re sacra litteraria, eo quem euersum cupis Pontificis Romani à quibuscumque legibus solutioris arguare, & graueris, cum perinde agas aut disputes, ac si nulla tibi lex nec qua homini, nec qua Catholico, nec qua Theologo constituta sit, omnesque videaris aspernari, aut nescire. Neque enim dubito quin his tribus maxime nominibus glorieris, & qua homo, nihil humani à te alienum putes, & ratione ducaris, vti fide qua Catholici cognomen sortiris; neque, vt par est Theologo, maxima tibi sit sapientiæ & grauitatis cura; atque ex Petri præscripto paratus sis

fidei quæ in te est reddere rationem. At mi Launoi id vnum hâc tuâ epistola vt cæteras lucubrationes tuas prætermittam, videris consecutus, vt huius triplicis generis legum peritiam, aut vsum in te desideremus; ac subinde affectati principatus indebiti & immeriti nomine bonis omnibus sis suspectus: ne ipse hac suscepta graui in te accusatione videar in eamdem censuram impingere, ita ex certis & indubitatis principiis, me à tuis retibus extrico & te implico meis.

Prima hominis qua ratione regitur lex & summa officiorum est, ne à seipso dissentiat, neque aliud promat ore, aliud corde premat; denique ne pugnantibus cogitationibus verbisque quasi mus in pice sese torqueat & inuoluat. At te hanc præcipuam rationis dotem, neglexisse aut prorsus ignorare ex tua epistola duobus aut tribus exemplis demonstratum eo aprimis tuæ scriptionis verbis & à postremis quibus responsionem claudis, vt ex fine & initio agnoscat Lector quidquid vtroque extremo continetur, perpetuam esse à ratione exerrationem, nec interruptam pugnantium complicantiam. Prima & tertia tuæ epistolæ pagina, ita de meis lucubrationibus quasi supremus rei sacræ Litterariæ antistes & Aristarchus pronuntias: *in libris quos de morali Christianorum disciplina aduersus corruptores edidit (Baro) sacra eruditio nulla, Ecclesiastica eruditio nulla comparet, in rebus quas decidit, scripturarum authoritati, conciliorum canonibus, Pontificum decretis, sanctorum patrum testimoniis, Ecclesiasticæ traditioni nihil tribuit; sed omnia humanis & philosophicis subiicit rationibus, quæ quia coniecturas oppositas non superant, legem nullam imponunt, agendi sic, vel aliter, agendi licentiam dant & impunitatem. Moralem Christianorũ disciplinam ita tractare prodidisse est. Nullam illa præ se fert differentiam qua secerni à Iudæorum & Gentilium ethica, &c. Et internosci possit etiam adhibita diligentia.* Hactenus Launoius.

Possem hæc pluribus refellere & monstrare profecta ex affectato cuius illum accuso principatu id est ex nimia sui admiratione, & aliorum contemptu; quia cum duodecim sint Theologiæ loci, vt pulchre & suse prosequitur Cano suo aureo opere de locis, vnde argumenta

Theologo digna depromuntur; qui aliis quam tuis Launoi oculis noſtra legerint, agnoſcent hos locos à me in vſum opportune reuocatos, & omnes in te, ſi vnum aut alterum excipias deſiderari. Quid enim aliud prima parte noſtræ Ethices molior quam vt tutiſſimum illud Canonum decretorum Pontificiorum, & ſcripturæ oraculum, *in dubiis id eſt vtrinque probabilibus tutam partem eſſe eligendam*, & ſtandum pro lege contra libertatem; pro officio & honeſto, contra vtilitatem voluptatemque; argumentis, ex duodecim locis repetitis aduerſus probabiliſtas immotum ſeruem? Id verò quî fieri potuit nulla adhibita eruditione, neque humana, neque Eccleſiaſtica, nullis canonibus nullis ſcripturæ teſtimoniis aduocatis; cum quatuor Claſſibus argumentorum ab altiſſimis ſyndereſeos principiis, à variis tum vitæ humanæ tum Chriſtianæ officiis, à ſcriptura, à conſenſu Patrum & Theologorum pro virili pugnem, & ſi qnæ in me deſiderat Launoius his locis deficere prudens & eruditus Lector compererit, nullam quamlibet grauem detrecto pœnam. Quod vero addit, me omnia humanis & philoſophicis ſubiicere rationibus, quæ quia coniecturas oppoſitas non ſuperant nullam legem imponunt rectè aut ſecus viuendi, ſed vt libuerit licentiam dant & impunitatem: vt illi ſua verba reponam, non calumnia, ſed calumniæ portentum eſt, monſtratque noſtra ne attigiſſe quidem aut inter legendum dormitaſſe; aut non percepiſſe, quatuor probabilitatum gradus diſtinctos, totidem conſtitutas regulas, qnibus, ſi certius aut euidentius ſancire poſſit vitæ humanæ aut Chriſtianæ officia, peruicacis eſt animi aliorum conatibus illudere & ſuis, ac melioribus cogitationibus genus hnmanum fraudare & malle conuitiis certare, quam Eccleſiæ laboranti, adeò neceſſarium auxilium à ſe mortalium vno expectandum conferre.

Eiuſdem furfuris aut ignorantiæ, ne malignitatis dicam, eſt improperare Chriſtianam diſciplinam à me proditam potius quam tractatam nullo diſcrimine conſtituto quo à Iudaïca & gentili ſecernatur: benigniſſime dictum hoc interpretabor non lectam ab illo poſtremam ſecundæ partis diſputationem, qua ex ipſiſ-

met Christi verbis, cum primum aperuit os docendæ Christianæ fœlicitati in nuda & aperta visione diuinitatis constitutæ, & præsidiis quibus comparari possit instituendis demonstro Ethicam Christianam ab Aristotelica, quam merito supremum humanæ rationis conatum dixeris infinitis parasangis distare, vt qui hæc immania discrimina non videat, cæcus sit oportet: Cæcitatis causam ipse viderit, & iudicet æquus Lector.

Sanè nisi aliena carpere mallet quam legere, occurrissent, in his locis plurima scripturæ testimonia non congesta nullo ordine, non aucta numero ad memoriæ potius & eruditionis ostentationem, quam ad vllam iudicii commendationem aut vtilitatem Lectoris; sed delecta quibus præceptum & onus omnia sigillatim præcepta confitendi etiam aduersus peruicariores Launoio hæreticos demonstro; quibus Euchariſtiæ præsentissimum Corpus Christi euinco, vt omnium Sacramentorum nobilissimi & vnici Ecclesiæ sacrificij munere defungatur. Lubet ad certamen aduersarium prouocare vt quis nostrum luculentioribus scripturæ aut patrum testimoniis hæc aut paris momenti dogmata, vt præcepta dilectionis Dei super omnia, aut correctionis fraternæ ordinem, & alia id genus, à Iudaïca & Gentili Ethica remotissima muniat, & illustret: quam voluerit partem ethicæ assumat; & experimentis probet suas censuras iudicia esse probi & eruditi Theologi, non maledici conuitia: & si enixiori opera hæc tractarit ab omni liuoris & maledicentiæ nota absoluemus, quamuis redimere non possit nisi lucubratione exactiori. Verum hæc non eò pertinent, vt mea venditem, æquiori Lectori judicanda relinquo; id vnum quæro, an Launoius nostrorum operũ censurâ secum conueniat. Ita plane, si insociabilia habeat vim conciliandi: nam quæ exordio appositi ad calcem epistolæ euertit. Qua dissensione monstrat, se nihil pensi habere, quid sit rei aut quid se deceat, sed quid iuuet aut allubeat: Et cum duobus impotentissimis affectibus feratur; hinc aliena & forte meliora conculcandi & cõspuendi, vt suorum admiratione omnes detineat: Inde vero captet de me expostulandi causas, vt huic postremo affectui indulgeat incautissimus hominum ad finem

epistolæ euertit, quæ operosissime adstruxerat; & in suos se laqueos induit. Primis Epistolæ verbis relatis, traduxerat me, quasi Laxonum laxissimum, & quasi proditorem ethicæ Christianæ: ad finem Epistolæ me rigidæ ethices vindicem agnoscit: *Commentarios*, inquit, *edidit, ex quibus contumelias, probra, & mendacia depromit, & singulis examinis sui paginis me aspergit: oblitus egregiorum operum, quibus contra Amadeum, Guimenium moralem disciplinam tuetur; hinc permissam à Guimenio detractionem rejicit; hinc etiam recipit, & in authoritatem & vsum admittit. O fratrem ædificandæ religioni Christianæ & exterminandæ hypocrisi natum!*

Fidem aliquam faceres, his inconditis clamoribus nisi omnem tibi abrogares, aperta tui, seu finis Epistolæ ab exordio dissensione: hic prodo ethicam data licentia & impunitate quidlibet scelestum moliendi, ibi seuerioris disciplinæ magister sum. Sed malum! quam eiuro, vel in te non seruo; tu accusandi vel expostulandi ius, non ratione certa, sed tuis tantum commodis metiris: prævaricator sum disciplinæ Christianæ, dum scriptionis vim & meritum expendis: vindex sum acerrimus vt queritandi causas oportune vel importune aucuperis: cæterum in hac parte, de contumeliis, de probris, & mendacio, seuerior, de hoc rigore, an aliis de castitate de vsura, de homicidio, & omnibus denique quæstionibus, quæ ad mores pertinent, remiserim, quamlibet in me iniquum sim expertus, si à te obtinuerim, vt positis paulisper affectibus qui auribus tuis perstrepunt, has dissertationes decurras, tuum judicium non detrectabo.

Nisi nimius tui amor & liuor in alios mentẽ excæcaret, agnosceres me Ethicam Christianam, depromptam ex sancti Doctoris quasi medulla, non corrupisse, sed ab infinitis corruptelis vindicasse. Scio te inter amicos hoc scommate lusisse, jure Turco, idest fratri Othomano, me ethicam scholæ nostræ inscripsisse, quod tota Turcica sit, & Alcoranum spiret, vel vt scripsisti Iudaïcæ & rabica Ethnicæ sic permisceatur, vt adhibita etiam diligentia, nequeat ab illis secerni. Hic licet cum Hieronymo, exclamare, ô liuor primum tui mordax! Si ita sentias; non tam nos quam te ipsum traducis, quasi

Iudaïcæ

Iudaïcæ & Turcicæ Ethices præconem, si nihil differant; ergò Turcæ & Mauri non indulgent fornicationem quasi licitam, nec admittunt prolygamiam, ergo continentissimi sunt, quia viuunt ex Ethice, nostræ nihil dissimili, quæ leuitatem materiæ, in re venerea ad culpam venialem idoneam non patiatur: ergo homicidij ex priuata authoritate quamcunque cogitationem, quasi letale peccatum fugiunt, quia hæc sunt documenta nostræ Ethices quam perspicacissimus quisque nequeat à Turcica seiungere: ergo Iudæos eximis ab antiqua calumnia quasi vsurarum voraginem induxerint, quia seueriorem habent Ethicem nostrâ, quæ omnem vsuræ speciem damnat. Ergo hi omnes prophani tuo judicio sanctissimi sunt, & totam vitam ad rationis & fidei regulas exigunt, nec solum studio comparatis, sed etiam infusis virtutibus Deum & omnia vitæ humanæ officia colunt; legem æternam sibi indictam agnoscunt, nec solum numero seruorum, sed etiam filiorum Dei loco se reponunt: quia his titulis veluti immotis fundamentis Ethicam Christianam adstruo & harum virtutum supellectile orno.

Meminisse debuerat Launoius aliter olere canes; aliter sues: quid vnquam suis ipse libellis ad morum sanctitatem scripsit; quod accedat ad ea quæ sua Ethice præscribit sanctus Doctor? Neque enim ipse viuere, sed litigare aut conuitiari docet, vtinam ipse hanc ethnicorum ethicem seruaret. Et vt monstrem quam longè ab illa absit; subjiciam quæ habet Tullius. *Quotus enim quisque philosophorum inuenitur qui ita sit moratus, qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ sed legem vitæ putet.* Vtinam ad quam te comparasti Ethica, cum hac Tulliana conueniret, infinita & fere omnia quæ tibi exciderunt cohibuisses.

Non potes concoquere duriora tibi à me scripta verba, qui tamen mihi non permisi tua etiam in te regerere: an tibi fidem cum fronte amissam objeci? An tibi occini quod nobis cantas: *Gens ratione furens & mentem pasta chimeris*? An illud Ouidianum quod mihi tua epistola obtrudis, in te vsurpaui? *Ecce rudens rauco Sileni victor asellus, intempestiuos edidit ore sonos.*

Sed quid te pessime habeat noui: velles frui solus illo

iure ex veteri prouerbio, aut Regem debuisse nasci aut stultum: & cum putes te longissime abesse à stultitiæ suspicione, alteram adagij partem assumis & contendis tibi deberi, vt ab omnibus veluti summo in re litteraria principi, non tam assentiatur, quàm seruiatur, & tibi inclamandum, vox Dei, non hominis, qui Baronium, Bellarminum, Caietanum, omnes denique monachos proscindis quasi palpatores Romani Pontificis obsequia illi exhibita tibi præstanda putas; doleasque erepta, & tantum non adorari. Facultatem lacerandi omnes veluti jus tui principatus tibi arrogas; vt qui te non palpant, duplici se sacrilegio maculent: vno, quod tibi assertam à natalibus potestatem æmulentur, altero quod contra te audeant mutire; sed de hoc pluribus tuæ epistolæ examine: nam duplici parte tota constat, nempe scommatibus, & querimoniis; quod læsa quam tibi putas exhibendam reuerentia, etiam dum feris, & dum nos discerpis, non possis à nobis obtinere, vt secus agamus, tibique gratias pro illatis plagis quasi pro beneficiis habeamus: his duabus expostulationibus iniquissimis, quæ tibi omnium sunt loco argumentorum totam epistolam oppleuisti.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Alterum eiusdem iuris exemplum à ficta in Diuum Thomam obseruantia.

NON dubito quin Launoius, & qui illum quasi maximum nostri sæculi lumen admirantur, hanc primam nostram impressionem ægerrime ferant, quasi inculpatæ tutelæ metas excesserim. Fateor si meam tantum priuatam causam agerem, me vix iustam damnationem euasurum; sed certo sciat Lector in me peti Diuum Thomam: Nam cum eius ethicem sim tantum interpretatus; non possum accusari proditæ disciplinæ Christianæ, & permixtæ cum ethnica & Iudaïca quæ omnium scelerum licentiam promittit & impunitatem, nisi quod intorquetur in discipulum, in magistrum, toto impetu telum resiliat: & si velit Launoius vtriusque cau-

sam seiungere; monstrandum illi est, me non minus diui Thomæ mentem & disciplinam corrupisse, quàm ethicam Christianam, vti criminatur, prodidisse; si id tentauerit, næ ille negotium supra vires susceperit: quare vtriusque causa, vti doctrina indiuidua est. Nec putet Lector me tantum coniecturis Launoium vrgere affectati principatus, ipso quo se purgat læsam à se in sanctum Doctorem obseruantiam, aliisque certis argumentis possum conuincere.

Mos eorum est qui diuinitatem & dogmata fidei Christianæ inconcussa ad disputationem reuocant, eaque veluti cuniculis actis labefactant, inuidiam apertæ impietatis effugere prætexto vltoris & vindicis munere: de quibus interpretatur Augustinus illud psalmistæ, *vt destruas inimicum & vltorem.* Nolo pluribus hanc fraudem prosequi, ab ea propius abesse Launoium, quàm à reuerentia in sanctum Doctorem, ne mihi credat Lector, sed ipsemet statuat ex iis quæ subjiciam.

Vbi ad calcem tertiæ partis dogmaticæ, in me recepi sanctum Doctorem à quatuor æmulis vindicandum, quos inter Launoius colligit se tertio loco repositum, & audiuit iam scriptam Apologiam typis dari, summo terrore egit, vt timeretur, & minis tentauit, me à suscepto consilio & labore deterrere. Multa quidem ille indigesta & cruda editis libris, multa absurda singulis diebus egerit, sed certo sciat Lector plura crudiora quæ animo voluit comprimere, aut colloquiis familiaribus eructare. Non dicam comminatum si in se verbum hiscerẽ, me obruendum sexcentis locis à Diuo Thoma falsatis. Sed illud tacere nequo, quia propius causæ accedit, eoque huius Apologiæ indicta necessitas continetur, is qui in Diuum Thomam reuerentiam obtestatur, non dubitauit mihi amicissimo dicere nulla silentij fide petita, imo eo consilio vt ad me referret, in Diui Thomæ Summa Theologica nihil exstare Christiani, nisi secundam secundæ; quam hoc nomine quod aliquid Christiani habeat in argumentum assumebar, esse opus alienum, & alteri inscribendum. O puniendæ vocis temeritatem! Quis ad ista non exhorrescat? Quid, nihil Christiani habet tractatio de Trinitate, de opere sex dierum, de Angelis, de immortalitate animorum, de primo homine à Deo insti-

tuto? Vna lectio quæstionum de veteri lege Euangelio collata, Pauli Burgensis Hebræorum nobilissimi, & Rabinorum doctissimi peruicaciam infringere potuit, & eiurato Iudaismo hominem ad Christianam Religionem rapere, nec quidquam Launoius Christiani comperit his locis, nec eo nomine dignatur œconomiam Verbi incarnati fusissime & exactissime explicatam tertia parte, quam meritò dixeris perpetuum Euangelij commentarium. Quem Christianorum non pudeat ista sibi objici? Is est qui nihil dubitauit id effutire: vt credam hoc adeo atrox & præposteri criterij paradoxum subiecisse, quia putat se his vocibus inconditis magnum potius quam bonum nomen comparaturum, & terrorem omnibus discipulis Diui Thomæ incussurum.

Ne miteris Lector mihi imputari crimen proditæ disciplinæ Christianæ; quando quidē in Summa id est in perfecto opere nihil comparet Launoio Christianum: quid de aliis operibus pronuntiaturum expectas? at Launoi si tibi Christiana est secunda secundæ, qua ratione potes idem nominis aliis partibus abrogare? Vbique à te ipso dissentis: insinuaui Ethicem quamcumque siue homini siue Christiano instituendo comparatam, tribus aut quatuor partibus constare, fine, seu fœlicitate, statu fœlicitatem quærentium, & quibus comparari possit aut debeat mediis, seu natura rei, seu institutione diuina comparatis: Ethicam vero à Diuo Thoma traditam his omnibus diuinam esse, & ab Aristotelica & naturali, ne à Turcica aut Iudæa dicam, his omnibus gradibus distare, nemo, nisi, cæcus, aut Launoio similis, dubitare potest: fine quidem, quia in ipsius visæ diuinitatis fruitione fœlicitatem ponit, quæ omnem naturæ creatæ appetitum & conatum superat; statu, quia homini debetur, non qua ratione sed qua fide regitur, nec vt seruo creationis conditione sed vt amico ex gratia aut vt Dei filio & hæredi ex adoptione: distat etiam mediis ad fœlicitatem consequendam ex natura rei institutis: cuius generis sunt operationes supernaturales à virtutibus infusis elicitæ: differt denique mediis, ex arbitrio Dei adhibitis: quia de Incarnatione Verbi & Sacramentis ad diuinæ naturæ consortium fruitio nemque prouehimur. Hæc est ratio Ethicæ Chri-

stianæ à sancto Doctore Summa Theologica traditæ cum tanta partium necessitudine, vt nullam possis auellere, citra totius operis solutionem & excidium.

Quid tibi venit in mentem, Launoi, cùm ausus es scribere nihil Ethicam nostram distare ab Ethnica: nec dubitasti priuatim dicere, in Summa Theologica nihil esse Christianum, id est, diuinum & à fide haustum; præter secundam secundæ, quam inde contendis esse alienum opus, quasi Diuus Thomas te iudice, nihil scribere potuerit Christianum? Desunt verba tantæ impietati castigandæ. Sed parco tuæ audaciæ, inscitiam excusare non possum, monstrasti te Summam Theologicam non attigisse, vt blasphemes quæ ignoras; nec obseruasti vnquam quæ sit secundæ, cum cæteris partibus cognatio.

In ipso secundæ partis limine sanctus Doctor non solum Aristotelem, sed Christum maxime imitatus, quia beatitudine exordium sumpsit Euangelicæ prædicationis, vltimum finem constituit in ipsius diuinitatis intuitu supra omnem naturæ creatæ facultatem posito. Tota ea parte, & tertia fusissime media cuiuscumque generis apparat, ad eam beatitudinem vtilia & necessaria, ea methodo vt distinguat ex natura rei, & ex institutione diuina media constituta, tertia parte late prosequitur huius posterioris generis media, secunda parte explicat media ex natura rei necessaria, hoc ordine, vt de iis prima secundæ disputet vniuersim, & in commune, quorum species secunda secundæ prosequitur sigillatim.

Prolixiùs quam disputatio patiatur necesse fuit hæc attingere, vt tuam Launoi, inscitiam agnoscas & temeritatem, qua tibi ignota & incomperta, ne dum tractare, sed etiam comperta & præstantissima carpere non dubites: an non, vides perperàm te secundam secundæ ab aliis partibus sejungere, neque posse hanc Christianam censeri, si id nominis cæteris partibus abrogaris? Quid enim est secunda secundæ, nisi distincta de singulis virtutum speciebus ad visionem Dei consequendam idoneis tractatio, de quibus vniuersim superiori parte disputatur neque huic parti nomen Christiani constare si alias eo destitueris. Imò hæc aliunde sortiri id nomi-

nis non potest nisi à fœlicitate Christiana aliis partibus explicata.

Id tibi consulerem, Launoi ne imposterum tibi ignota, & inconcessa attingas: hæc enim altioris sunt subsellij quam nedum summo jure vti facis iudicare, sed vix etiam capere possis. Excusarem hanc culpam ex mera inscitia natam, nisi graviore cumularet, fictâ in Diuum Thomam obseruantiâ, cui videris potius illudere, quam illum ex animo reuereri. Parcissimus es obseruantiæ in alios, qui summam tibi deberi credis, & damno imputas aliis collatam. Nihil minus quam reuerentiam resipiunt quæ eo primo capite refers à te gesta, in gratiam Diui Thomæ: Quibus nominibus eum demeruisti? laborabat, inquis Diuus Thomas decreti Pontificij Gregorio IX. authore, prohibentis ne in Academia Parisiensi legerentur libri Gentilium à se violati suspicione, tot cõmentariis in Aristotelem editis, graviore creata etiam vrgebatur examine & probatione testimoniorum, ex Cyrillo de primatu Petri, quæ aliena essent ab illius mente, nec hæresis labe carerent: 3. nouarum opinionum, quasi à se inductarum multis suspectus erat: Has sancti Doctoris gloriæ maculas, putat Launoius se abstersisse, & plurimum de ipso & de tota ejus schola meruisse.

Quam altos spiritus, Launoi, hausisti, & alis! Alios reuereri nescis, nec te debere putas, contentus de illis bene mereri, eo etiam genere beneficiorum quæ veriùs offensiones dixeris. Nihil habet hoc primum caput, quod titulo respondeat: dum in Diuum Thomam reuerentiam ostentas, tum maxime traducis, frigidissima excusatione, auctas exaggerataque criminationes excipis. Nec ab objectis calumniis liberas, nisi cum noxa prudentiæ; quod locutus sit vt paruulus; quod passus fuerit se ab aliis decipi: sed venenum est in cauda: Certum est constitutas à Diuo Thoma regulas ad quas exigenda sit Theologia Scholastica ad finem illius capitis, eo animo positas, vt Launoius euincat, ab ipso sancto Doctore abjectas, & à se vno diligentissime obseruatas. Rideam ne, an succensem? Planè ignoro, sed præstat hominis insaniam, non dissimili exemplo Lectori subjicere. Campanella, id fere in Philosophicis meditabatur, vt sublato Aristotele solus audiretur, quod

in Theologicis putat sibi Launoius deberi : ille librum scripsit de gentilismo tollendo & Aristotele à scholis depellendo ; vt se illius loco sufficeret : Et cum vrgeretur authoritate Diui Thomæ, qui Aristotelem in magistrum sibi assumpserat, eiusque libros luculentis illustrauerat commentariis, reponebat insulsissime Campanella Diuum Thomam fuisse suarum constitutionum obseruantissimum : iis vero caueri ne fratres Dominicani libros gentiles legerent: Vnde concludebat ; ne quidem lectum à Diuo Thoma Aristotelem. Launoius vero repetit à Gregorio IX. prohibitam decreto lectionem & commentationem Aristotelis & Diuum Thomam excusat ignoratione decreti. Itaque Launoius Campanellæ consiliis conuenit. Ille semoto Aristotele in Philosophiæ spatiis ; hic in Theologicis, depulso Diuo Thoma regnare vult & audiri Campanella Aristoteli asinitatem objiciebat; Launoius Diuo Thomæ rationem disputandi improperat, quæ nihil Christiani resipiat, quæ futilia doceat, & Ethicam maxime Christianam instituat ; quæ à Iudaïca discerni non possit, quamcumque diligentiam ad id adhibueris. Lipsius Senecæ vindiciis, quas eius operibus à se illustratis præfixit, Aulum Gellium iniquissime de illo statuentem, nihil nisi vana & futilia scripsisse, his propè verbis castigat, vnam Senecæ epistolam omnibus Aselli fructibus ante ponendam : ita de Launoio dixerim, plus vno Diui Thomæ articulo reconditæ eruditionis & pietatis Christianæ quàm omnibus Launoij libellis contineri.

Paragraphvs Qvartvs.

Ex ficta in Diuum Thomam obseruantia Launoij conuelluntur euerso primo septem ejus Epistolæ capita.

Hoc saltem commodi ex fucata in Diuum Thomam reuerentia excerpimus, vt cum velit maximè, nec audeat libris editis illudere Diuo doctori, & verbis tenùs aliquam illius rationem habeat, ex dictorum,

quæ ab animo prodeunt, ita comparata interpretatione facile sit præcipua illius Epistolæ capita conuellere.

Ita enim te conuenio, Launoi: vel putas sanctũ Doctorem locorum Cyrilli examine peccasse aliquid, vel illum ab omni reatu absoluis? si primum velis, ergo nullam habes, de me expostulandi causam, quod sanctissimum Doctorem aduersus tuas criminationes propugnarim: ac proinde, ne dum futilissima, sed etiam falsissima sunt quæcumque præfaris, mihi propositum te calumniis appetere à culpa vero te non potes eximere, nisi concesseris, illa Cyrilli testimonia nihil habere falsi, & ab eius mente alieni, & potuisse aliquando extare aliqua eius librorum quæ perierunt parte. Eò vertitur tota controuersia, vt postremum hoc admittas, vel contestatam in Diuum Thomam obseruantiam ejures; neque enim culpa eximi potest qui falsa & hæretica, pro veris & compertis habuerit: quæ illius examini permittebantur.

Quid vero ad hæc dicturus sis, non video, quia angustiæ sunt vndique, si contendas supposititia esse & falsa hæc Cyrilli testimonia, & apertam præferre heresim, quæ à Cyrillo probari nunquam potuerunt, nec debuerunt à Sancto Thoma, fictæ in illum reuerentiæ argueris; si patiaris veritatem illis constare & à Cyrilli grauitate & sensu aliena non esse, totam tuam Epistolam veluti spongia hac vna responsione deleste, nec video qua ratione possis euadere, nisi conquassatis hoc argumento veluti ariete ad minùs tuæ Epistolæ 7. capitibus. Id sumo à te scriptum, & ab amicis euulgatum, summa in Diuum Thomam gratia te vsum; dum illum extra aleam certaminis ponis, & eximis à culpa citatorum Cyrilli testimoniorum. Sed credis ne tanti esse hanc gratiam, vt redimenda sit Diuo Thomæ cum aliqua approbati erroris infamia? Ergo nullus error subest Cyrilli testimoniis, nec quidquam vetat, quin potuerint extare aliquo Cyrilli librorum, qui modo desideretur. Si ita sit vt necesse est à te admitti, quid consecutus es longissima tua Epistola? Plane telas aranearum texuisti, quas vno flatu dispellam.

Quam capite secundo conquereris impactam tibi calumniam; ab illa in totum te libero, si ex animo ipse locorum Cyrilli examen, à Diuo Thoma iussu Vrbani

IV. institutum, ab omni errore juris factique exemeris. Sin, id verbis tenus dixeris, & aliena fraude Diuo Thomæ impositum, ac temporis, & eruditionis progressu aliter visum, primasque cogitationes posterioribus retractatas, jure institutam contra te sancti Doctoris vindicationem, immerito impactam tibi calumniam vocas: id enim testimoniorum examen, duabus juris, factique quæstionibus continetur. Primùm id quærendum occurrebat, an iis locis assertum Pontificiæ dignitatis jus, scripturæ & traditioni consentaneum esset, an aduersum: deinde, an à Cyrillo esset constitutum.

Dico itaque neutrum Diuo Thomæ, seu juniori, seu prouectiori & doctiori suspectum aut compertum fuisse falsi, id & si à nobis defensum impactæ tibi calumniæ imputas, næ tu rerum nomina inuertis, & dum studes videri Diuum Thomam excusare, prætextu alienæ fraudis, aut ætatis, & scientiæ nondum maturæ, calumniam illi infers maximam, nullam pateris dum tibi obsistimus, & immerito vetus in me prouerbium vsurpas, quod in te verius cadit: semel & iterum cecidisse Cantherium in porta; imo cogor quod in tui gratiam antea scripseram retractare, te nihil in vtramque familiæ & scholæ nostræ Theologiam perperam scripsisse; quia nondum aduerteram, mortalium nullum, te iniquius & crudelius eas esse insectatum, illo atrocissimo dicto, neutram habere quidquam Christiani, & Ethicam à me explicatam nihil differre ab Ethnica, Turcica, & Iudaica, si istis exæques meam quæ tot corruptelas & laxitates abstulit. Quo loco dejecisti, hoc tuo scommate, aliorum Theologorum Ethicam, quæ plura indulget à me non concessa? Sine dubio deteriorem Turcica facis: sed non est meum alienas injurias vlciscì, contentus illatas mihi depulisse in caput authoris, cum æterno sui nominis dedecore, aut ex crassa insciția, aut ex improbitate non ferenda. Hactenus de secundo capite, eo vero ac priore expedito.

Ad tertium progredior, cius præfers titulo, *in vna periodo sat longa multiplicem errorem, Baronis & consilium pessimum contineri.* Non pateris quidquam à te scriptum vitio falsi carere: prolixitatis periodum arguis, quæ nec quatuor, quod licet partibus, nec admodum

longis conſtet. Sed hæc leuiora ſunt, quam vt iis longius detineamur: qua periodi parte vis errorem multiplicem, & peſſimum conſilium contineri? Aut qua id ratione conficis? Tu quidem ita remotis, ita inconſequentibus mecum agis, conſecutionibus vt vnus in reſpondendo ſit labor, videre quò pertineant, quæ congeris, & ad legitimam diſputationis formam reuocare. Quid enim ad rem facit exæquata ſcripturæ, authoritas Diui Thomæ? Plane non capio, niſi ita argumentationem inſtituas; quiſquis Dominicanorum, aut mortalium, ſuſceperit Diuum Thomam vindicandum, à Launoij quibuſcumque inſectationibus maxime de teſtimoniis Cyrilli, aliena fraude ſuppoſitis & ex propria inſcitia perperam explicatis, non ſubodorato, quæ illis ineſt, falſitatem, is nouerit ſe hac deffenſione authoritatem Diuo Thomæ parem aſſerere ſcripturarum infallibilitati, & ſuſcipere propugnanda quæcumque ipſe docuerit, & ea potiſſimùm quæ ſecunda ſecundæ quæſtione decima, & duodecima ſcripſit quæ Regiæ dignitati videntur aduerſa. Atqui illa omnia plena ſunt errorum, & aperte incurrunt in fidei, & omnium principum offenſionem: Ergo permittendus eſt Diuus Thomas cenſuris & inſectationibus Launoij; bonique conſulenda eſt ab illo quaſi à ſupremo in re litteraria principe, gratia qua Diuum Thomam promeruit, aliena fraude à juniore probata teſtimonia, quorum falſitatem proiectioris ætatis & eruditionis deprehenderit.

Hæc eſt ſumma & vis totius capitis & argumentationis eo contentæ, quam verius dixeris àb omnibus ſyllogiſmorum regulis, & à ſenſu communi exerrationem: & ſi hanc nodis ejus Epiſtolæ indiſſolubilibus reponant amici, ipſi viderint, an palpatorum nomen mereantur. Id mihi certum eſt, & promptum demonſtrare, nullam vitioſiorem illa argumentatione fingi poſſe: quid ni liceat hanc Launoij impugnationem aut excuſationem Diui Thomæ ſaluta fide recuſare? Sed aliquod nouum tyrannidis genus excogitauit Launoius vult excuſationem Diui Thomæ, ſeu gratiam quæ ab illo nomine excidat, ſi voluntaria eſſe deſinat, nobis neceſſario eſſe admittendam, niſi Diui Thomæ authoritatem parem diuinæ facere, aut omnia jura Regum peſſumdare no-

bis allubeat: at non vides, Launoi, te more turbinis omnia conuoluere, & remotissima, atque alienissima in tuum comportare argumentum, vt consecutiones deducas absurdissimas & inconsequentes: nec posse hîc tolli hac nostra defensione discrimen auctoritatis Diui Thomæ & Scripturæ sacræ, nisi tuis censuris parem Scripturæ verbis arroges authoritatem? Fateor si hæc tibi constat, eo quem improperas, errore deffensionem nostram non carituram. At quis huius vitii suspectam habebit, nisi tuorum palpatorum aliquis, qui in lacessendo sancto Doctore tibi asserat infallibilitatem?

Cæterum ad id quod affers, ex quæstione decima, & duodecima secunda secundæ & obtendis juribus Regum aduersari, duo respondeo, primùm non pertinere ad subiectam de testimoniis Cyrilli disputationem, nisi tu velis iterum, tuis censuris, jus diuinorum præceptorum asserere, vt qui in vnum peccarit, reus omnium fiat: Deinde dico, hæc à Diuo Thoma scripta, Regnis & ditionibus, quarum comitia generalia status, eam cum principe ineunt conuentionem, vt salua Religio sit prima omnium cura, eaque violata, non stent mutua promissa. An vero, sic institui cum principibus possint pacta saluo jure naturali, non est meum disputare. Id certo scio, in orbis Christiani infinitis partibus, quæ iis locis docet Diuus Thomas, non solum impune, sed etiam cum laude, à Theologis propugnari: si id apud nos prohibitum sit, patriis legibus obtemperabo. Hactenus de 30. capite quarti titulo criminaris *dissimulatam à me prioris tuæ ad Faurum Epistolæ seriem, quo calumnier confidentius, atque hinc à me de Beati Thomæ scientia detractum*: qua vero id ratione efficias, plane non capio; nec facile est quamlibet perito syllogismorum artifici, quæ congeris, ad formam legitimam argumentationis reuocare: conabor tamen inuitum & reluctans caput sic alligare: *Quisquis dissimulat testimonia Cyrilli*, ab Vrbano IV. Diuo Thomæ examini permissa prius ab illo laudata, cum quartum sententiarum commentaretur, & Opusculum scriberet contra impugnantes religionem, is maledicendi peritus dissimulat ad mentiendum in gratiam Diui Thomæ, cuius detrahat prudentiæ quod sua passus sit res proba-

biles frui probabilitate, & suæ scientiæ etiam male consulat, quod non quasi falsa proscripserit, quæ falsi conuincere non poterat: atque ita, quæ Diuus Thomas, aduersus Græcos dogmata confirmanda suscepit, videtur prodidisse, passus veterum Patrum testimonia, quibus recentiores Græci ad constabiliendos suos errores abutebantur, sua frui probabilitate; ergo frater Baro non potest hanc duplicem accusationem à se deprecari maximi calumniatoris, & mendacis, & diminutæ prudentiæ, ac scientiæ sancti Doctoris.

Ne obscuriorem argumenti explanationem aut solutionem in me regerat Lector, sed in Launoium, qui omnia conuoluit, vt vix agnoscas, quò eius dicta colliment: sed quidquid sit primum quod assumit, eius officit instituto, & me à calumniæ nota liberat. Numquam negaui, aut dissimulaui, aliquod testimoniorum Cyrilli ante susceptum iussu Vrbani IV. omnium examen, semel aut iterum fuisse à Diuo Thoma laudatum: sed omnia collectim, ante missum à Pontifice lectumque librum fuisse prospecta, nisi Launoius me id docuerit certis argumentis, plane non crediderim. Sed id demus, quid inde commodi expectat Launoius? Certè hinc non mihi calumniæ inuidiam, sed sibi insinceri scriptoris nomen asciscit; quia inde constabit Diuo Thomæ, non fuisse, vt obtendit, aliena fraude impositum; sed si quis subsit error, illi esse imputandum, quod ea primis & secundis cogitationibus retractata, suspecta non habuerit erroris; quem si Launoio credimus, præferunt grauissimum: si vero ita sit; viderit ipse quis nostrum magis prudentiæ & scientiæ Diui Thomæ detrahat; quod secunda argumentationis parte assumebat; an ego, qui nullum illis inesse errorem contendo, neque vnquam à Diuo Thoma deprehensum, an ipse qui grauissimo vitiata gloriatur se demonstrasse.

Quod ad accusationem spectat grauissimam, prodita à Diuo Thoma, quæ susceperat aduersus Græcos recentiores propugnanda dogmata: Respondeo; bis, aut ter à Launoio grauiter peccari, primò falsa verborum meorum interpretatione, quasi omnes quæstiones Theologicas ad res fidei arctarim, cum tamen latius patere ad res etiam probabiles putem. Neque ipse abnuet, nisi ve-

sit parem scripturæ authoritatem Diuo Thomæ abdicatam sibi arrogare & ad id subsellium prouehere quæcumque, de ficto Dionysio, de appulsu Magdalenæ, de priuilegiis monasteriorum sancti Germani, & Medardi spissis libris disputauit. Secundò peccat grauiori ignoratione, quasi vnus, aut alter sit tantum locus Theologicus, à scriptura, & traditione necessariis & expressis testimoniis, neque probabilibus interdum argumentis, & testimoniis, quæ probabilitatem non excedant agatur aduersus hæreticos: atque his accenset Diuus Thomas loca Cyrilli: si vero illis vsum velit dogmata fidei prodidisse, hanc in antiquos sanctos Patres omnesque Theologos importat calumniam; quos certum est disputasse aduersus hæreticos, non solum euidentibus, & necessariis, sed etiam interdum probabilibus testimoniis & argumentis. Nihil ergo peccauit sanctus Doctor, adhibitis aduersus Græcos quoad quæstionem Iuris, fide certis; quoad quæstionem facti probabilibus: atque hinc allucet tertius error Launoii, ita enim se imperitum disputationum, maxime contra hæreticos, aut potius in Diuum Thomam & in me calumniarum ita auidum se prodit, vt thesim cum argumentis permiscear; quæ tamen certum est tam immune differre, vt thesis ex fide certa argumentis probabilibus aliqua interdum confirmentur quæ probabilitatem non excedant. Sed de hoc rursus infra & ea distinctione, statim atrociorem calumniam amoliar.

Hæc habui de capite quarto dicenda, quæ sufficiant insectationibus aduersarii depellendis: si materiæ vbertati inseruirem, mihique blandirer plura suppeterent, & reconditiora: quæ prætermisso & paululum dilato quinto capite, sexti titulus obiicit mihi subdolam & calumnioſam inquisitionem, & primis verbis post mea relata, à se deprecatur author consilium Diui Thomæ insciticæ vel malæ fidei, vel nomine negligentiæ accusati: vt me grauet subdola & calumniosa inquisitione, sed si quæ sit vis accusationis, tota petitur ex hallucinatione supra annotata, dissimulata à me loca Cyrilli ante à Diuo Thoma laudata, quam eius examini à Summo Pontifice permitterentur. Atque hinc obiicit à me præ-

termissum, quod prudenter monet Tertullianus *Religionis instar esse fidem de temporibus asserere*, eam verò à me neglectam, vt litigarem. Imò gratulor & pro summo duco beneficio mihi, ab illo suggestam, quia inde depellitur ficta excusatio Diui Thomæ aliena fraude illi impositum, nec inde contra officium Theologi aliquid peccasse; quasi vero si vllus, nedum facti, sed etiam iuris error grauissimus subsit locis Cyrilli, imputare possit Diuus Thomas, alienæ fraudi, eadem loca semel & iterum retractantem latuisse; maxime cum totus ad quæstionem iuris pertineret, in quo excusando & deprecando, obreptio qua se tutantur Gregorius VII; Alexander III. ac Bernardus ab illo relati ineptissimus est; neque enim obreptio excusationis loco esse potest perito Theologo, nisi errorem facti incurrerit; errorem vero iuris grauet magis, quam eleuet: atque hinc inofficiosissima est Launoij excusatio, qua ex consortio cum summis Pontificibus, putat se de Diuo Thoma bene mereri. *Hæc est*, inquit, *subreptio, cui, cum ipsa sedes Apostolica sit obnoxia, Thomam eidem obnoxium fuisse dicere, non reformidaui*: hæc oratio conuenit Launoio sedem Apostolicam vtrique ertori tum facti, tum juris subjicienti. At nobis in totum displicet hæc deffensio, vti exemplum sedis Apostolicæ. Nec quicquam atrocius Diuo Thomæ contingere potuit, quam se cum ipsius sedis Apostolicæ iniuria defendi: & nisi quod Catoni videbantur illius gloriæ studiosiores, asserere ad eam fuisse prouectum magnitudinem, vt ebrietatem honestam prius efficeret, quam vlla inde noxa honoris Catoni crearetur; nisi, inquam, eo sedem Apostolicam velit Launoius promouere vt laudabilem efficere possit errorem etiam iuris; suspecta aut potius fraudis comperta est ea excusatio, qua exemplo sedis Apostolicæ fingit Launoius se velle Diui Thomæ errorem minuere, & ferè in totum tollere.

Septimum caput minacissimum, *instaurare me, certum quoddam criticæ genus, in quo, me ipsum prodo*; Thomam offendo, & calumniari pergo: in fumos facessit, si propius adeatur: perperam contendit à me distinctum triplex genus testimoniorum, quædam certa esse, quædam falsa, quædam medij ordinis, dubia &

probabilia, quibus Cyrilli testimonia accenseo. Quid hac diuisione magis apud peritos receptum quid certius? quid ad propositam quæstionem accommodatius? Vt planè terriculamenta sint puerorum, quæ inde impendere mala, titulo capitis minatur Launoius. Hoc vnum quod in ea diuisione desiderat aduersarius, non fuisse designata à me inditia, quibus probabilia à certis testimonia secernantur, à me omissum fateor, quod crederem apertiora esse & magis obuia, quam vt peritis opus esset pluribus explicare. Ea igitur certa voco testimonia, quorum sensus indubitatus est, quoad quæstionem iuris; & si quæ suboriatur dubitatio facti, librorum vnde deprompta sunt, & qui exstant exemplaribus abigatur. Dubia dico, quæ tamen sua probabilitate gaudeant, fide grauiorum hominum, (quo loco Vrbanum IV. & Diuum Thomam repono) relatione comprobata, quæ tamen libris vnde deprompta sunt, confirmari nequeant, quia perierunt. At inquit Launoius, si laudata à Diuo Thoma Cyrilli pro primatu Petri testimonia dubiis & probabilibus tantum annumerentur, ergo inquit nutat Petri primatus incertis fultus fundamentis: nec excusari potest Diuus Thomas, *quod horribili ruina primatum Petri exposuerit*, cum illum dubiis & incertis fundamentis adstruxit; atque hinc quasi ouans, & triumphans inclamat, *hæc est egregia & palmaris pro Doctore sancto, contra Launoium, Cyrilli testimoniorum, quæ ab eo laudantur, defensio.* Alia quæ addit taceo, vt eius pudori parcam, quia non potuit nisi ex summa inscitia rerum Theologicarum hæc obiectio, & subinde adeo indecora gloriatio proficisci. Quem enim non pudeat, etiam Theologiæ tyronem ignorare res certis fidei principiis, & indubitatis testimoniis receptas, probabilibus abundare, & iis veluti adminiculis iuuari, illæsa dogmatum fidei firmitate? Cyrilli testimonia primatus Petri adminicula vocamus, non fundamenta: viderit ergo an nutet fidei primatus, his adjutus & ornatus, non fultus testimonis, vel Diuus Thomas horribili illum ruinæ obiecerit, probabilibus aduocatis; Et licet hæc certorum & probabilium, seu testimoniorum, seu argumentorum diuisio omnibus vniuersim Philoso-

phis & Theologis probetur ; iis tamen magis gratum acceptũque esse oportet, qui opinionem eadem de re stare cum scientia & fide contendunt, cui omnes ferè Academiæ Parisiensis Philosophiæ professores sententiæ adhærent, quam quibus displicet Diui Thomæ discipulis, hæc opinionis exprobabili fundamento procreata, cum certa demonstratione ac fide, concordia; ergo Launoius hic, more suo vitilitigat, potius quam disputet, vt mirum sit adeò futilibus argumentis triumphare, quasi certum victoriæ.

Prætermisso octauo & nono capite quæ aliò spectant, ad eandem Launoij accusationem pertinent decimum & vndecimum caput. Prioris titulo criminatur, *me pro ingenij mei dexteritate, communem parare locum, quo quidquid Cyrillo, vel aliis Patribus affingetur, vt verum retineri possit*, quia causabor, libros vnde deprompta sunt, quæ sanctis patribus imputantur dicta, periisse, vti librum Ciceronis de Republica, plures Liuii decades, & quatuor è duodecim quos ipsemet Cyrillus in Ioannem scripsit libros: atque huic meæ exceptioni refellendæ, plura congerit exempla, testimoniorum à Diuo Thoma relatorum nomine Concilij Constantinopolitani, Calcedonensis, Gregorij Magni, Gregorij VII. Cypriani, Hieronymi, Augustini; quæ tamen nullo eorum nomine editorum librorum loco leguntur, atque ad singula testimonia, scommatibus ludit, magis quàm veris argumentis agat. Hoc enim distare certum est aggressorem, seu arguentem inter & respondentem, vt illi incumbat probanda tanta necessitas rei quã de agit, vt aliter contingere non posse conuincat: isti satis fuerit monstrare secùs fieri posse. Viderit ergo Launoius, an aggressoris officio satisfecerit probaueritque, non potuisse libros vnde deprompta dicuntur à Diuo Thoma relata testimonia, commune cum aliis innumeris libris naufragium pati, & an respondentis munus impleuerim; dum ipse monstrauerit non potuisse perinde cuique librorum, sicut hominum accidere, quod cuiquam potuit: id verò si enitatur & tentet, norit se Prouerbiorum certissimum & verissimum impetere, & velle falsi conuincere. Quod insania non careret.

Eodem

Eodem spectat capitis vndecimi titulus & argumentatio eodemque arguentis & respondentis refellitur discrimine. Titulo quidem ait, *Me oblitum meæ artis Beatum Thomam intricare*, quem ipse artis memor extricet: tantæ est in Diuum Thomam obseruantiæ, hac qua de agitur re, vt, sanctum Doctorem sin verbis, certe reipsâ ridendum propinet ex turpi anachronismo, quod locum Chrysostomi retulerit, ex libro, cui titulus, responsa ad Bulgaros, quibus Euangelium, non innoruerit, nisi post 438. ab obitu Chrysostomi: hinc risus & cachimi, inter amicos in Diuum Thomam, quod fictâ reuerentiâ confirmat. Responderam, Theophylactum & Euthymium Græcorum scriptorum, vti Boëtium & Symmachum hominum Romanorum vltimos fuisse, Chrysostomi studiosissimos, & interdum illius breuiatores potius quam authores agere solitos. Et cum Theophilactus fuerit Bulgarorum Archiepiscopus, credibile est, quod à Diuo Thoma citatur opere Chrysostomum induxisse loquentem, & testimonia collecta potius in Chrysostomum quasi authorem, quam in breuiatorem Theophilactum retulisse: hoc respondentis officio, ad quem pertineat aperire quid fieri possit, cum satisfaceret, nec posset Launoius responsionem carpere, singula ejus verba vellicat, ridet insulsissime, *statua dignum*, inquit, inuentum, sed plumbea inclamat, sugillat comparationem postremorum è Græcis, cum Romanorum vltimis, qui vix vllam suis scriptis immiscet, & omnem in meis desiderat eruditionem: hic aliquam illius vmbram, ex ea collatione, vix pati potest. Cætera surda aure prætereo: id potissimum *me non solum miserabilem, sed etiam irridendum*, præstasset probare, quam verbis tenus proferre.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Tertium dissensionis & dissonantiæ, Launoy exemplum.

EXPOSTVLATIONES meas aduersus Launoium in tres partitus sum species dissensionum à se ipso, qua homine, quâ Catholico, quâ Theologo: primæ duo exempla hactenus prosecutus sum: tertium supereſt omnium grauissimum de primatu Petri verbis asserto, reipsâ euerso, cum graui hominis bilinguis & veteratoris nota. Atque hinc facile est semouere, quæ erudito & perspicaci Lectori occurrere posset, difficultatem, quasi iudicio Launoij de mea Ethica & Diui Thomæ doctrina nihil Christiani resipiant, & de primatu Petri in speciem adstructo & re sublato, male ad officium hominis; qua ratione regitur, reuocauerim; Nonnè hæc tria ad subsellium fidei, & intimam Christianissimi medullam pertinent? Ita est; sed id maxime causor, & ægrè fero, quod Launoius cum de his disputat; non dicam Fidei Catholicæ, aut grauioris Theologiæ, sed ne quidem rationis sit audiens: à qua dico ipsum longius quam Ethicam nostram ad Paganos & Iudæos ab ipso amandatam, abesse: quia non veretur admittere, quod Iudæi & Turcæ solo naturæ lumine, nulla ex Euangelio aduocata luce, damnarent: nihil enim peius oderunt, quam bilinguis & versipellis hominis à se ipso dissentionem; à qua Launoius propius absit, quam nostra Ethica: hæc enim lex naturæ est, quam gentes, quæ Deum ignorant colunt, & ex ea viuunt, ne pugnantia loquamur. Forte hoc vitij à sua origine adhæsit Launoio, ex ea gente nato, cui jure, an iniuria (nolim enim quidquam iudicare) quasi conuitium objicitur, parum curæ illi esse sibi constare, & ne cor ab ore vel à promissis facta dissentiant: & reuera si ex vno, de aliis integrum esset statuere, male meruit de sua patria Launoius, cuius conuitium suo magis grauat, quam eleuet exemplo.

Et cum in ore duorum, aut trium testium stet omne verbum, duobus dissonantiæ explicatis exemplis tertium adjungam, de primatu Petri eiusque successorum, quem à se sublatum velle, cum passim dicat se vindicare, à me objici, imputat calumniæ; an vero calumniâ ego illi struxerim, vel à se ipso dissentiat, ex iis, quæ hoc toto articulo subiiciam, velim iudicet æquus Lector.

Ego quidem prima huius Apologiæ parte calumniam Petri à Clausa valle in Combefisium intentatam, quasi Ecclesiam Romanam bicipitem faceret, meam de primatu Petri eiusque successorum, suis munitam fundamentis aperueram, & occupandis Launoij aliorumque calumniis, quasi Ecclesiæ Gallicanæ iuribus, aut Academiæ Parisiensis dogmatibus aduersaretur, monueram me nihil aliud de hac controuersia grauissima sentire, quam quæ maxima Ecclesiæ Gallicanæ lumina ex antiquioribus Auitus nomine Episcoporum Galliæ scripto ad Romanam Synodum Symmachi causam habitam, ex mediis Bernardus, Eugenium summum Pontificem, sui officij & potestatis monens, quæ ex recentioribus Perronius, sua ad magnæ Britanniæ Regem, & Coiffeteau, sua ad Marcum Antonium, primatum Petri lacessentem responsione, nos docuerunt. Et licet clarissima sit mea mens, neque quidquam attingat comparationis, Pontificiæ authoritatis supra Concilia Oecumenica prælatæ aut infallibilitatis soli Pontifici, inconsultis etiam doctoribus & Conciliis asseræ; iis quæstionibus inuidiosis omnino summotis; non desinit tamen Launoius me importunissime iis duobus quasi ex mea sententia consequantur, quamuis nihil cum illis commune habeat, nos perpetuo vexare, & ea quibus me muniui dissimulat & tacet; vel peiorem silentio illis adhiber interpretationem: nonnulla à me ipsi objecta & ab illo omissa annotabo. Ita enim in vrgendis consecutionibus, quibus falsissime me grauat, quasi iura potestatis Regiæ, & Ecclesiæ Gallicæ dogmata impetant, ita, inquam, in his tribus calumniarum generibus, verbosissime prosequendis & millies ad saturam, vt loquetur repetendis, totus est, vt non meminerit aut vacarit refellere, quibus me muniueram, aut quæ illi obiiceram, contentus hâc frigidissima exceptione, de Ro-

mani Pontificis primatu, quæ Auitus, quæ ſanctus Bernardus, Cardinalis Perronius, & Nicolaus Coeffetæus ſcribunt ſibi perinde objici, ac primatum illum negaret, quem paſſim vindicat: Sed quo jure ſtatuit? Humano ne an diuino? Qua amplitudine? Quibus inſtruit juribus? Hic tertium hominis à ſe ipſo diſcordis exemplum pono: primatum Petri, paſſim verbis tenùs adſtruit, factis procul, imò totis viribus euertit; quod paſſim, cum ex aliis argumentis, tum maxime ex eius ſilentio licet agnoſcere. Quid enim reſpondet ad Bernardum, omnibus Apoſtolis iure diuino prælatum Petrum, ne dum ſentientem, ſed etiam valide probantem? Cur taces Launoi? Cur non loqueris, an tibi cum Bernardo conueniat, quo paſſim tacito aut ſpreto contendis, vix quidquam ſupra cæterorum Apoſtolos, niſi forte locum, aut titulum primi Petro collatum? ſaltem id velim reſpondeas, an Eccleſiæ Gallicanæ ſenſus, à te certius & magis Catholicè quam à Bernardo ſit repetendus? An putas Facultatem Pariſienſem toto orbe celeberrimam, tibi magis quam Bernardo adhæſuram?

Addideram propè infinita, quæ non erant ſilentio prætermittenda, aut contemnenda, ſi cauſæ & ſui nominis aliqua defenſionis cura eum tangat, quale eſt illud ad Eminentiſſimum, & juxta ſapientiſſimum Cardinalem Franciſcum Barbarinum Siricio Papæ aſſerta, & Alexandro VII. nuncupata Epiſtola, malè de hoc meruiſſe; ſi vt ais, tot habeat fulmina, quot verba; quibus à primatu dejiciatur: quale etiam eſt illud argumentum, ex epiſtolis Chryſoſtomi ad Innocentium I. alioſque Eccleſiæ Latinæ Epiſcopos à te in noxam primatus Romani depromptum, & à Perronio valide confutatum, ad quæ omninò taces, ne videaris, aut cogare fateri, te Perronio per omnia diſcordem.

Sed horum omnium ſilentij do veniam: verum nullus excuſare poteſt, citra grauem à teipſo diſſenſionis, & veluti proditæ cauſæ notam ad hæc tria tacuiſſe. Retorſeram in te exemplum, quo millies nos vexas Marcionis, à paterna ſententia ad Pium primum appellantis, quo ſtolidiſſimum fore mortalium concludo, ſi nullum Pontifici Romano ſupra cæteros Orientis & Occidentis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [422] - 402
PUBLIC DOMAIN

Episcopos, jus appellationum competeret: Quid tu ad ista? omninò taces. Qua vero ratione dissimulare potuisti objectum tibi in Ecclesiam inuexisse Auerrois insomnium & monstrum: atque vt hic vnicam mentem diuisionis numericæ impatientem per totum late genus humanum in singula indiuidua diffusam comminiscitur; ita te sacerdotium quasi singulare in Ecclesiam inuehere, iure diuino omninò impartitum. Si falsa sensisses me tibi affinxisse, iustius castigandus eram, quam capite duodecimo hoc præfixo titulo: *Baronis non tam calumnia, quam portentum calumniæ, vel potius insaniæ.* At dissimulata hac accusatione, & silentio præterita alte inclamasti me tuam mentem consecutum, & prorsus te ita sentire, sed non ausum tuâ, vel explanare, vel propugnare opinionem, ne cogereris dicere quod ex ea consequitur, te simplices sacerdotes Curatis, hos Episcopis, istos summis Pontificibus exæquare: quia omnes sortiuntur sacerdotium iure diuino impartibile. Tuum Launoi silentium vocalius est centenis libris & absurdiora ac periculosiora premit aut verius euulgat, quam vt à me refelli debeant, aut possint ab vno sanæ mentis homine probari; vnde apodictice concludo, de primatu Petri, te à te ipso dissentire.

Paragraphvs primvs.

Regeritur in Launoium læsæ majestatis Regiæ, & violatorum Gallicanæ Ecclesiæ jurium aduersum me falsò instaurata accusatio.

Rem facilem aggredior, quia tota constat assertione, ante me à viris sapientissimis & eloquentissimis demonstrata, eos nempe, *qui summi Pontificis supremam in Ecclesia authoritatem conuellunt, perdendis quoque regibus ac euertendis sceptris viam munire.*

Hoc effatum, quo valide à nobis Launoij calumniæ, in authoris caput depellantur, immortale Parisiensis Academiæ nostræque familiæ decus Nicolaus Coeffæteau, præfatione ad suos pro sacra Monarchia Ecclesiæ Ca-

tholicæ & Romanæ, aduersus rempublicam Antonij de Dominis, libros quatuor Apologeticos, elegantissime prosequitur, & multis confirmat exemplis; quibus nos rationum momenta addemus, ne videatur contundendæ aduersarij audaciæ vllum præsidij genus nobis deesse.

Si exempla velis, nostrum & duo superiora sæcula pluribus abundant, quam vt certiora longiùs sint repetenda. Primus in theatrum prodeat ex Anglia Vviclefus *organum diabolicum, hostis Ecclesiæ, vulgi confusio, hæreticorum idolum, hypocritarum simulacrum, schismatis instaurator, mendacij promptuarium, adulationis sentina*, quibus ab vno suorum Gentilium titulis graphice deformatur. Is perinde Romano Pontifici, ac Regibus omnibus exitialis, illum tanquam merum Anti-Christum, ac Ecclesiæ tyrannum, de sede deturbandum, impudentiore vociferabatur. Nec credas in Reges æquiorem, omnes Principes suis ditionibus, hoc sceleratissimo dogmate dejicit, nullum scilicet peccati mortalis conscium aut compertum, cujuscumque dominij esse compotem; quo constituto actum est de Regibus rerum Dominis: atque hoc errore pestilentissimo afflata primum Anglia, deinde Boëmia, incentoribus Hieronymo à Praga Ioanne Hus & Zisca, Latronum primum, deinde ingentis exercitus Duce, hæc duo regna rebellionum in Reges flammis conflagrarunt, quæ cæde & sanguine millionum hominum restingui vix potuerunt.

Quid de Luthero dicam? Nescias quam peius dignitatum, regiam ne, an pontificiam oderit, & furiosius vexarit. De pontificia quidem ita ipse *viuens Papatus hostis ero, exustus bis hostis ero*, quem his verbis sui odij testibus deformabat, *Papatus est robusta venatio Romani Episcopi, est principis Satanæ pestilentissima abominatio, quæ sub cælo fuit*, aut futura est. Sed quid Regibus? an eorum parcit dignitati? Audi Henricum VIII. Regem Angliæ palpantem, nescias, *an ipsa mania sic insanire possit, aut ipsa stoliditas tam stolida sit, quam est caput hoc Henrici nostri, forte vt verum faciat prouerbium, aut Regem, aut fatuum*, nasci oportuit. Præterea vltro agnoscit Lutherus, sic indiuulsas esse has dignitates, ad contemptum, aut reuerentiam, vt à Pontificiæ infectationibus, in rui-

nam Regiæ se grassatum testetur ; *Si*, inquit, *idolum Romanæ abominationis propter Christum conculcaui, quis est iste Henricus nouus. Thomista, discipulus dumtaxat, tam ignaui monstri vt virulentas eius blasphemias honorem?*

Successit Luthero Caluinus, procella Galliæ, turbo pacis, atque otij Europæ ; qui primum sibi vexandum pontificem duxit, vt gradu per scelera facto, & Regum quoque ipse solia concuteret, atque patriæ suæ perniciem machinaretur, iniectis rebellionis flammis, quæ decies in aperta bella exarserunt.

Externis ac domesticis exemplis monitos nos voluit Deus, periculorum quæ ex hac Pontificiæ ac Regiæ dignitatis diuisione impendeant mala. Absit vt te Launoi eo progressum audaciæ criminer, quo hæ tres Christiani orbis pestes prorupere ; à te tantum obtinere vellem, vt ab eorum exemplis abhorreres, & attenderes quæ ex pontificiæ dignitatis contemptu mala ingruant, & in eos paulò esses æquior, qui Regiæ concordem reuerentur, & si quid mali inde intentes Regibus, grauiora ex deiecta, quam ex seruata, aut aucta pontificis potestate imminere, neque vnquam Res Gallicas floruisse magis, quam Pepino, Carolo Magno, Ludouico Pio, aliisque regibus, quorum fœlicitatem victorias & Imperij amplitudinem nequeas certius, quam obsequiis in sedem Apostolicam metiri ; quò enim sese illi reuerentiùs & demissius subjecere, eo latius victricia arma circumtulere, & plures sibi populos subegere. Si hos præposteræ pietatis, & deformis obsequij in summos Pontifices arguas ; vt apud Bellarminum legi Caluinum hanc reuerentiam, quasi Latronum societatem traducentem, quod summo Pontifici concordes & obsequentissimi regno Longobardorum semper Romano Pontifici imminnentium dejecto multis ditionibus sancti Petri patrimonium locupletarint : videris ipse, an hæc tuo quod vbique crepas Regiæ dignitatis, cuius etiam nobis neglecta aut violata iura obtrudis, studio consentiant.

A Tacito prudenter dictum : *obtrectatio & liuor, promti auribus accipiuntur, quod adulationi fœdum crimen seruitutis, malignitatis falsa species libertati insit*, no-

lim exerte pronuntiare, hoc in te, tuoſque libros cadere; à vero tamen non aberrauerim, ſi ſuſpicer libertatem, quidquid in buccam venerit effutiendi ipſa veritate tibi eſſe antiquiorem, nec tam attendere, quid conueniat ſcribere, quam quid impune poſſis. Si his imbutus opinionibus, de primatu Petri quas tuis libris euulgas, loco Abbatis Alcuini Carolo Magno præceptor contigiſſes, non credo, te conſiliis & documentis cum Alcuino conuenturum, neque diſcipulum ea, in Pontificiam ſedem reuerentia imbuturum, quam credibile eſt eius animo virum illum ſanctiſſimum alte impreſiſſe: vbi verò Regem nobis dederis tua diſciplina inſtitutum, qui paria, cum Carolo Magno Alcuini alummo facturus ſit, pollicor tibi meo omniumque Monachorum quos inſectaris nomine, nos omnes pedibus manibuſque in tua ſenſa ituros, ea perſuaſione certi veritatem ſe tibi conſpicuam præbuiſſe, & te illi vni tuis lucubrationibus litare. Sed quam longe ab ea quam tibi precor præceptoris Caroli Magni pietate & ſapientia & in regibus ſua officia edocendis dexteritate, abſis, ridiculus eſſem, ſi pluribus probandum ſuſciperem: hæc à me inſtituta tui cum hoc Abbate omnibus Alexandris digno Ariſtotele, comparatio deterrere te poſſet à laceſſendis monachis, quaſi iurium, regionum & Galliæ oſoribus, cum Caroli Magni exemplum fœlicitaſque in colendis ſummis Pontificibus, omnibus perſuadeat Regibus, & certiores faciat, nihil eorum iuribus ea opinione aut reuerentia detractum iri.

Sed tu mi Launoi ea in nobis damnas quaſi exitialia quamuis principum dignitati fulciendæ & augendæ iis quæ doces ſint longe oportuniora, & tuum ſenſum occultas, quia times te non impune laturum, ſi emicent, quia iuribus regni non admodum fauent.

Ego quidem numquam hactenus eam quæſtionem attigi, quam continuo ad noſtrûm inuidiam verſas, non vt pro dignitate tractes, aut aliqua locupletes eruditione, an omnibus diuiſim tantum, vel collectim, Eccleſiis Romani Pontificis præſtet & potior ſit authoritas; an ab illo vel à conſiliis infallibilis de rebus fidei veritas nobis conſtet. Illud tamen ne dum mihi impunè licere, ſed etiam cum bonorum omnium laude, & ap-

plausu, excipiendum arbitror, eos qui ita, quoad vtrumque huius quæstionis caput statuunt, magis Regum iura tutari & munire, quam qui ab Ennodio quasi à iuniore & traditionis Ecclesiasticæ ignaro, dictum contendunt, primam sedem à nemine iudicari: neque aduertunt hac graui & iniqua censura se in regna omnia inuehere, quod ab aliquot annis horrendum in suum Regem comitiis generalibus Angli statuerunt. Vnde enim adeo dignitati Regiæ iniuria & exitialis, quæ omnibus coronatis capitibus immineat sententia prodierit? Nisi ex lege à Launoio constituta summis Pontificibus, eos in suo decessore, & primo pontificum Petro, non à Christo omnis sacræ & Ecclesiasticæ potestatis fonte, quem nos Regem non fecimus, sed sibi nos in suum Regnum adoptauit; sed ab Ecclesia, penes quam in Concilîs Oecumenicis collectam, etiam semoto capite summo Pontifice suprema potestas resideat, excepisse. Si ita censeas de summis Pontificibus, quorum dignitatis exemplar est Petrus, quem Christus primum sui parentis nomine, deinde ex proprio ad id muneris immutato designauit cœlorum clauibus administrandis; quid facturos putas, quibus vna cura est, Reges in ordinem cogere, an non certius se de politica potestate disputaturos præsument, quam tu hactenus, Launoi, de pontificia egeris? Eam videlicet in comitiis generalibus status residere supremam, cuius regia sit participatio, quam ad libitum arctare & protendere liceat, nec non illis, qui ea sibi permissa abusi fuerint abrogare, & male etiam administraræ si visum fuerit penas grauissimas capitis deposcere?

Ad ista tu viam paras Launoi, dum omnia sus deque misces, vt Monachis diminutæ aut sublatæ poreſtatis Regiæ pessimis artibus inuidiam confles. Atque hinc agnoscet Lector, quinam nostrûm; an tu, qui ista doces, de summis Pontificibus; an qui plus æquo etiam indulgent, periculosius principum ceruicibus immineamus?

Sed vt in materia inuidiosissima orationi moderer: aliud Caput attingam, de priuilegiis Monasteriorum. Censes ne illain totum tollẽda, neque posse saluis Ecclesiæ Iuribus, & antiquæ disciplinæ legibus retineri, etiamsi

Pontificiæ authoritati Regia acceſſerit; neque regni Parlamenta interceſſerint? Si id patiare, in tuto ſunt infinitæ regularium Eccleſiarum & Capitulorum immunitates, quibus hæc tria munimenta non deſunt.

Huius generis ſunt collata à Summis Pontificibus nec dum probata, ſed etiam expetita à Regibus Cœnobio S. Maximini priuilegia, de quibus hodie, ſub iudice lis eſt: nec dubito, Launoi, ſi res tuo ſuffragio decerneretur, quin ſimus cauſa caſuri, quamuis præter litteras Pontificias, & Regias, Senatus decreta, ſuppetant partium pacta, quibus tranſegerint, quorum intererat, ne huiuſmodi immunitates obtinerent. Si vero hæc tria aut quatuor præſidiorum genera multorum ſæculorum poſſeſſione firmata nihil moratus, inclames, *tolle, tolle, exinanite, exinanite*, quaſi aduerſa ſint iuribus Eccleſiæ & Canonibus, quibus Reges & Pontifices ſint obnoxij; nec cum illorum noxa potuiſſe hæc inducere; à te quæro, an his immunitatibus à paſtorum inferiorum cura & poteſtate, credas magis diſciplinam Canonum reſolui, quam ſublata paſtorum electione, plebis, & cleri ſuffragio, ex traditione, vt quidam contendunt, Apoſtolica, vel iis, ſaluis, ſtare poſſe negas initam à Leone X. cum Franciſco I Galliæ Rege concordiam, de Sacerdotiis totius regni ſublata Canonica electione conferendis: ſi hanc immutationem, alteri æques, aut præponas: (neque enim ita te cauſæ ſeruire puto vt poſtponi contendas, quaſi minoris ſit momenti aut periculi paſtorum electiones in totum mutare quam de ſtata poteſtate aliquid ſubducere) ſi ita, inquam, ſentias, cur hanc canonum corruptelam grauiſſimam hactenus tacuiſti: cum tot & tanta deblatteres in traducendis exemptorum immunitatibus? Silentii huius pertinacis, tantæque loquacitatis cauſas aperui: veritati ſtudes, ſi adiuncta ſit impunitas, ſi aliquod immineat periculum, taces, ſicut muti & minuti illi canes, qui non audent latrare: atque ita tuorum librorum labor & fructus non eſt, quam obtendis, veritatis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindicatio; quia cum poſſes iuſtius exardeſcere de hâc Sacerdotij electione taces.

De altera parte diſputationis quæ ad ſingulares ſpectat, immunitates, aſſentior Launoio reiiciendas; quas euicerit graui obreptionis vitio, non carere; & in eas valere

volo, quæ congerit Patrum testimonia, qui monent potius iis parcè vtendum, quam omnino abstinendum: nec hac meæ sententiæ interpretatione, puto vel minimum lædi Ecclesiæ Gallicanæ iura, cum iis etiam accenseri possint, tot, nedum Monasteriorum, sed etiam Capitulorum & Ecclesiarum immunitates, quarum originem vix reperire sit, nisi ab heroïcis temporibus, à Carolo Magno, à Ludouico Pio repetatur.

Sed ea est Launoij in lacessendo audacia, vt non patiatur cohiberi monito illo, ne dum Medicorum, sed etiam omnium sapientum consultissimo, *malum bene positum ne moueto*: id enim effatum est, omni oraculo certius, à medicæ regulis sumptum, quod tamen ad omnes vitæ humanæ & Christianæ vsus pertineat: id enim volunt medici, leuiores interdum ferendas infirmitates, quarum curationem tentare nequeas, nisi cum periculo grauiores & letales incurrendi: neque enim in eo articulo sunt tantum corpora, sed res etiam fere omnes; tum humanæ, tum sacræ, & ipse solus id ignorare aut impetere potest temere, qui omnia à me dicta, seu iure, seu iniuria, carpenda suscepit. Ipse viderit, an se tutari, & me lacessere possit authoritate Augustini, qui aliquo loco ex illo medicorum aphorismo scorta humanis legibus toleranda scribit: & libro de mendacio, capite decimo monet, mentiri numquam licere, sed tacendam aliquando veritatem: Id non patitur Launoius, licet non à prudentia, sed ab impunitate silentium veritatis, seu solidæ, seu presumptæ metiatur: atque ad has commentitias regulas suorum librorum exigit scriptionem, duplici vitio, nempe certæ veritatis nomine affecto suis opinationibus, & plurium rerum innoxiarum insectatione, quæ scandala pariant, non ædificationem Dei. Plura ad rem commoda prætermitto: quia in materia vberrima mihi non lenocinor, contentus ea attigisse, quibus à prudentis lectoris animo submoueam, quas de me illi ingerit Launoius falsas ineptasque suspiciones: quid enim hoc axiomate medicorum sensu à me explicato verius? Sed cum homine agendum est, qui certissima quæque conuellit, & prouerbiis, quibus in vita humana nihil certius, fidem abrogandam censet; nempe, vt illi vni paradoxa scribenti habeatur Hæc de quinto capite.

Octauum, nonum, & decimum-octauum, cognatione materiæ iungo, & semotis infinitis, hoc vno argumento complector: ad diui Thomæ nostræque causæ defensionem, quisquis examen locorum Cyrilli, iussu Vrbani IV. susceptum, & summa fide peractum, quoad quæstionem iuris tantum, seu quoad sensum quem præferunt verba, prætermisso examine quæstionis facti, quo sensu, à Cyrillo prolata essent, quia erat iniussum, & deerant libri, vel non exstabant Latine versi, vnde dicebantur deprompta; hæc paucis perstringo, quia fusius prima huius apologiæ parte prosecutus sum; ne Launoium imitatus millies eadem repetam. Quisquis igitur institutum à Diuo Thoma examen suspectum habet, aut sola ignoratione excusat, quasi errorem iuris, his verbis inuolutum non perceperit diuus Thomas, ille inquam, in hæc tria incommoda incurrit: primo indicit apertum bellum primatui Petri iure diuino constituto: deinde, quod ex illo sequitur, magis Græcis adhæret in schisma relapsis post reditum ad sua, ex concilio Florentino; quam iisdem schisma in eo concilio eiurantibus: deniq; magis peccat in Sacerdotij & imperij damnanda concordia, quam in lacessendis immunitatibus, quod harum sint rariora exempla, illa vero latissime pateat. Verum tu non pro rerum momentis, sed pro tuis commodis, aut periculis, scriptiones tuas metiris.

Si excusando silentio contendas electionum immutationem honestam & licitam esse posse, immunitatibus vero inhærere vitia, quæ nulla potestate queant abstergi; velim nos doceas, cur electionum immutationis causa iustior sit & potior immunitatibus. Si has velis Ecclesiæ canonibus apertius aduersari, quam electionum suffragia clero ablata, næ tu grande negotium suscipis: nam præter quod Canonum authoribus potior est electio, immunitates temporis perennitate vincunt, quæ interdum leges antiquet.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Refelluntur 4. Capita nempe quintum, octauum, nonum & decimum-septimum.

SVperiori paragrapho nobis valida aduersus Launoij impetus præsidia extruximus. Capite quinto grauiter expostulat, quòd boni non consuluerim perpetuas insectationes immunitatum. Quod ad me attinet, in primis testor me non susciperе propugnandas, quibus vel vnum desit trium aut quatuor quæ enumeraui præsidiorum, à Pontificis, à Regis potestate, à iudicum, à Parlamentorum decretis, & diuturnitate temporum: neque augendas, aut nouas inducendas crediderim, quia cùm iuri communi saltem positiuo aduersæ videantur, restringendæ potius, quam protendendæ videntur.

Hic vero duplex institui potest quæstio, vna de priuilegiis vniuersim, seu de generibus singulorũ: altera, de priuilegiis sigillatim, seu singulis generũ: de priore, sensum meum aperui, nec puto Launoium reclamaturum quamlibet litigandi libidine transuersus agatur: & si pergat, obiicio Pontificiam & Regiam concordiam, de Sacerdotiis conferendis, sublata canonica electione: à scriptoribus Galiiæ florentissimis, & summe Catholicis omnium ætatum, Auiti, Bernardi, Perronij, Coiphetæi desciscit, ad castra hetherodoxorum Antonii de Dominis, Blondelli; & Mornei: atqui Launoius hoc Diui Thomæ examen omnino improbat, nec excusat nisi cum grauissimâ noxâ ignorationis; magis etiam quoad quæstionem iuris, quàm facti. Neque enim concoquere potest libros Cyrilli, vnde deprompta creduntur testimonia, periisse; & totam refert falsitatem in vitium erroris, quod occultant, cui percipiendo impar fuit D. Thomas post examen decennii, à primo horum locorum vsu, cum commentaretur quartum sententiarum, transacti, ad Vrbani IV. tempus, quo institutum est examen. Ergo non potest Launoius sese eximere ab illâ triplici notâ; impetiti primatus Petri, probati schismatis Græcorum, & à castris Catholicorum transfugæ ad hetherodoxorum partes.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [431] - 411
PUBLIC DOMAIN

Primam incusationem, ita nedum frigidè vno tantùm verbo, sed etiam præpostere detrectat, aut deprecatur, vt sibi potius alte inurat & imprimat quacumque spongiâ indelebilem: neque enim se excusat, nisi dissimulato examine D. Th à quæstione iuris ad quæstionem facti, & culpam fucat duobus exemplis, quibus probat se id vnum inspicere, vt Catholicos traducat in gratiam hæreticorũ. *Leo*, inquit, *decimus Lateranensis Concilij Sessione vndecima, suam in congregandis Conciliis authoritatem confirmat ex quadam Alexandrina Synodo, cui interfuerit Athanasius, eumque Catholicorum plures, maxime Canus secuti sunt: at inquit Baronius ad annum 357. hanc Synodum quasi suppositititiam multis reiicit: propterea ne censendus est reus impgunati primatus Petri cuius criminis insimulor, quod suppositicia Cyrilli testimonia demonstrauerim?* Sed fraus est aperta, non hoc nomine insimulo; sed quod examen locorum Cyrilli, nedum quoad quæstionem facti tantum, sed quoad quæstionem etiam iuris damnet: quod saluo primatu Petri, tentare non potuit.

Eiusdem fraudis est alterum quod addit eodem capite exemplum: Albertus Pighius primatum Petri confirmat testimoniis Romanorum Pontificum, qui Nicenam Synodum præcessere, nempe, Anacleti, Euaristi, & aliorum quibus Pontificiæ Epistolæ adscribuntur; eas vero Bellarminus suspectæ aut incertæ fidei habet; quamuis antiquas esse velit: nec propterea laborat suspicione impetiti primatus Petri. Cur ergo hoc crimine grauor, quod simile quid tentauerim, de Cyrilli testimoniis? sed immane est discrimen: Baronius, & Bellarminus vnum aut alterum testimoniorum, quibus fulcitur Petri & Pontificis authoritas, eleuant ex summo animi candore & vnius veritatis studio, relictis vel additis propè infinitis validioribus. Launoius sic omnia subducit, aut fictitia inclamat, vt non dubitauerit scribere, quod semel à me obiectum dissimulauit, Leonem nonum & Nicolaum primum; ita omnium præsidiorum; quibus authoritas Pontificia muniatur ignaros, vt omnis consilij inopes, non habuerint vnde hanc suam authoritatem mendicarent, quàm à Constantini gratiâ, vel abdicatione Polichronii fictitii Hierosolymorum

Antistitis. Baronius & Bellarminus cum Catholicis consentiunt de quæstione iuris, de quâ Launoius litem mouet Diuo Thomæ; ergo per summam fraudem tantorum virorum suo errori fucando adhibet exempla.

Iisdem artibus alteram nostræ argumentationis partem à se conatur amoliri; nempe illi placere magis Græcos schismaticos, quàm cum Ecclesiâ Romanâ de primatu Petri concordes: Continuò ludit, nec Perronium, nec Baronium vmquam vsos huiusmodi testimonijs Cyrilli; & quamuis iniecta sit aliqua illorum mentio in Concilio Florentino, obmutuisse tamen eum, qui illa ostentauerat: addit non fuisse vocata ad examen, imo nec Græcos suo vnionis cum Ecclesiâ Romana decreto passos admisceri aliqua, nedum Cyrilli, sed nec etiam aliorum Patrum Græcorum verba, quibus muniretur. Denique Concilio Florentino à Gallis abdicari nomen & vim Concilij Oecumenici, vt Basileensi asseratur: sed ad quid tot effugia? esto apud Gallos pleni Concilij authoritatem non obtineat Florentinum, quod obtrudit Launoius, vt sibi liceat ab illo dissentire, nemo negauit vim habere solemnissimæ duarum Ecclesiarum post longissima & atrocissima dissidia conciliationis spectante toto orbe Christiano peractæ, vt inde liceat grauius quam à quacumque authoritate vnius, aut plurium Patrum argumentum depromere, ad primatus Romanæ Ecclesiæ munimentum. Sed omnia putat Launoius se effingere, his sibi familiaribus ludis & dicteriis; & vt hominem constringam, velim, exertè respondeat, quid sibi horum magis arrideat; an Græci Romano Pontifici obnoxij; an post iuratum obsequium rebelles: si postremum velit, viderit quâ ratione amolietur impetiti primatus Petri inuidiam, & si placeat, saltem liberet me à calumnia odii falsò obiecti primatus: si alterum velit, ergo ita innoxium est examen Diui Thomæ de locis Cyrilli, vt nullâ eius veniâ aut excusatione opus habeat.

Sed pluribus eluctatur contra tertiam nostræ argumentationis partem, & cum conscientia vrgeatur se reuera magis quoad hanc controuersiam ab hetherodoxis stare, quam à Catholicis, incredibilia tentat, omnia susdeque miscet & se in has angustias redactum vi meorum argumentorum ratus, vult me suæ indignationis

vim experiri, quasi vlturus sit quem facessiui laborem; obiecto alieno scelere, quod ad me, vt iam monui, minus quàm proditio Iudæ ad Apostolorum cæteros pertineat. Frequenter mihi nomen obiicit, *fanatici & energemate concitati hominis.* Absit vt illi similia reponam, quod forte ipse vellet, mutandæ Theologicæ quæstioni, à solidis argumentis, ad atrocia conuitia, quibus cum ab infantia assuetus sit, facile ex hoc pugnandi genere victoriam speraret, vltrò palmam cedentibus Aduersariis: sed re vera illi timendum est, ne sicut icterio laborantibus contingit, vt quo offusos habent oculos ex morbo colorem, in ea, quæ prospiciunt, late diffundunt; sic fortè Launoius argumenti pondere oppressus, ita se torquet, & exagitat, vt malim suo, Lector quâ vero statuat iudicio quis nostrum hoc sit magis nomine donandus.

Vrgebam Aduersarium collatione Catholicorum cum hetherodoxis, vt aliquem illi taciti pudoris iniicerem sensum, quod istis propius accederet ab aliorum mente alienissimus. Quid adhæc Launoius? omissâ iam protritâ responsione ad alias partes adhibita, Marcum Antonium Spalatensem, Morneum & Blondellum non attigisse magis examen testimoniorum Cyrilli quam Perronium. Verum hæc ad quæstionem facti spectant, à quâ abstinuit Diuus Thomas, sed quid de quæstione iuris? An tibi magis, cum his tribus hæreticis, quàm cum Perronio, aliisque conuenit? Agnosce, Lector, inuictam conscientiæ vim: cum id negare ferè necessitas adigeret, ne à Catholici nomine omninò excideret, quamlibet eluctatus sit, non potuit conscientiæ testimonium comprimere, sed alias tentauit elabendi vias.

Quid mali, inquit, fuerit consentire interdum hæreticis? si quæcumque asserunt, aut eorum libris exstant, fas sit negare, dubitandi locus erit etiam de proditione Iudæ (quod ipse adhibet exemplum magis eius quàm mei causâ taceo) ei simile sufficio, citra noxam vis responsionis. Addit pleraque ab hæreticis sine contagio erroris depromi. Etsi contra stem, vrget me pluribus exemplis, nempe Stephani Papæ, qui Baptismum hæreticorum probauit: Augustini, qui traditas à Ticonio Donatistâ scripturarum exponendarum regulas, omnibus commendat: Hieronymi & Theodoreti, qui in interpre-

interpretandis Scripturis sacris Aquilam, Symmachum, & Theodotionem à Christiana Religione apostatas secuti sunt, Pij V. qui contendentibus in Gallia plerisque, iterum tingendos baptismate, qui eo Sacramento à Caluinistis initiati erant, exemplo Stephani, validum pronunciauit. His antiquis exemplis, alia addit: si vbique obsistendum hæreticis, Ioannæ Papissæ fabulam probandam, quod à Blondello valide explosa sit, & Religionem Christianam argumentis è libro Mornæi, si id argumentum tractandum susciperem, mihi fore confirmandam.

Ad ista planè obstupesco, nec capio, quò pertineant: vrgebam Launoium dissidentibus Bernardo, Coeffæteau Catholicis hinc, & inde Blondello Mornæo de primatu Petri, tutius esse illis, quàm istis accedere. Quid ad ista Launoius? omnia, inquit, probanda sunt, & quod bonum tenendum, vnde sicut baptismum hæreticorum Stephanus, & Pius V. regulas Tychonij, Augustinus, probandas censent; ita his exemplis vult euincere magis standum à Blondello, & Mornæo, quàm à Bernardo & Perronio, de primatu Petri dissentibus; & perinde, hunc ab his postremis authoribus, iuri diuino astructum licere abiicere; vti fabulam Ioannæ Papissæ à Blondello falsi conuictam. Quis credidisset hominem Catholicum, his exemplis, suam causam propugnaturum vmquam? Omitto, quod peccauit Launoius, relatâ in Morneum gloriâ Religionis Christianæ deffensæ aduersus Ethnicos & Atheos; quasi non aliis armis, quàm ab illo etherodoxo cusis, & ex ejus officinâ depromptis, nequeat propugnari. Ignorat ergo plagium Mornæi, qui meliora furto sustulit, tacito nomine, ex Theologia naturali Raymundi à Sebundo. Nescit etiam, quod monet Michaël Montanus, suâ præfatione ad Theologiam Raymundi, Gallico cultu à se donatam imperio patris, vt liber ille vernaculâ linguâ lectus esset, veluti auerruncum & amuletum, aduersus pestem nascentis hæresis, iudicio prudentissimi eius patris, in Atheismum desituræ. Ait itaque vir clarissimus, interrogatum à se Turnebum, quem prædicat omnium rerum post hominum memoriam, peritissimum, quid de hoc libro censeret, respondisse se arbitrari esse medullam

doctrinæ Diui Thomæ; ergo non à Mornæo, sed à Raymundo de Sebundo, aut verius à Diuo Thoma repetenda sunt arma, quibus Religio Christiana propugnetur. Sed id condonandum est hominis imperitiæ; qui putat se omnia scire: quâ verò ratione excuses, ab hæreticis precariò mutuanda, quibus ne dum Catholici abundent magis, sed etiam apertissimè dissentiant? Verum hoc in secundam speciem lapsus incurrit, de quo iterum articulo sequenti: hîc paucis refellendum est decimum septimum caput.

Pudore, vt arbitror, adeo præposteri & Catholico indignissimi responsi, suffusus, aut potius enectus Launoius, decimo septimo capite, hunc grauem lapsum nititur reparare. Ait itaque me calumniari, & Lectoribus illudere, dum assertum à Cardinali Perronio Romani Antistitis primatum sibi obiicio negatum. Nisi huic asserto, tacita conscientia Launoij reclamasset, contestata nihil illi cum Perronio commune, de primatu Romano, nunquam alterum responsum tentasset iam refutatum, quasi indubitatum desperationis argumentum. Si tamen ex animo consentiat Launoius, Perronio, & syngrapha testetur, se nulla Pontifici Romano iura à tanto viro asserta, vel minimo apice velle imminui; spondeo, me quæcumque in ipsum scripsi, retractaturum, & quas me sibi dare voluerit pœnas ob hanc accusationem libentissimo animo subiturum: tantam animi consentionem, aut verius immutationem optare possum; sed vix sperare ausim, aut fidem habere etiamiuranti: faceret satis bonis omnibus, si Concilij Constantiensis contra Vuicleſi errores, decretum quod ipse apponit, ad finem huius capitis, sincere amplecteretur. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat vniuersalem aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.* Si ita censeas, Launoi, cur hujus iuris comperti, è Romanis Pontificibus ignaros facis duos, ex illis sapientissimos, à me iam nominatos, vt velis, totam suam authoritatem ab hominum arbitrio, non à Christi institutione repetiisse? Suspicor sic ex priuato tuo sensu scripsisse, forte quia, in ea es opinione,

At videris ipse, quàm tibi bene cum Perronio conueniat; qui ex iisdem Epistolæ Chrysostomi verbis primatum Romani Pontificis tollis, quibus ipse firmat & munit: verius puto, te ex animo supra locutum, hic tantum fucum facere lectoribus. Sed dum tuam à Perronio dissentionem dissimulas, verbisque obuoluis, eodem capite, quid de te, quid de Diuo Thoma sentias, ita apertè exeris, vt videaris pudorem exuisse. Hinc grauas sanctum Doctorem læsi decreti à Gregorio IX. ad Parisienses Magistros missi: de illis tantum in scholis quæstionibus disputarent, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus, valeant terminari, à quo præscripto, insinuas Diuum Thomam longè recessisse, congestis in scholas infinitis quæstionibus, quibus visus est, se philosophum ostentasse; cùm tanen moneret Pontifex vt satagerent fieri theodidactici. Sed præter hanc tacitam obiurgationem apertiori Diuum Thomam impetit accusatione, quòd secunda secundæ, quæstione decima & duodecima, tribuat Pontifici Romano, quæ nequeat ex veræ Theologiæ principiis, duobus scilicet Scripturæ sacræ authoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione probare. *Atque hic me fixo pede aïs te operiri.* Sed, ad quid pugnem cum eo homine quem eò deduxerim, vt malit, heterodoxis, quàm Catholicis, schismaticis Græcis, quàm schisma eiurantibus assentiri? Idque præ se ferat, totâ summâ Theologicâ Diui Thomæ, vnam tantùm secundam secundæ partem videri eo loco esse, vt eam Christianæ nomine dignaretur. At quasi huius gratiæ illum pœniteret, ex eâ maxime notat, quæ hunc illi titulum auferre possint. Quid de reliquis sentiet, qui præ omnibus Christianam, eo etiam titulo indignam arbitratur? & si contrà pugnaturus me fixo pede operiatur, absit, vt cum illo impostorum homine digladier, cui Mornæi officina armamentarium est, omnino necessarium ad Religionem Christianam propugnandam; & is ipse nihil potest ex totâ Diui Thomæ summâ Christiani excerpere. Sed de hoc forte iterum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [437] - 417
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Refelluntur, duodecimum, & decimumtertium caput.

HIs duobus capitibus, res noſtras à ſe profligatas gloriatur Launoius, & in apertum erroris periculum deductas; quaſi in Academiam Pariſienſem graſſatus ſim, & Theologos, qui noſtram Apologiam ſuis dignati ſunt ſuffragiis præuaricationis in ſuam Matrem, quaſi illius, non ſua cauſa agatur, ſuſpectos eſſe velit. Sed præter quod vix dimidiam meæ diſſertationis partem decurrit; & ſi quid attingit meorum in ſe argumentorum, iam refutatum & conquaſſatum à me obtrudit pluries nulla commoda deffenſione inſtauratum, maxime de antiquæ Eccleſiæ Gallicanæ ex Epiſtolâ Auiti, eius nomine ſcribentis ad Synodum Romanam, ſenſu; facile ab importuni hominis, inconditis potius clamoribus, quàm argumentis, meam & Apologiæ cenſorum fidem liberabo.

Eo capite, Diui Thomæ interpretationem verborum Cyrilli *inquaſſabiliter ſolam regnare Petri authoritatem ſucceſſione* ſedis Romanæ & Apoſtolicæ à me deffenſam impetit; quod vno loco teſtimonium illud, dubium & probabile tantum velim, altero quaſi certum venditem. Numquamne audiet, aut capiet toties à me explicatam & huic controuerſiæ commodatam diſtinctionem quæſtionis facti, an ex Cyrillo ſint hæc verba, & iuris, ſeu ſenſus de prærogatiua ſedis Apoſtolicæ, apud Diuum Thomam fide certa, qua ſola regnet inquaſſabiliter Petri authoritas ſucceſſione ſedis Romanæ & Apoſtolicæ? Non quaſi velit ſanctus Doctor, quòd malâ fide obiicit Launoius, Cyrilli tempore à quo hæc ſcripta opinatur, ejus ſedem Alexandrinam, aliaſque Patriarchales conquaſſatas fuiſſe, ſed potuiſſe concuti, vt ipſo euentu, heu nimium! comprobatum eſt: ſolam vero ſedem Petri inquaſſabiliter regnare, duplici titulo, cum prerogatiuâ poteſtatis, quà nulli obnoxia, reliquas infra ſe poſitas habet, tum immunitate à caſu quam

promiſſio Chriſti, & ipſemet euentus comprobauit, quòd aliis Eccleſiis Orientis euerſis, inconcuſſa ſteterit Romana; nec in illa mvſquam portæ inferi in valuerint; atque hoc ſenſu explicata verba Cyrilli certa ſunt apud D. Thomam quoad quæſtionem iuris, nec vllâ ratione ſenſu differunt à promiſſione Chriſti, quâ in ſe recepit ſupra hanc petram ædificaturum ſuam Eccleſiam, errorum & temporum victricem. Supra hanc petram, dico, non hæreticorum ſenſu, ſupra ſeipſum; quaſi Chriſtus ſignificare vellet ſe vnicum eſſe, cui Eccleſia adſtruatur fundamentum, hoc nomine, & munere ſibi ſingulari, aliis recuſato. Nec dictum etiam eſt ſupra finem diuinitatis Chriſti à Petro editam ædificandam Eccleſiam, vt commentatur Origenes more ſuo, ad moralem potius, quàm ad litteræ ſenſum; ſed ſupra Petrum bis à Chriſto, cum Patris, tum proprio nomine deſignatum, iis notis, quibus tabularij perſcriptores ſolent teſtamentis, aliiſque pactis homines ſignificare: ea poteſtate & perennitate Chriſtus, ait, ſe ſuam adſtructurum & ſeruaturum Eccleſiam; vt aduerſus portas inferi ſit inquaſſabiliter regnatura. Diuo Thomæ locus Cyrilli recidit cum promiſſione Chriſti, verbis tantùm variatis, qui non ſolùm eâ cum Chriſti pollicitationibus conſenſione, ſed etiam ipſo euentu, quidquid reclamet Launoius, comprobetur, ſucceſſione ſedis Romanæ & Apoſtolicæ nedum à Cyrilli, ſed etiam à Petri tempore, ad noſtrum vſque diem ſeruatâ, nullo concuſsâ errore, nullo momento temporis intercisâ: & ſi contendat aduerſarius, hac interpretatione verborum Cyrilli, quoad ſenſum, ſeu quæſtionem iuris, fide certâ, Diuum Thomam, noſque Romanæ Curiæ palpatores, Sorbonæ decretis & Eccleſiæ Gallicanæ iuribus aduerſari; facile eſt demonſtrare atrocem eſſe calumniam; niſi velit, præcipuos & ferè omnes ex antiquis Patribus palpatorum numero accenſere; quorum malâ omnino fide, ad ſuarum opinationum patrocinium, nomen & authoritatem aſciſcit. Antæum fingunt terræ filium ex incertis natalibus ſic appellatum, Herculi inuictũfuiſſe, quamdiù illi licuit iam fatigato & exanimi, lapſu in terram, quaſi matris amplexibus vires reparare: Ita Launoi, te Antæo non diſſimilem maximè luctandi arte, præcluſo ad

matrem, seu Academiam Parisiensem perfugio; vnde paulùm recreatus semper pugnam instauras, spero te tandem cessurum, & superatum iri.

Credisne Academiam toto orbe celeberrimam cùm fidei zelo, tùm rerum omnium scientiâ, vt dubium faciat vtra harum virtutum vtram vincat, tuis opinationibus, tuisque censuris iniquissimis assensuram, & tui gratiâ inter Curiæ Romanæ palpatores, tecum reposituram, Prosperum, quod solam inquassabiliter Romanam Ecclesiam regnare, & regnaturam pronuntiarit, his elegantissimis versibus, quos tuorum librorum spongiam dixerim, quia iis in totum delendis prorsus sufficiant.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet.

Aut Prosperum necesse est palpatorum, aut te omnium sedis Romanæ detractorum iniquissimum esse: Vtriusque causam iudicet æquus Lector, quis duorum sit ab hac notâ liberandus; cum vterque, nequeat à sua simul eximi. An Leonem Magnum cui ab Epistolis fuit Prosper, calumniaberis cum nostri temporis hæreticis rugire magis vt Leonem, quam dictata fidei profundere? Cum ita sermone 3. de assumptione suâ ad Pontificatum habet, *de toto mundo vnus eligitur Petrus, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ partibus, præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* An tibi gratiores futuri sunt vel terribiliores eiusdem Leonis rugitus natali Apostolorum, cum Romam sic alloquitur *per sacram Beati Petri sedem caput orbis effecta latius præsideres Religione diuinâ, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis, ius Imperij tui terrâ marique protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.* Es ne parciturus Gregorio Magno, an inter sui palpatores, quòd Leoni accinat, & tibi canat repositurus? Ita enim ad Mauritium Cæsarem, *cunctis Euangelium scientibus liquet*, (heu! timeo ne te quasi

Euangelij neſcium notet) *quod beatiſſimo & omnium Apoſtolorum principi Petro, dominicâ voce totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Et* infrà *ecce*, inquit, *claues regni cœleſtis accepit, poteſtas ei ligandi atque ſoluendi tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ & principatus confertur.*

Dices fortè, hos omnes Pontifices in ſuâ causâ tibi ſuſpectos. Ita ne magis illos ex ambitione, quam te ex liuore, & præiudicatis opinionibus, proditæ & impugnatæ veritatis argues? Quid de Hieronymo cenſebis, ad Damaſum ſic ſcribente? *Quamuis tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à paſtore præſidium quis peto, ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior. Supra illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio: quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arcâ Noé non fuerit, peribit, regnante diluuio: Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, ſparſit: hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Ita Hieronymus preſbyter Antiochenus ouem ſe agnoſcit Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi. ab illo credenda excipit: *Super iſtam petram*, inquit, *ædificatam Eccleſiam ſcio. Obſecro, vt mihi litteris tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum trium hypoſtaſeon detur authoritas, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iuſſeris.*

Fortè Hieronymus tibi adulationis ſuſpectus eſt, quòd, vt ipſe ſcribit ad Ageruchiam *in Chartis Eccleſiaſticis inuenerit Damaſum Romanæ vrbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentalis Synodicis conſultationibus reſponderit*: An tibi etiam Auguſtinus palpator erit? Quòd ſcribat, *in Romanâ Eccleſiâ ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.* Reliquos Patres iſtis concordes omitto: quia, vel hi, vel nulli ſufficient Launoio peruincendo, niſi malit illos ſedis Apoſtolicæ palpatores, quàm ſe detractorem reputare.

Petro eiuſque ſucceſſoribus promiſſam & collatam victoriam aduerſus inferi portas, & ſacri Imperij perennitatem, pro meo modulo huius Apologiæ primâ parte proſecutus ſum, velut præcipuum Chriſtianiſmi monumentum, & perpetuæ atque incorruptæ fidei indubi-

tatum pignus. Et eiusdem mecum sensus fuit Thomas Morus nobilissimus Angliæ Cancellarius, & Martyr, diù Henrici VIII. obluctatus impietati, quâ se Anglicanæ Ecclesiæ, semoto Romano Pontifice suffecit, testatusque est scripturâ, & traditione diligentissimè consultâ, nihil reperisse certius primatu sedis Romanæ iure diuino constituto, cuius causâ vsque ad sanguinem gloriosissimè decertauit. Quid si ad arbitrium Launoij illud supremæ potestatis culmen, præruptum sit, ad casum & ad errorem; nonne actum videtur de Religione Christianâ, semoto eius, quod suis ipse Christus manibus posuit, inconcusso fundamento? Si ista labefactet Launoius, nonnè licuit gemebundum, & meis aliorumque malis indolentem, mussitare; eos qui hæc commouent, totius Religionis ruinam imprudentissimè moliri? Vt accusandus fuerim, *quasi non tam calumniam, quàm portentum calumniæ, aut potius insaniæ protulerim, & mecum, quasi cum phanatico, flagellis, & vinculis agendum, & quasi fratrem inclementioris vultus, styli, & manus confringendum.* Atque vt hæc atrocia excusset quæstionem iuris, à me institutam in quæstionem facti mutat.

Non disputo, an hæc sint verba Cyrilli, rem in medio relinquo; sed an illis veritas constet & sua sedi Apostolicæ à Christo promissa perennitas & victoria de portis inferi. Hîc hærendum, Launoi, & standum ac pugnandum; eo quidem ex Christianâ traditione, non omninò mihi incomperta, vt sæpiùs obtrudis, sed exploratâ diligenter, ad meam salutem & fidem, & eorum qui suæ me adjutores adhibent; comperi, nihil certius eâ Christi certorum, & probabilium Cyrilli verborum interpretatione. Atque hic ne te meritâ laude fraudem, Launoi, videris Martio soli non dissimilem sortitus vim, ciendis dubitationibus idoneam; magisquam dissoluendis. More turbinis omnia concutis, doces nos disputare, non viuere, dubitare, non credere; & ideo præte fers, magis te de fundamentis religionis Blondello, & Mornæo quam Bernardo, D. Th. & Perronio assentiri: licet magna amicorum turbâ glorieris, & aliqui possint tuis commentis applaudere, nullus tamen audet suâ manu tuos libros confirmare; ne videatur hanc dubitandi & conuitiandi licentiam boni consulere.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [442] - 422
PUBLIC DOMAIN

Hinc agnoscet Christianus Lector, cui propria salus, & fides maximè curæ est; his Launoij disceptationibus in apertum discrimen euocanda, cuinam nostrûm sit magis fides habenda: ille quidem, eadem epistola putat, octo sibi extruxisse præsidia, contra meatum calumniarum portenta, & ait: *me quæstionem iuris instituisse*, quo virulentiùs in se grassarer, quasi explicato primimatui sedis Apostolicæ Christi promissis & verbis, Patrum testimoniis, & ipso euentu confirmato aduersentur, quæ ipse exstruit præsidia, plane lutea, quasi veritas veritati repugnet, & hæc explicatissima, traditioni Ecclesiæ iuribus, Ecclesiæ Gallicanæ, & Academiæ Parisiensis obluctetur dogmatibus. Refert eodem capite Innocentij VIII. luculentam ad Parisienses Theologos Epistolam, qua illis gratulatur deuotionem in ipsum, sanctam Romanam Ecclesiam, & fidem Catholicam, adhibito omni studio pro eiusdem fidei deffensione, & hæresum extirpatione. Sed non puto huiusmodi Epistolis Innocentium dignaturum esse Launoiũ, cum eius libri Romæ censuris configantur, hic apud nos edantur tacitò impressionis loco, nullo Doctorum muniti sigillo; id est veluti merces reprobæ distrahantur.

Sed, ne conqueratur me impetere quæ objicit præsidia numero octo, eo capite, & plura, sequenti, ab Adriani, à Caietani testimoniis, à Liberio & Honorio Pontificibus Romanis hæresis damnatis decreto quatuor Synodorum: fateor nonnullos Theologorum, ita primatum sedis Apostolicæ defendere, & causam summi Pontificis agere; vt soli obreptioni, quoad quæstiones facti, multis prauis affectibus obnoxium esse velint; ab hæresi verò, etiam qua priuatum hominem omninò eximant, & casus Liberij, Honorij, aliorumque ad ignauiam, & vitia conuersationis, non erroris referant: Multos habet hæc opinio deffensores; probabilior tamen, aut certè expeditior, magisque tempori & loco conueniens, errori subjicit, qua priuatum, sed Deum suæ pollicitationis memorem, suæque Ecclesiæ sollicitum cauisse hactenus, & in æternum curaturum, in se recepisse; idque non leuibus coniecturis, sed certis etiam experimentis esse notissimum, ne quid ex his priuatis erroribus mali, & noxæ, Ecclesiæ fides caperet.

Neq; enim frustra concessum fuisse, monui alio loco, diuinâ liberalitate Petro præ cæteris Apostolis, & diuis omnibus, non solùm contactu, & verbo, sed sola vmbra ægros curasse & alia id genus miracula edidisse; vt esset vaticinio & argumento, quamuis à moribus & sanctitate Petri longissimè abessent eius successores; & vix illius vmbram referrent; facturos tamen miracula, & numquam ab eius fide & authoritate casuros, vel certè numquam ex suis priuatis erroribus commissas sibi oues in errorem suis decretis abrepturos. Et hoc vocant definitionem ex cathedrâ: quæcumque enim Launoius aliique sacræ sedis detractores obiectant, pertinent vel ad prauos affectus, seruatâ semper fide, vel ad priuatos errores, qui numquam in decreta Pontificia proruperint, & singularis numinis pronidentia non conficta vt obiicit Launoius, sed ex Verbis Christi relatis deprompta numquã euaserint, aut sint prolapsuri in casus aliarũ Sedium Patriarchalium, quibus manifestâ hæresi, è cathedris ortodoxis, in cathedras pestilentiæ mutatæ sunt. Quid sic explicata, sic munita authoritas, & perennitas Sedis Romanæ habet aduersum traditioni, iuribus Ecclesiæ, sensis Sorbonæ, Adriano VI. Caietani studio in Pontificem electo vel Honorio, & Liberio à Synodis quatuor alicuius erroris notatis? quasi non potuerit Synodis obrepere aliquis error quoad res facti, aut si velis, priuatus aliquis his Pontificibus, vti Ioanni XXII. quem tamen cohibuit Deus, ne communi fidei noceret, vel authoritate Pontificiâ muniretur.

Hæc eadem duabus Epistolis cap. 12. & 13. verbosissime & acerbissime exaggerata, iterum congeruntur in caput postremum eiusdem Epistolæ, quo distinctio Pontificum quâ priuati sunt homines, & quâ publicam personam gerunt, traducitur potiùs cauillis, quàm validis argumentis refellatur: cum tamen omnium sapientum consensu inducta sit & muniatur. Consulat Launoius primum librum officiorum Ciceronis, cum de temperantiâ disputat, & ab illo intelliget, *Nos duabus quasi à naturâ indutos esse personis, quarum vna communis est, ex eo, quod omnes participes sumus rationis præstantiaque eius, qua antecellimus bestiis, à qua omne honestum decorumque traditur, & ex qua ratio inueniendi officij*

exquiretur : altera autem, qua propria singulis est attributa, ab indole à variis, tum animi, tum corporis dotibus, quam late & elegantissime prosequitur duarum personarum distinctionem toto eo libro.

Nec mihi vitio vertat Launoius, plura ex officiis in meam ethicam deriuata, quasi inde ethnicam fecerim, & desierit esse Christiana; nisi id conuitium velit ingerere Diuo Ambrosio, qui suos de officiis libros, quibus Christiani nomen non negauit, ad Tullianorum formam scripsit. Possem pluribus & prope infinitis hanc distinctionem illustrare, maxime ex Aristotele, nisi huius præstantissimi Philosophi studium maximo Launoius mihi vitio verteret: ab illo enim habemus ethicem ad vitam priuatam morum, & politica ad publicam administrationem principum instituta; nec solum scriptis, sed etiam egregio apophtegmate, hanc distinctionem vsurpauit: conquerenti enim amico quod nequissimo nebuloni eleemosinam erogasset, respondit se beneficij non pœnitere, quod ἄνθρωπον non τρόπον id est humanitatem & naturam communem non priuatos mores hominis inspexisset: Illius forte documento Alexander Ephestionis & Clyti in se parem ardorem hoc discrimine seiungebat, quod Ephestion se quasi priuatum & Philippi filium deperiret; Clytus se coleret, quasi Macedonum Regem. Hoc sapientissimi Regis iudicium propius ad rem nostram sensim nos deduxit.

Idem enim discriminis statuit sanctus Doctor Petrum inter & Ioannem discipulorum amantissimos; hoc tamen differre ait quod Petrus Christum veluti Clytus Alexandrum quasi Ecclesiæ Principem, in suis ouibus & agnis dilexerit, Ioannes Christo adhæserit vt Filio Virginis: & ideo huius discriminis videtur Christus rationem habuisse commissa Petro suâ Ecclesiâ, & Ioanni matre commendatâ: & ne Launoius conqueratur extra scripturam ista fingi; meminerit Caiphæ exempli ex cuius ore dictante Spiritu sancto hoc æternæ sapientiæ quo tota nostra salus continetur, prodiuit oraculum; *expedit vt vnus moriatur homo & non tota gens pereat*, contestante Euangelista, hoc illi præter mentem excidisse, Deo suggerente, *cum esset Pontifex anni illius*.

Non puto negaturum Launoium cathedram Christi à Summis Pontificibus occupatam Cathedræ Moysi cui

Caiphas insidebat longissimè præstare. Demus, Ioannem duodecimum, Benedictum nonum, quos veluti sceleſtissimos Pontificum in medium profert Caiphæ improbitatem exæquasse, aut superasse; vt si huic cathedram Moysi occupanti, quod esset Pontifex, cœli oracula exciderint, credat posse & debere exspectari à paris improbitatis Pontificibus sanctiorem cathedram insidentibus, vti ab vmbra Petri diximus patranda semper fore miracula,

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Refelluntur capita 14. & 15.

TOto capite decimo-quarto & decimo-quinto, vitilitigat Launoius contra Caietanum, Almaini & Academiæ Parisiensis prætextâ causâ, quòd illi non admodùm conueniat cum Caietano de primatu Petri. Sed quid mali habet hæc dissentio opinionum, vtrinque summâ modestiâ & eruditione propugnatarum, saluâ etiam mutuâ reuerentiâ & charitate? Vnus est Launoius ardentioris, & ad rixas pronioris ingenij, qui alios seipso metitus, putat nullam esse posse iudiciorum, & mentis dissensionem, saluâ voluntatis concordiâ: & ideo disputationes vertere solet in iurgiorum, & odiorum causas: atque animo, naturâ, & studio ita comparato, stilum acuit, in duo præstantissima Ecclesiæ lumina, in Caietanum, & Bellarminum, qui ob egregias dotes venerationi sunt, & amori, nedũ Catholicis, sed etiam hæreticis præter Launoium, qui disputationem intra modestiæ & charitatis fines contentam, ex ferociâ animi innatâ putat esse veritatis proditionem; & ideo omnibus hæreticis parcit; vt duos sapientissimos & sanctissimos viros, quasi Religionis hostes districto gladio insequatur, & cõfodiat.

Furioso non sunt arma permittenda: & si æquitate nequeat à tantis viris insectandis cohiberi Launoius, par esset authoritatem publicam adhiberi. Quid enim si Launoiani libri Alpes & Pyreneos montes transeant; quod vix crediderim, non his viris supra omnem inuidiam & laudem positis, sed sibi æternum & aliquod etiam

Galliæ noſtræ dedecus aſciſcerent, quod vnus qui ſe inter primos Galliæ Theologos effert, in hæreticos humaniſſimus ſæuiat in Eccleſiæ deffenſores? Sed ad rem; patior laudari Almainum; cur Caietanus traducitur, quaſi curiæ adulatricis Doctor? Ex Caietano conueniebat Launoium modeſtiam doceri: eius exemplum protuli, etiam conuitiantibus, ne quidem, vel minimum repoſuiſſe verbum, quod virum ſanctum non deceret & Diui Thomæ diſcipulum, qui Atheos humaniùs habet, quàm Launoius Eccleſiæ purpuratos principes. Monendus eſt vno verbo, ne opinionum diſſentiones in diſſidia voluntatum mutet. Caietanus non omninò conſentit Gerſonio & Almaino. Quid tum? Ita ab omni conuitio abſtinet, vt etiam eorum parcat nominibus, ſane ſi eruditionem & acumen Caietani tantamque ingenij præſtantiam imitatione conſequi non poteras, vt Tullii verbis vtar, debebas ſaltem voluntate, id eſt, grauitate & modeſtiâ, proxime accedere. Sed tu multò longiùs ab hac poſtremà quàm à priore dote receſſiſti.

Mirum eſt, Launoi, tutemet capite 13. Notas Adrianum VI. abſentem in Summum Ponticem electum vnius Cardinalis ſancti Sixti Caietani operâ, neque ab eo conſilio deterreri potuerit, quamuis de Summi Pontificis fide & authoritate à ſe diſſentientem Adrianum libris quos citas iam tum editis comperiſſet. Cur non obſeruaſti & imitatus es eius modeſtiam & æquitatem, qui hominem alias ſuprema ſede dignum non dubitauit eò totis viribus promouere quamuis à ſuo ſenſu diſcordem? Vt hinc intelligas diſſentionem opinionum etiam de hac quam agitas controuerſia, ſtare cum tanta charitate & reuerentia, quantam Caietanus Adriano præſtitit, omnium purpuratorum patrum ſuffragiis ſola eius commendatione in illum præter omnium expectationem reuocatis. Si aliud nihil, Launoi, de Sede Apoſtolica ſentires quam quod ſcripſit Adrianus & aliis dotibus animi cum illo paria faceres, polliceti poſſum Caietanum ſi ſuperſtes eſſet, in te creando Pontifice quam Adriano nauauit, eandem operam adhibiturum; quia ſola merita attenderet, non perſonam aut gentem, nec etiam priuatas opiniones moraretur, dummodò in apertam hæreſim non prorumperent. Hoc ſummæ æquita-

tis Caietani exemplum tibi non omnino ignotum; quandoquidem inde tuam argumentationem munis, debuerat te ferociam dedocuisse & in tua sensa nimium affectum moderari cum aliorum tolerantia. Sed surdis cano. Verum si à te tantam humanitatem frustra sperem, conueniebat saltem abstinere à continuâ tanti viri insectatione, adeoque in dissentientes à se æqui & humani, vt Adrianum cum quo opinionibus non omnino conueniebat, ad Pontificiam dignitatem promoueret; nec tibi negaturus esset si cætera suppeterent tanto oneri sustinendo præsidia: quamuis tu maxima dignitatis parte detracta, pondus feceris longè leuius. Et hoc forte nomine vbique prædicas te de Summis Pontificibus & Sede Apostolica optimè meritum esse, tibique ea de causa gratias maximas agendas & referendas esse.

Obiicis Caietano aliquot loca Patrum relata, non bonâ fide; vel quæ exemplaribus correctioribus minime consentiant; sed adeo leuia sunt quæ carpis, vt hac testimoniorum sugillatione tuam tantum morositatem velis omnibus esse perspectam. Nec longiore ad quam me prouocas deffensione opus habet Caietanus; vt eius fidem liberem, quia in nulla re graui monstras desiderari posse: Sed quod memini me apud Caluinum legisse, videris imitari, *eorum morem qui in præiudicatam opinionem, tanto impetu feruntur, vt cum videant nihil sibi esse stabile quo innitantur, non syllabarum de cipula, sed ipsos syllabarum apices in suum commodum rapiunt*, aut in aliorum censuram. Rogo lectorem decurrat hæc plagia Caietano obiecta, & præter obseruatam morositatem Launoii, comperiet nihil à Caietano sanctis Patribus affingi, quod alii, vel ipsimet suis libris non scripserint.

Grauior videtur & operosior disputatio capitis 15. de Summis Pontificibus Canonibus, nedum vt legi dirigenti, quod concedit Caietanus, sed etiam vt cogenti ad pœnam, quod negat, obnoxiis: possum ab hac disputatione abstinere, quia ad rem nostram non pertinet: perinde enim fuerit, seu Caietano, seu Launoio assenseris. Duo tantum aut tria obseruabo; primum, ex inscitiâ Scholasticæ, quam videri vult Launoius aspernari, potiùs quàm nescire, sua argumentatione pecca-

re; putat enim, legem diuidi, in dirigentem, & cogentem; quasi genus in duas species, cum tamen accedat ad illam, quam vocant diuisionem subiecti in accidentia, & eiusdem legis, duo quasi inadæquata munera significet. Legis enim est, lucere & impellere, & ideo Ægyptii legem & prouidentiam æternam delineabant sceptro oculato; quia vim lucendi & imperandi habet: Et cum sapientia increata nomen legis obtineat, non caret vi dirigendi Deum, sua enim sapientia est sibi lex.

Hæc dixerim, vt refellam, quod in me notat Launoius, *me inueniliter exultare, his verbis diuini & Ecclesiastici iuris leges directione in authores, coactione in subditos agere.* Quod putat dictum in Dei & Christi dedecus: *Quare*, inquit, *Baronis propositionem hanc non noto; quia grauiter notandam se omnibus exhibet: calefacto cerebro, & inconsideratè scribit, vt veritatem occultet, non vt patefaciat, ne patefacta suis, & curiæ cui seruit, placitis repugnet.* Nonne miraris Lector, hanc Thrasonicam disputandi rationem! Sat fuerit calumniam ex inscitiâ natam aperuisse. Certum est Deum ex suâ sapientiâ, sibi legem esse quo ad vim dirigendi: sed de lege multa disputata sunt accuratè, secunda parte nostræ ethices, quæ huius nostræ responsionis breuitatem compensare possint.

Vt vno verbo congesta in Caietanum argumenta dispellam; certum est leges Canonicas eodem loco in Ecclesiâ, quo ciuiles in Republicâ & regno reponi: eodem etiam gradu Summos Pontifices Ecclesiæ, quo Reges suis regnis præesse. Si ita sit, velim respondeat Launoius; an Reges legibus ciuilibus subiiciat, quoad vtramque vim dirigendi & pœnis cogendi; si vix ausit hoc tentare, sed supremos principes obnoxios legum directioni, à coactione, & pœnis eximat, hoc exemplo agnoscet non adeo absurdam esse Caietani sententiam; quòd Summis Pontificibus indulgeat, immunitatem, quam non auderet Regibus negare, nisi vellet odio Summorum Pontificum Reges in Ordinem cogere.

Hîc planè vsurpanda mihi sunt quæ tibi assumpsisti verba Hieronymi, *quocumque ieris, aut pariter in luto harebimus, aut pariter expediemur*; & quod in Caietanum & Bellarminum, Summos Pontifices ab Ecclesiastici

tantum aut positiui iuris legum exactione & pœnis eximentes, telum vibras velut amento Regum exemplis in te intorquebo; & quæram an hæc, quam vrges membri vniuersalis Ecclesiæ, & partis toto minoris ratio, de corpore politico obtineat; si ita velis, ipse videris; an hoc impune sis laturus; si neges, causam discriminis à te efflagitabo: nam Caietani & Bellarmini argumentum præcipuum, duobus constat principiis quæ à te mallem rationum vi, quàm ferociâ verborum & censurarum labefactari: id enim Gersoni & Almaino permittunt, politicæ potestatis originem repetendam esse à comitiis generalibus, vnde Monarchica, aut Aristocratica, vel Democratica, aut cuiusvis formæ placuerit, gubernandi ratio existat, atque populorum capita, vel ciuilibus legibus subiiciantur, vel immunitate donentur.

His, de potestate ciuili pronunciatis, Almaino consentiunt nominati Theologi: sed hæc ad potestatem Ecclesiasticam trahenti totis viribus obsistunt. Tuum est, Launoi, qui omnia certis Theologiæ regulis metiris, demonstrationibus Euangelicis euertere, discrimina sacram inter & politicam potestatem, quæ subiicio, non vt propugnem, quia mallem hac re te victorem Caietani, quàm ab illo victum. Sed vt designem scopum, in quem collimandæ sint tuæ demonstrationes Euangelicæ: differre contendunt hi Theologi potestatem sacram à politica, primùm origine, deinde ex illâ deriuatione; fontem enim & plenitudinem totius sacræ potestatis, non à consensu hominum, non ab Ecclesiæ vllâ sibi congenitâ potestate; sed à Christo, pretio sanguinis, sibi populum & Ecclesiam emercante repetunt. Sed grauior est, de huius à Christo potestatis deriuatione, an primum in Ecclesiam, deinde in Petrum, & alios Apostolos ac Pastores, vel in Petrum defluxerit plenitudo, in alios, deriuanda, & partienda. Certum est sacræ potestatis amplitudinem his tribus contineri, nomine fundamenti, cui adstruatur Ecclesia, aduersus portas inferi semper inualitura, clauium permissâ administratione, & ouium vniuersim curâ concreditâ. Tria vero hæc, primum Petro promissa, & subinde collata in totius Ecclesiæ bonum redundatura; non tamen ab illâ depromenda,

putans

putant se hi Doctores euincere expressis Christi ad Petrum verbis, quorum obuia interpretatio, primo aspectus illis videtur oculos Lectoris in Petro defigere, vt vix aliò auerti possint. Quid enim inquiunt, sibi voluit Christus, eâ nedum accuratâ & sollicitâ, sed penè etiam anxiâ Petri designatione, tum Patris, tum proprio, tum nouo nomine, toties expresso; vt videatur Christus, in eo designando vix sibi potuisse satisfacere, & voluisse occupare quascumque interpretationes aliò, etiam in se ipsum detortas? Vnde inferunt, à Christo totius sacræ potestatis fonte inexhausto deriuatã, ad Ecclesiæ bonam portionem in Petrum, quem non potuit pluribus notis, aut expressiùs significare. Hoc cum argumento tibi, Launoi, eluctandum est, & vt tuis censuris, tuisque verbis æquitas constet, ita deiiciendum, vt omni nedum firmitate, sed etiam probabilitate detractâ, inuictis demonstrationibus euincas has Christi promissiones à Petro aliò reuocandas. Dum hoc telum trisulcum perfregeris, id à te obtinere vellem, vt æquior esses in eos qui tuis dictis & assertis nequeunt veluti indubitatis fidei dogmatibus mentem reluctantem subiicere: nisi enim id obsequij genus à nobis, pro tuo summo iure obtendas præstandum, vt mentem nostram in tuæ Theologiæ reuerentiam captiuemus; non potes tantâ verborum ferociâ, tantâ censurarum acerbitate in Caietanum, in Bellarminum agere, aut in me, quòd vtrumque tanquam fidei Catholicæ inuictum pugilem laudauerim.

At inquies, Summum Pontificem eximunt Ecclesiasticis legibus; nec eâ immunitate contenti, antetponunt Conciliis Generalibus, eaque prærogatiuâ aduersantur dogmatibus in Gallia receptis, imminent potestati Regiæ, malè consulunt illorum securitati, vt non potuerint à me laudari, quin in patrias leges grauissimè peccauerim; Launoij ingenium acre & igneum, nostro obtuso aut torpenti dissimilius est, quàm vt possimus vnâ disputandi ratione conuenire: ille turbinis instar, omnia concutit, omnia conuoluit; mihi si per ingenii tarditatem liceret, censerem præstare omnia potiùs accuratè distinguere, quàm permiscere, & instar fulminis obstetricante Dei manu deducti, subtilissimè etiam

coniunctissima secernere. Paucis adnotabo quæ Launoius, ad ciendas tempestates, & alenda dissidia confundit, ut nobis creet inuidiam, auctæ potestatis Pontificiæ supra modum ab ipsismet Pontificibus sibi præscriptum: testimonia congerit nullo delectu quæ non solùm ad leges meri iuris positiui, & Ecclesiastici pertineant, sed etiam latissimè protendantur, ad fidei dicta, ad legē diuinam, naturæ & gratiæ: idque apertissimè demonstro.

Nonne iis relatis canonibus actum est, in Ioannem duodecimum, & Benedictum nonum, Pontifices, vt ipse loquitur, post homines natos sceleratissimos? an putat conculcatis tantum legibus Ecclesiasticis, se se continuisse intra diuinarum obseruantiam, vel his eodem impetu, quo Ecclesiasticas dejecerant, violatis, harum maximè pœnas abdicatione tantæ dignitatis meruisse, & æquissimo totius Ecclesiæ iudicio fuisse passos? Velim respondeat an horum Pontificum improbitas, & pœna legum Ecclesiasticarum præuaricatione, & vltione metienda sit, an etiam, ad naturæ, & gratiæ legum contemptum, eorum impietas proruperit, ex vtraque punienda: si hoc postremum concedat nobis, ad quid exemplum Ioannis duodecimi quatuor Dominicanorum testimoniis confirmatum, capite decimo quinto, & iisdem ferè verbis, postremo capite, veluti crambe bis cocta obtrusum? Si autem alterum asserat, incredibile paradoxum venditabit, posse quem violatis oppressisque legibus iuris humani & Ecclesiastici innocentiam seruare, & vtriusque legis, tum naturæ, tum gratiæ, partes implere. Nisi hoc postremum contendat, nihil contra nos efficiet, his reproborum Pontificum exemplis, & iudiciis in illos latis.

PARAGRAPHVS SEXTVS.

Expenduntur Caput 17. *&* 18.

SEd vt propius ad præcipuam accusationem, & inuidiam mihi conflatam, ob laudatum Bellarminum accedam: ego planè, sic studio, & naturâ comparatus sum, vt ex voto pacis discordes, qua licet Theologorum

opiniones conciliem, vel caueam, ne in vllum erroris, aut schismatis periculum prorumpant. Mentem meam apertiùs exemplo, quàm longa oratione aperiam: in ea, Aristotelem inter & Hypocratem graui dissentione de vitæ, aut vitalium operationum origine, in cerebrum, à principe medicorum, in cor à Philosophorum principe relatâ, ego semotis dubiis, id certum eligo, vitæ principium constare non posse, si cor à cerebro seiungatur. Cuinam harum partium primas debeamus; otiosi, aut curiosi disputent: nos certa quærimus, & tuta.

Ita planè, de hac grauissima controuersia, quo loco resideat, aut à quo post Christum repetenda sit, suprema regendæ Ecclesiæ, & res Fidei certò definiendi potestas, quibusdam Summo Pontifici, id iuris vindicantibus, quia illius loco est cui tria quibus totius Ecclesiæ administratio continetur, conceptis verbis, cum designatione anxiâ promissa, & collata sunt, eóque sensu addicta, quo facultas videndi totius corporis oculo asseritur: aliis contra obnitentibus verba Christi, licet multis notis illigata Petro, esse laxanda, & protendenda in vniuersam Ecclesiam, saltem in Conciliis congregatam, & in his residere, ac in alios deriuari, huius potestatis plenitudinem. Quid nos ad ista? votis potius agimus, quam censuris: Concordes vellemus, & cum id vix sperari possit, saluâ voluntatum concordiâ æquiores in se optamus esse, quam Launoium in singularum partium Theologos, etsi fieri posset tentare rationem concordiæ ea lege, vt qui eam labefactaret, omnium esset iudicio intestabilis: hoc vastiori Launoiano animi sinu omnes complector; omnes veneror; nullum hæresis damno, aut per duellionis in leges patrias. Quamuis daremus Launoio aduersæ partis Theologos, se suosque interdum acerbiùs habuisse, propterea ne putat ex illâ præiudicatâ opinione grauari posse parricidiis ab insano perinde ac improbo; ac sacrilego meditatis & peractis, quæ nullo Authore sola cæcitas & rabies subiecerit?

Quis ferat ista imputari Bellarmino, quo nec doctiorẽ, nec sanctiorẽ nec ab his sceleribus abhorrentem magis, nostrum sæculum tulit, aut futura visura sunt? Illud disputandi genus & adeo horrenda alienis opinionibus im-

portandi mala, adeo ab omni humanitate alienum est; vt quicumque hæc audituri sunt, authorem huiusmodi calumniarum vix hominum numero sint habituri.

Non dubito quin ægerrimè ferat Launoius suas artes & fraudes à me occupatas; nam præscius, quas esset importaturus calumnias, quasi aliquot extraneorum laude videar legibus & dogmatibus patriis aduersas eorum opiniones comprobasse: Extruxi mihi præsidia, cum ab antiquis, tum à recentibus Galliæ scriptoribus florentissimis, ab Auito, Bernardo, Perronio, Coeffeteo; quibus addere poteram Duuallium & Ragotium à nemine quod sciam hactenus improbatum, quem etiam ore sereniſſimi & sanctæ ac felicis memoriæ Principis Armandi Borbonij laudatum memini ob summam hac in re cautelam & prudentiam, quibus omnibus à Launoio, vt arbitror, de subiectis quæstionibus alienis, profiteor me assentiri. Et si Launoius ex animo agnoscat se cum illis conuenire, Palinodiam ipse canam, & fatebor me temerè ex incomperta eius mente plura in ipsum scripsisse. Sed vix crediderim ea lege concordiam initurum, nec his Gallicanæ Ecclesiæ heroïbus accessurum, quia vbique contentiosum funem trahit; nec solum de Primatu Petri, sed etiam de controuersiis Augustini cum Pelagianis, de confessionis sacramento singulares nec admodum tutas opiniones sectatur; nec desinit dissentientes lacessere, iisque affectatis opinionibus gloriari se de tota Ecclesia benemeritum, sibique præ cæteris Theologi titulum deberi.

Quamuis immeritò daret pœnas si cum Hieronymo vapularet hoc nomine, quod sit Ciceronianus; re tamen vna Ciceronem facile vincit, nempe illa quam maxime capite 12. & 13. adhibet omnia ad suarum opinionum patrocinium aut gloriam referendi arte. Vti enim ille oratorum Princeps vix vllam causam agit etiam priuatam, & quamlibet minimam, quin persuasum velit iudicibus Reipublicæ saluti indiuiduam esse, eaque vna imperij gloriam contineri; ita Launoius Primatum Petro eiusque successoribus quasi titulum sine re ab ipso assertum nisi velut dogma fidei excipiamus & promissam ipsis summam authoritatem & perennitatem interprete Launoio figuris eleuemus, vt solent eterodoxi Eucha-

ristiæ institutionis verba interpolare, omnia susdeque euersa contendit & me quasi grassatorem in Christum, in Ecclesiam, in Patriam, omnia iura diuina & humana pessumdantem inclamat. Si eo genere disputandi oratoris aut Sophistæ laudem ambiat, maximam post hominum memoriam consecutum non diffitebor, si inconditis vociferationibus contineatur. At grauis & sinceri Theologi aut potius vnici, depulso D. Thoma nedum ab hoc supremo Theologi, sed etiã infimo gradu,& cũ scriptis vix Christiani nomine digno, quod videtur obtendere, nescio an etiam vllus eius amicorum & palpatorum sit illi assensurus. Alienissima est à rebus Theologicis hæc declamandi & conuitiandi rario, nec congerenda aceruatim sunt testimonia Ecclesiarum, regnorum aut priuatorum hominum; sed sigillatim & accurate essent perpendenda. Et primum aperiendum esset quid ipse sentias, Launoi, quo velis iure, cuius te vindicem prædicas, Primatum stare, quò pertineat? Deinde inquirendum an ab eorum quos in testes & patronos asciscis, sensu propius aut longius absis quam ij quos lacessis. Sed ab ea methodo digna Theologo vbique & hic maxime recessisti; quia probe noueras, si hæc tria perspecta essent, quid ipse, quid alij, tum antiqui, tum recentes, quid etiam à te lacessiti aduersarij sentiant, quas in nos congeris censuras, in tuum caput recisuras. Ideo ad rem tuam maximè putasti pertinere tumultuarium illud omnia conuoluendo disputandi genus; occultato tuo sensu & aduersariorum falsato aut in maius aucto, ac testium & patronorum quos aduocas interpolato.

Illud tantum te monuerim, dum me velut grassatorem in res humanas & sacras inducis, ne ab ipso hominum genere propius absis. Grassatorum hæc vltima ratio & summa lex est, licere quidquid libet, sibi deberi omnia, & subinde posse innoxie rapere. Vnde si quid reliqui aliis faciant, & ablatis bonis illatisque vulneribus, miseram & inopem vitam relinquant, beneficiorum loco reponunt, quibus sibi mortales obnoxios potius quam infensos demereantur, non offendant. Ad illorum videris mihi opinionem quasi ad certam regulam rationes tuas, Launoi, componere. Et ne aliunde aut longius quam ex subiecta controuersia exemplum repetam aut

argumentum, Summos Pontifices & Diuum Thomam à te ad viatoris Hieracontini in Latronum manus prolapsi calamitatem redegisti, cum Pontificum authoritatem sublato omnis iuris diuini discrimine Curatis & sacerdotibus quibusque exæques, & Diuo Thomæ in summa id est operum præstantissimo, nihil relinquas Christiani. Eò tamen rerum & miseriarum à te præcipites datos gloriaris demeruisse immortali beneficio, & tibi se suaque omnia debere. Quid potest sæuitia grassatorum crudelius & iniquius excogitare aut exigere ab hominibus, quos tantum non enecarunt, quam vt de se optime meritos & quidquid supereſt illis boni prædicent se suis interfectoribus debere? Non est æquius & humanius quod à summis Pontificibus, à D Thoma eiusque discipulis velut tributum exigis, quasi illorum dignitati, huius, doctrinæ melius consulueris quam fuerit hactenus factum ab vllo Theologorum aut mortalium. Sed o te hominum fœliciſſimum, qui ista tibi persuadere potuisti & aliis velis! Quo verò hæc pertineant malim Lector apud se perpendat quam à me audiat: quia non possem rei atrocitatem paribus verbis significare, quin Launoius exclamaret me calumniarum portenta sibi inferre. Vtinam mendacii possit me conuincere; æquo animo hanc notam ferrem, dum ipse elueret deleti Primatus & Doctrinæ Diui Thomæ ludibrio habitæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Alij duo Launoij lapsus cum depulsione nonnullorum quæ nobis obiiciuntur.

NE videar oblitus illius ex Euangelio moniti, *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem iaciat*, nec conueniat reum criminari alios, & interdum maioribus grauatum & implicitum, leuiora obiicere, visum est paucis præcipuas Launoij in me expostulationes expendere; vt si quid ipse iuris habeat, vel in me aut alium quemlibet, vltrò agnoscamus: nec pœnam deprecer, aut veniam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [456] - 436
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Primvs.

Expenduntur quæ objicit Launoius *me contra Grammaticæ regulas, & altiorum scientiarum, aut contra æquitatem peccasse.*

PRo summo, in omnes, tùm sacras, tùm humanas res principatus litterarij assùm pro iure, & quasi pro tribunali sedens Launoius non solùm me omnium artium, & scientiarum rudem, quod æquo animo ferrem, sed sacrilegii in leges Diuinas, & perduellionis, in patrias reum pronunciat, & ne vlla sit spes veniæ, aut commiserationis, perinde leuia, ac grauia, & atrocia vrget: non condonat: vllius etiam vel minimi verbi vsum, si aliquantulum à receptis grammaticæ regulis videatur recedere. Quid de rebus facturum putas, adeò etiam de verbis sollicitum & durum? Ego quidem in scribendo tyro, cum vix à duobus annis mearum nugarum aliquid sim ausus edere; cum Launoius videatur inter nostri sæculi scriptores Decanus, cur non æquè ferrem me nouitium à veterano castigari?

Eorum, quæ ad grammaticæ subsellium pertinent; quinque visa sunt illi ferulâ, & reprehensione digna; primo Cacoethes per calographiam scriptus vnius litteræ transpositione; deinde traducendi verbum inter accusandi verba repositum, eorum regimine casus donatum. Possem hæc duo facile excusare, & primum reponere inter errata ex prælo; maxime, cum ipse rerum omnium fere rudis, sed præ cæteris exarandarum litterarum ignarus plura dictem quam scribam, potuisse illud mendum Amanuensi excidere, quod in prælum obrepserit. Sed quid opus pluribus? Si altera editio instituatur, promitto me correcturum, & hoc Launoij monito profuturum morbus, hoc vocabulo significatus forte illi congenitus notiorem fecit vocem, sicut & traducendi verbum, ex longo enim vsu huius verbi notius illi est, quàm mihi regimen & significatum.

Sed quod tertio loco ex mea oratione arguit; non ita

forte ſequacem, & obtemperantem habebit: non ferunt vacuæ eius aures, à me dictum, *peccare contra legitimi Theologi Officium: quid ſit legitimum Theologi Officium capio*, inquit, *quid vero ſit legitimus Theologus non capio, ſed Baro, qui, ſublimioris eſt ingenij, bene capit, quod mihi hac in re ſufficit.* Si cum proteruo, aut procaci res eſſet Launoio, reponeret legitimum Theologum eum dici, qui ſit illi diſſimillimus; quia licet ſe vnum prædicet, ex veris Theologiæ legibus diſputantem, non facile illi aſſentient, etiam amiciſſimi, qui eius epiſtolis ſuum non audent ſuffragium addere; repoſituri ſine dubio ſi legitimi eſſent Theologi partus, nihil contra illud nomen, vel officium agentis. Cæterùm ego, qui ſum obtuſioris ingenij, vix capere poſſum à Theologo ſeiunctum officium illius, quia eo prætermiſſo, nullum Theologum dixerim. Is igitur apud me legitimi Theologi nomen ſuſtinet, qui ſe ab officio nihil differre putat, eo ſenſu, quo ipſemet Doctor gentium Paulus miniſterium apoſtolatus ſibi indiuiduum, & vix à ſe ipſo diſtinctum patitur, cum ait; *ſe non facere animam ſuam*, id eſt, *vitam precioſiorem ſe*; hoc eſt apoſtolatus miniſterio: quare cum Theologus, nihil putet, aut velit te differre ab officio implendo, ſi illi nomen legitimi concedat, non capio, quâ ratione alteri neget. Sed hæc nimiam morоſitatem reſipiunt.

Quartum carpit videtur magis reprehenſioni opportunum; *verba ſunt*, inquit, *hominis in tranſuerſum acti. Quid enim hoc ſibi vult Chryſoſtomo tribui conſulta ad Bulgaros?* Iam monui interdum laborantes icterio, aut cerebri emoti homines ex morbo, aut vino, quos patiuntur affectus turbidos, iis quos proſpiciunt, affingere. Quod *Conſulta ad Bulgaros* imputet mihi, quaſi homini in tranſuerſum acto, ſine dubio hominis eſt, non certo gradu; ſed ex inſcitia purioris linguæ Latinæ titubantis. Nomina *Conſultoris*, aut *Conſulti*, imperitorum vſu corrupta ſunt; & ab antiquitatis vero ſenſu aliena; nam *Conſultoris* nomine hodie veniunt, qui rogantibus conſilia ſuggerunt; cum ex vera latinitate competat magis conſilium quærentibus; vnde conſulta verba dicuntur reſponſa ea, quæ maturo iudicio & prudenti reponuntur diſpoſita iis, qui conſilio egent; & cùm ad id genus verborum pertinerent reſpon-

ſa Theophilacto, ſeu Authore, ſeu Breuiatore Chryſoſtomi ſcripta ad ſubiectos ſibi Bulgaros, non temerè, nec more *hominis* in tranſuerſum acti, à me dicta ſunt *Conſulta ad Bulgaros.*

Non eſt æquior, aut eruditior poſtrema, quæ ad Grammatices ſubſellium pertinet caſtigatio huius loquendi formulæ, *Launoium Latinam Mineruam non admodum excoluiſſe*; Cenſura Launoij *ſe minimè apud antiquos ſcriptores Mineruam Latinam aut Græcam* legiſſe, argumento eſt, non alienum eſſe à vero, hoc meum de ſe iudicium? Si apud antiquos melioris notæ authores eſſet perinde verſatus, ac me vbique hoſpitem notat, occurriſſet illi apud Martialem.

Si quis Cecropia madidus, latiaque Minerua artibus, & verâ ſimplicitate bonus. Si antequam molitus eſt, hoc ſuum immenſum Epiſtolarum opus, ad quintam iam partem prouectum, neque vt creditur, niſi cum vita aut cupiditate laceſſendi ſummi Pontificis deſiturum; legiſſet Eraſmum, de conſcribendis Epiſtolis, & quem ibi poſt Tullium miratur, & Tullij ſæculo non elinguem futurum pronunciat, politiſſimum Politianum, aliquæ eius Epiſtolarum occurriſſet, quod numquam ait ſe legiſſe, apud antiquorum vllum, *dum gemini ſellis:* (ait ſciptor ille, cui ad venerationem defuit antiquitas non elegentia & meritum) *ſedere volo, vtraque excludor, ſitque demum, vt dicam paucis, vt neque rethor ſim, nec philoſophus: tu ita vtrumque imples, vt vtrum magis, haud ſatis conſtet; qui & Græcam, & noſtram Mineruam ita pulchrè amplexaris, quaſi ciuis vtriuſque lingua, vt quæ inſititia, quæ genuina non facile diſcerni poſſit.*

Vix credo, Launoi, te has Politiani Epiſtolas, olim in Academia Pariſienſi, perinde ac Tullij explicatas commentariis Aſcenſij, & Franciſci Syluij nobilium Grammatices præceptorum, etiam illuſtratas, attigiſſe: quia aliquid inde non ſolum elegantiæ, ſed etiam humanitatis in tuas deriuaſſet. Sed Deum immorralem! Quam immane diſtant! De verborum delectu, abſit vt tibi litem moueam id conqueror, & expoſtulo, mutatas rerum vices, Grammaticum à grauitate & modeſtia Theologi numquam recedere, cum iis, ad quos ſcribit, laudibus & officiis certare, nec pati chartam vllius ne

dicam iniqua, sed etiam acriori reprehensione maculari. At quid de tuis Epistolis dicam, stilo ferreo exaratis, & illius Grammatici ingenio, qui se mundi crepitaculum, ad omnium terrorem aut stuporem venditabat? vtinam scripta Theologorum accederent ad Grammaticorum modestiam, & grauitatem, vt ereptas nobis dotes in illorum libris, & Epistolis necesse sit quærere, quia in nostris, heu sæculi dedecus! desiderantur.

Quando quidem de nominibus & formulis loquendi, quæ ad Grammaticæ subsellium pertinent, hactenus egimus: Ad hunc locum reuoco immutatum à Launoio meũ, vti olim, Ioannis Baptistæ Tiers nomen; istud quidem Tirsum, me vero Baronem placuit appellare. Equidem prior multis argumentis, ex penitiore grammatica repetitis suum nomenclatorem castigat, & euincit maiore ipsius inscitiâ, quam sui injuriâ nomen suum corrupisse.

Quod ad me attinet: non sum adeò in istis versatus, vt litem mouere possim aduersario: vnum dicam me agnominis delectu Annalium Ecclesiasticorum parentem secutum fuisse. Is refert in quibusdam antiquis tabulis, quod extabat maiorum suorum, lectum agnomen *de Barono*, ad purioris Latinitatis regulas reuocatum in Baronium mutasse, quem visum fuit saltem quoad nomen, imitarit, cum sit vtriusque vnum; quod à cæteris eius dotibus immanè distem. Verum Launoio aliter visum, vt nihil mihi, nequidem nomen integrum reliqui faceret. Cur ita? An vetustatis studio, quod Lipsius in Paulo Æmilio à se supra omnium historicorum nostræ ætatis ad antiquorum gloriam prouecto, non excusat affectatum, *in nominibus hominum, locorum, vrbium immutandis, & in veterem formam redigendis: sæpe eruditè, interdum vane*: sed, vt ipse iudicat Lipsius, semper indecore. Quare huius immutationis nominum audaciam non condonaret Launoio Lipsius, etiam ex affectata vetustate; quod eruditionis genus non admodum curat aut excoluit Launoius: id probabilius crediderim, hac audaci mutatione protoparentis rebus nomina imponentis ius sibi arrogasse, ne quicquam, ne quidem nomen, nisi eius arbitrio collatum aut immutatum habeamus. Quod imperij genus Reges in populos

etiam armis ſubactos non vſurpant; quia illis ſaltem ſublato rerum dominio liberum relinquunt nominum delectum; quem cum nobis Launoius eripiat, quidni dicas maiorem in nos regiâ in ſubditos poteſtatem ambire?

Iis veluti caſtigationibus ex grammatica, grauioribus proludit Launoius, quarum plurimas ad examen vocaui: occurrit hæc, ad Epiſtolæ finem, Theodoricum gente Gothum Italiæ dominantem à me per ſummam iniuriam Tyrannum & Arrianum appellari, cum Synodus eius imperio Romæ habita, titulis *Regis piiſſimi & clementiſſimi ac ſereniſſimi* illum dignetur, & donet; & Baronius, quamuis Arrianum laudet, quod Catholicos omni genere officiorum ſit proſecutus. Non dubito quin hæc Theodorici defenſione præiuerit Socinianis, impoſterum cauſaturis negatum Chriſtum patri conſubſtantialem nullius poſſe erroris accuſari, quòd Synodus Romana, non dubitarit, Theodoricum ita ſentientem quaſi Regem piiſſimum compellare: ſed multò peius, hac contra me expoſtulatione rebus politicis, & Regiæ dignitati, ac maieſtati, quàm fidei conſulit.

Legeram aliàs apud Patrem Cauſſinum Boethij hiſtoriâ ab illo eleganter ſcriptâ Theodoricum à gente Gottorum illegitimo coniugio natum, ob egregiam formam, doteſque præſtantiſſimas Zenoni Imperatori chariſſimum, ab illo conſulatu donatum, & contra Herulos cum ingenti exercitu Legatum Imperatoris miſſum, multiſque ſecundis præliis Herulorum Regem Odoacrem victum, fractum, & obſidione Rauennenſi trium annorum fatigatum, fraude ad epulas inuitatum obtruncaſſe; Atque his victoriis ſibi paraſſe regnum totius Italiæ. Si Launoius contendat eas ditiones bonis artibus Theodoricum ſibi ſubieciſſe, & Regis magis, quàm Tyranni nomen inde mereri; omnibus in Regem rebellibus ſi adſit temeritas, & rebellionem fœlicitas ſequatur, ſpondet, non ſolum impunitatem, ſed etiam ſummam laudem & gloriam qualem conſecutum contendit Theodoricum, Zenonis & Anaſtaſii Imperatorum, Ducem & Legatum, qui cum hoc nomine reportatas à ſe victorias in Imperatorem referendas, in ſuum decus & commodum ſibi vindicarit, quæ tandem futura eſt Tyrannis, ſi id genus dominationis legitimæ

dignitatis nomen Launoio iudice sortiatur ? Quotquot Regi Christianissimo militabunt Duces, eiusque armis ciuitates expugnabunt, aut prouincias, nouerint omni rebellionis aut tyrannidis vitio carituros; si impune possint domita loca suæ addicere potestati, etiam cum Regis titulo. Hæc sunt, Launoi, tuæ Censuræ, fundamenta, aut Corollaria; sed dum auidè calumnias expetis, quibus me pene proditæ reum agas Regiæ potestatis, & dignitatis, incautus & imprudens omnibus, qui Regis stipendio viuunt & militant arma rebellionis ministras, & suggeris, consilia non sana, dominandi causa; ius quodlibet violandum, & si impunitas adsit non defuturum iustæ dominationis, etiam Regiæ, nomen & titulum.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Alterum genus exerrationum Launoij, à Catholici cognomine quarum incusatur ex capite decimo-septimo.

QVæ hactenus seu lacessendo, seu depellendo Aduersario late prosecutus sum, licet multa ex his Catholici & Theologi plurimùm officiant nominibus, tamen apertiùs videntur hominis officia prætergredi, quia hæc summa est lex rationis, quâ vt homines regimur, ne à nobis dissentiamus, & pugnantibus implicemur; quod Launoium, non admodum cauisse, certissimis exemplis & argumentis demonstratum puto: nunc, vno aut altero exemplo euincam, non magis Catholici, quam hominis rationem habuisse.

Primâ scriptione accusauerã grauis plagii, quo Epistoiæ Pii II. ad Carolum VII. Regem Galliæ corruperat, hæc verba *vnum à te petimus, charissime fili, vt sedis apostolicæ detractoribus semper non credas, multa illorum passionibus tribuas.* Fatetur antiqua exemplaria, ita habuisse *detractoribus*, sed sibi placuisse *doctoribus*, & visam sibi magis ad mentem authoris accedere editio nem, quam sequitur Basilienſem, quæ ex officina Henrici Petrina prodierat,

curasse, conferre cum editionibus primis, quæ habent detractoribus, & sibi magis probari nomen Doctoribus.

Cur ita? Quia sic visum est hæreticis Basileensibus, primum Henrico Petro Bibliopolæ, & librorum etiam scriptori: qui inchoatam à Paulo Æmilio historiam rerum Gallicarum, ab Arnaldo Ferronio exceptam, & vsque ad Henricum II. deductam, Henricus Petrus, quamuis dispari duobus stylo, ad suum vsque tempus prosecutus est. Deinde hæc interpolatio probatur Marci Hoperi testimonio, cuius, inquit Launoius, inscriptioni fidem, *facit certissimam præfatio, enumeratis* sigillatim Pij libris, & adiuncto Gregalium id est Zuinglij, & Oecolampadij discipulorum, *ex quibus omnibus luculenter*, ait Launoius, *apparere, operum Pij secundi editionem*, (licet Hæreticorum manibus confectam) *quâ vsus sit, cæterarum omnium, quæ præcesserant emendatissimam esse: vnius verò instar esse Editiones cateras*, quæ ex Catholicorum officinâ prodierant; *quia primæ sunt concordes*. Quis ista crederet potuisse excidere Theologo Catholico, vt hæreticorum vadem se præbeat, eorum prælo, & officinis fidem incorruptam præstet, Catholicorum traducat, quasi falsam & fallacem?

An non meminit præcepti Apostolici *hæreticum post vnam, aut alteram admonitionem deuita?* Eorumq; commercium peius angue & peste, odio habendum & fugiendum? An non legit apud Cardinalem Perronium, dum Gelasij, Bertrandi, & Paschasij libros expendit, obseruatum hos Authores horribilibus falsationibus ab hæreticis Lutheranis, & Basileensibus corruptissimos prodiisse, vt ad minùs suspecta; aut non omninò certa haberet, quæ ab huiusmodi interpolatoribus non minùs humanæ, quàm diuinæ fidei infestis ederentur?

Sed nihil ista moratur Launoius, acrioris & certioris, quàm Perronius criterij homo; nihil timet, nec aliis timendum iubet, à consortio hæreticorum. Apostolorum donatus est virtute, *si quid mortiferum biberit*, Launoium hæreticorum, *nihil ei nocebit*. Marsorum congenitam habet vim, quâ impune cum serpentibus ludat. Rinocerotis dote pollet, quâ venenosos fontes suo iudicio, velut iniecto cornu, purget: nihil noxium habet quidquid Doctoribus sedis Apostolicæ omnem de-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [463] - 443
PUBLIC DOMAIN

trahit fidem, ab illis, non ab eterodoxis cauendum monet: Ideo alio loco in gratiam hæreticorum pugnauit, ab iis ſicuti baptiſmum, ſicuti regulas Thyconij; ita etiam, hoc Pij II. effatum excipiendum, ne Doctoribus ſedis Apoſtolicæ credatur, multa eorum paſſionibus tribuenda eſſe. Deum immortalem! An non miraris, Lector, æquitatem hominis, vna ſummi Pontificis auctâ vel imminutâ poteſtate omnia metientis! Hæretici Baſileenſes illi Sancti ſunt, quod ſubiecerint locum traducendi Doctores Catholicos, quaſi ſedis Apoſtolicæ palpatores, licet quoad cætera videatur ab eorum dogmatibus abhorrere. Sed horum omnium gratiam & veniam meruerunt, vna vocula, *Doctoribus*, ſuffecta alteri, *detractoribus*: Bellarminus verò, licet quoad cætera de totâ Religione optimè meritus, illi inteſtabilis eſt, ob pontificiam authoritatem contra ſuum ſenſum in maius: auctam & quod, iſto dogmate prætermiſſo, virum vocauerim, *inuictum fidei pugilem*; *mihi carceres & tortores minatur*; quis huius adeo præpoſteri iudicii rationem capiat? Ego ſanè ſic comparatus ſum, & omnes bonos mecum ita putem; ſi quid Catholiciſſimis ſcriptoribus allubeat, à quo diſſentiam, me huius priuati diſſidii causâ, nolle cæteris illorum ingentibus meritis, quidquam detrahi; quia, ſi eorum ſingulares duas, aut tres opiniones appendas, inuenies trutinam, virtutum ponderibus ab alterâ parte depreſſam; hæreticis vero, licet alicuius rei, bene aut geſtæ aut ſcriptæ, ſi quæ illis excidat, laude nolim fraudare; non tamen errorum propè infinitorum inde puto eos notam redimere, aut condonandam illis eſſe veniam.

Et ne videar adeo iniquum Launoii iudiciũ ſolis verbis caſtigare; exemplum addam, quod ipſemet ſuppeditat. Quamuis Bellarminus poſterioribus editionibus, fortè præter eius mentem correctis (nam de primis, & de iis, quæ Louanii docuerat ſecus omninò mihi conſtat ſenſiſſe) licet, inquam, doctrinæ de gratiâ efficaci ſcholæ noſtræ non admodùm videatur æquus, non tamen propterea, me vnquam pœnitebit, tituli pugilis Fidei Catholicæ inuicti, quia non ſunt noſtra iudicia, vel aliorum merita, ex propriis commodis, aut priuatis diſſidiis metienda. Ex charitate enim, *quæ non*

sua quærit, monet Augustinus, *communia propriis, non propria communibus esse anteponenda*. Et cum videam Bellarminum, ob eximiam sanctitatem & singularem doctrinam non solum bonis omnibus amori & venerationi, sed etiam hæreticis odio haberi, & totam eorum factionem, suis illum vnum telis impetere, nec quamlibet liuor & odium reluctetur, hanc illi posse laudem negare, *si pergama*, dextra, id est, Res Catholicorum, *defendi possent, dextra hac defensa fuissent*.

De te verò, Launoi, doleo mihi apud heterodoxos (sicut apud sanctos Patres improperas non omninò hospiti) quid simile de te testari non posse, quod de Bellarmino dictum, sibi Hieronymus assumit, & in Augustinum transfert; non solum ore omnium Catholicorum laudari, sed, quod præclarius censet, ab hæreticis odio haberi, & calumniis discerpi: ne quid in te simile hæretici molirentur, tu diligenter cauisti multis nominibus, quæ nihil attinet referre; quia multa, etiam hac Epistolâ, imo hoc capite subiecisti asserta eorum prælo & officinis, fide minime suspecta, ac pene incorrupta, & Bellarmino, quem veluti flagellum Dei, quo verberant, execrantur, castigato ob vnum aut alterum, quo à te dissidet, & aliis per summam calumniam congestis quibus putas tibi licere acerbiùs Bellarminum castigare, quàm hactenus legerim Caluinum, aut vllum hæreticorum te excepisse. Hæc sane non admodum resipiunt hominis Catholici æquitatem,

Sed vt ad aliam eiusdem capitis partem accedam, eâ crudelissime vexas locum Epistolæ Pij, textu quasi tortâ luxato, vt aliquam Basileensi interpolationi fidem facias. Conquereris tuas Epistolas vix decima parte relata; à me refutatas, cum tuorum argumentorum noxâ, quorum vim putas, hoc silentio oppressam, cum solutionibus eleuari posse diffiderem. Sed planè falleris mihique falsò imponis, me tuorum argumentorum impetum timere: subticeo interdum, quia reuera nulla sunt; vel, si quæ illis insit vis, paucis perstringo, prolixitatis vitandæ causâ: id experiar refutatione illius anxij & infœliciſſimi examinis verborum Pij secundi, quod in id tandem resoluitur, vt credas, Doctorum, loco detractorum nomen apponendum, *ne quis sciens &*

prudens Pontifici ſententioſum & argutum dicendi & ſcribendi genus ſortito, propoſitionem tribuat, qua ſenſum incongruentem importet, nempe detractoribus aliquãdo credi poſſe, ſi detractoribus ſemper non credatur.

Nam vt omitttam detractores interdum falſis vera miſcere, vt non ſit in totum illis fides abroganda, & poſſe etiam aliquid illis excidere, non ex prauo affectu; quid proficis, mi Launoi, illâ tam ſollicitâ excuſatione Baſileenſium? Innumera Scripturæ ſacræ documenta, ne dum inutilia, ſed ridicula eriam euadent; quale ex infinitis eſt iſtud Eccleſiaſtici *ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende*: & item illud *non credas inimico tuo in æternum: ſicut enim æramentum, æruginat nequitia illius & ſi humiliatus vadat curuus, adjice animum tuum, & cuſtodi te ab illo.* Nam cum Launoio reponam, fruſtrà eſſe huiuſmodi conſilia; quis enim neſciat inimicis eriam iurantibus ſicuti detractoribus nullam habendam fidem? Quid vis omnibus concionatoribus os occludere, ne impoſterum de detractorum contagio, & de nullâ illis fide habenda vſquam ad populum diſſerant, quia ſuperfluum fuerit, id commendare, vti credit Launoius, detractoris verbo Epiſtolæ Pij inſerto ſententioſum & argutum dicendi & ſcribendi genus deſinere *in ſenſum incongruentem*.

Sed vnum addis, quod *apud cordatos & litterate peritos* lectores omnem tibi fidem in æternum abrogabit. Quæris quid profuiſſet tibi Epiſtolam Pij corrumpere, vel interpolare: & deinde excurris in ſuſpiciones à te amoliendas, & mihi impingendas quaſi calumniandi te auidiſſimo; credis ne nos adeò ſtolidos eſſe, quin non dicam ſenſus intimos, ſed quæ in omninm oculos incurrunt percipiamus? putaſne ingens compendium, quod inde captas nos clam eſſe? Nempe vt Pio II. teſte, & authore, poſſis ſedis Apoſtolicæ Doctores tanquam palpatores curiæ adulatricis traducere. Et poſt iſta audes inquirere, quid profuturum eſſet tibi epiſtolam Pij corrumpere & interpolare? Quid? Vnum tibi orbis imperio carius, teſtimonio Pij comprobatam, in Baronium, Caietanum, Bellarminum, alioſque adulationis calumniam. Hæc ſine dubio, ne quid grauius dicam, toto hoc, Paragrapho dicta paruum Catholici perſonæ

personæ conueniunt, nec Theologi dignitatem reuerentiùs habet vt Paragrapho sequenti demonstrabo.

Neque enim mei consilij est hic diutiùs hærere, aut longius inquirere quæ ista & quæ aliis controuersiis Theologicis à te scripta aut dicta minus huic omnium Christianorum agnomini consentiunt. Id enim præ te fers, Augustinum controuersiis de Prædestinatione & auxiliis gratiæ contra Pelagianos à perpetua traditione Ecclesiæ longissime abductum fuisse, neque Thomistarum, aut Ianseniſtarum, aut alterius scholæ Theologorum vllos attigisse & fuisse consecutos, tibi vni perspicuam. Ita fere de aliis fidei capitibus à cæteris diuersus abis. Nec ad hoc mihi opus est aliorum testimoniis, quia memini eorum quæ ex tuo ore excepi; nam cum tecum familiariter colloquerer & D. Thomæ doctrinam ab ea dote commendarem, quam fusius prosequor huius Apologiæ libro 1. sectione 1. articulo 2. quod tota sit à traditione Ecclesiæ hausta; tu contra more tuo intercessisti, neque enim æquis auribus quod ad summorum virorum laudem pertinet audire potes: & exemplum addidisti, traditionis Ecclesiæ ignarum, aut ab illa alienum inde D. Thomam probabas, quod opinaretur pœnitentem, confessum non formula deprecatoria absoluendum sed sententia more iudiciorum. Et cum apud omnes Catholicos vsu recepta sit absolutio instar iudicii non precationis concepta, si apud te nedum D. Thomas deceptus sit, sed totam Ecclesiam secum in errorem abripuerit te iudice, quid inde consequatur malim à prudente Catholico Lectore æstimari, quam à me dici, ne conqueratur Launoius sibi à me portenta calumniarum inferri & vix sibi Catholici nomen, sicut nec ipse Christiani, Diui Thomæ libris, relinquere.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Quæ contra officium Theologi peccauit Launoius, vnde concluditur imposterum cum ipso votis, & silentio agendum.

CRedideram me hac extemporanea & duabus septimanis festinatâ exercitatione, à confutatione in qua totus eram, Caluinistæ aduersus sanctissimum sacramentum deterrimo scripto grassantis, longius fore adducendum. Sed plane mea me opinio fefellit: nam præter expectationem in idem prorsus, licet paululùm argumento dissimile disputandi genus delapsus sum.

Licet enim res, de quibus agitur differãt, vtriusq; tamen aduersariorum artes in Scriptura interpretanda aut potiùs corrumpenda, in idem omnino recidunt. Illud vtrobique in controuersiam vertitur, an sensu ad litteram, an figurato & metaphorico excipienda sint verba, *hoc est Corpus meum*: id ipsum cum Launoio disputandum occurrit, an item hæc Principi Apostolorum dicta, *tu es Petrus, pasce oues meas*: *orani pro te Petre*, sint illi ad litteram vindicanda, quasi fundamento cui adstruenda sit Ecclesia aduersus portas inferi inualitura: an hæc ad Ecclesiam vniuersim pertineant, cuius tantùm figuram gesserit Petrus. Hoc postremum contendit Launoius, & perinde figuras admouet his verbis, vti Sacramentarii institutioni Eucharistiæ, Petrum Canalem vult esse, non Concham fontanam potestatis Ecclesiasticæ, eius partem vix modicam seruauerit; plenitudo in plures partienda penes Concilia generalia, etiam à capite seiuncta resideat. Et cum singula Scripturæ verba & loca multiplici abundent sensu, vno quidẽ ad litteræ veritatem, aliis vel ad mores instituendos, vel ad reseranda analogiis & anagogicis explicationibus mysteria: & cum in his litterali verborum interpretationi consuluisset Christus, sollicitâ illâ ad Petrum prope infinitis vinculis alligatione; iis veluti dissolutis, Launoius in figuras omnia resoluit, & quidquid sancti Patres, in ea tria ex Euangelio loca, quæ vnum spectant Petrum, scripse-

runt illæso sensu litterali, ad mores, ad sensus allegoricos, & anagogicos; quibus hic præ cæteris, sicut de Sacramento Eucharistiæ indulget, & exuberat Augustinus, hæc omnia accurate collegit, quæ iubet nos, quasi legitimum & vnicum textus sensum habere.

Atque hac congerie &, vt ipsius verbis loquar farragine locorum, tantum sibi in rebus Theologicis tribuit, vt se quasi Theologiæ vindicem vbique prædicet, & omnibus imponat, non sibi respondendi vices, sed parendi necessitatem: Si qui ab ipso dissentiant, censuris & calumniis obruit. Omnium nouissima, quam millies obtrudit, est; *me ex sanctis Patribus librorum titulos legisse tantum, nec vsquam eos inuisisse; quin etiam si per loca, vbi habitant transire contingat, me oculos stat m auertere, nè introspiciam, & ne si sederent in portâ, vt magni veri diribitores saluete, vel bascio le manî a voſtre Seigneurie, dicere cogerer, demisso, vt par est, in terram capite, & reiecto in humeros cucullo: vsque eo progreditur hominis ciuilitas.* Sed excipitur scurrilitate Theologo indigniore & refellitur scriptis nostris, maxime tertia parte, vbi ex sensu sanctorum Patrum, de libertate humanâ, de scientiâ, & gratia diuina accuratius forte à nobis disputatum est, quàm iis quinque partibus à Launoio de Pontificatu Romano: Neque enim numero & congerie locorum ex sanctis Patribus; sed delectu, & examine accuratiori metienda est cuiusque peritia.

Sed leuior est hæc Launoij in me alioſque ab ipso dissentientes incusatio scurrilis, neq; enim in nos disputat, ex Theologiæ principiis, & regulis, sed, quasi in patrias leges contumaces, quasi in Regiam maiestatem perduelles, carceribus, & suppliciis, vel exorcismis, quasi cum energumenis agendum inclamat: hac ergo apertâ, & detectâ fraude, & disputationum Theologicarum in conuitia, in publicas accusationes mutatarum corruptelâ; ab his mihi imposterum abstinendum esse, boni consulet æquus Lector; cum mei & Launoii, tum etiam ipsius Theologiæ, Ecclesiæ, & Galliæ causâ; vbi paucis mei consilij rationes aperuero. Equidem quod ad me attinet, ex certis Regulis meæ salutis causa mihi silentium indico. Sapientissimorum Theologorum vita

mens est, vsuras in totum damnandas, & præter indubitatam & annexam mutuo datis culpam, eâ etiam mutuo petitas, non carere, nisi rei familiaris inopiâ, ad id subsidij quærendum adigamur, ac proinde mere voluntarias vtrinque peccato imputari. Ad id genus malorum disputationem cum Launoio susceptam reuoco: excusare primam & alteram responsionem potuit vindicatio Diui Thomæ, Sedis Apostolicæ, & eorum qui illius dignitati consulunt, inter palpatores adulatricis Curiæ à Launoio repositorũ. Sed vbi semel & iterum, me eosque omnes à calumniis adulationis, violatorum Ecclesiæ Gallicanæ, aut Regiæ dignitatis iurium, validè asserui, & respondendi sublata est necessitas; non video, quâ ratione, me apud Deum excusarem, si ipse iis vltra immorarer, aut occasioni essem, ne vterque nostrum prouectoris ætatis, quibus nedum inopina mors, quæ iunioribus etiam accidit, immineat; sed qui etiam diu viuere nequeamus, iis contentionibus commoriamur.

Atque hinc non solum mei, sed etiam Aduersarij rationem mihi habendam, & à Deo exigendam attendo; ita enim ex hac concertatione vtriusque causa, ad iudicium diuinum quamprimum vocanda, coniuncta est, vt vix auelli queant. Quid autem si ad singulas eius Epistolas, nullo numero, nullo fine parturiendas, nulla obstetrice, nullâ Doctorum probatione adhibitâ edendas respondeam? & si quod iam monui, à Pythagoreis prohibitum, non desinam ignem gladio fodicare, quem alium exitum exspectare potero harum disceptationum, nisi ab alterius, aut vtriusque morte? & cum de verbo etiam otioso mihi certò reddendam esse rationem & pœnas dandas sciam, nisi eluero, atque has disputationes, si vltra secundam progrediar, nedum otiosis, sed etiam noxiis verbis accenseam: absit vt in illis imposterum prosequendis, aliunde heu nimium auctam exaggeratamque & ad conflagrationem idoneam diuinorum iudiciorum materiam nouis disceptationum incrementis cumulem: nedum mearum, sed etiam alienarum culparum pœnas daturus: Hoc enim maximè, etiamsi nihil aliud inde timerem, ad silentium

me cogit, quod satis meorum peccatorum pondere grauatus, nolim aliena suscipere. Quî vero id onus effugerem, si occasionem darem has disceptationes prosequendi cum aperto periculo ne illis immorerer cum Launoio, cuius crederem Deum à me sanguinem repetiturum. Duo enim mihi comperta sunt; modestam & Theologo dignam responsionem numquam à se posse obtinere Launoium, nec saluâ conscientiâ illam prosequi in qua consenuit: quid si ego in causâ sim, vt iis disputationibus immoriatur? An non impœnitentiæ eius finalis reus futurus sim?

His addo, me non esse donatum Ioannis Baptistæ Thiers dote, qua possim frenare calamum & linguam Launoii, cõminatione illius postremæ apologiæ inserta, si sibi aurem pungat, & vellicet omnia eius opera se peruoluturum & solæcos, ac barbarismos, aliáque id genus linguæ Latinæ vitia, quibus scatent annotaturum, eiusque & lectorum oculis subjecturum: iurare ausim post ista Launoium taciturũ semper, quasi tyronem magistri ferulâ tremefactum iri, ne tot sordes styli horriduli conspiciendæ sibi obiiciantur. Sed cum nec tantum otii, neque peritiæ Grammatices suppetat mihi; ad tam longum & exactum examen, vna mihi supereſt ratio finiendæ disputationis, nempe silentium, & patientia, quam polliceor ad quascumque nouas eius quamlibet acres insectationes. Atque ita planè conuenit; vt cum ætate sit me prouectior, & in scribendo exercitatior, vltro citroque respondendi vices in illum desinant tot titulis, id genus honoris commeritum, vt hoc Iobi vsurpet; *videbant me iuuenes, & abscondebantur: & senes adsurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.*

Præter priuatam vtriusque causam, communi Theologiæ, Ecclesiæ, & Galliæ, hoc meo silentio consulendum censui: puto enim his tribus & veritati factum à me satis esse, de potestate quæ ad Petrum pertinet inter extremas nimis illigantium Petro, aut laxantium illius iura sententias, mediâ constituta, quæ inuidiosas submoueat quæstiones, de plena in Synodos generales, & in res temporarias potestate: & ita ad pacem viam à

bonis omnibus calcandam ſtraui inita & firmata concordia Pontificiam inter, & Conciliorum authoritatem qualem Ariſtotelis inter & Hipocratis opiniones, de origine actionum vitalium cordi & cerebro ab illis ſeorſim, à me coniunctim vtriſque vindicata: vnde non poterit Launoius, me impoſterum violatorum Concilii Generalis, aut Galliæ iurium ſuſpectum habere, quia ſua quibuſque ſeruo hâc ſententiarum diſſidentium concordiâ.

Nec poterunt alii obtrudere, me Pontificiorum iurium prodigum aut præuaricatorem, quod nonnullis in mentem venit de me ſuſpicari, quaſi Launoio concedam comitia Eccleſiæ generalia, etiam ſemoto capite aut abnuente Pontifice numeris omnibus eſſe abſoluta ad vim res ex fide definiendi. Neque id euincet Conſtantinopolitanæ quintæ exemplo vnius Iuſtiniani authoritate habitæ, etiam reclamante Vigilio Pontifice; nam vt omittam Vigilii Pontificatum bipartitum eſſe, cuius partem tranſegit ſuperſtite Syluerio vero Pontifice & in exilium acto, impetatricis Theodoræ, & Belliſarii opera, & tum Pſeudopontifex obnoxius Theodoræ multa geſſit perperam; ſed mortuo Syluerio factus Pontifex, præter perſonam & dignitatem, nullam admiſit grauem culpam: & quod ad Conſtantinopolitanam Synodum attinet pleni Concilii abſque Pontificum aſſenſa non fuiſſe authoritatem conſecutum, Euagrius ſcriptor Græcus, & minime Launoio adulationis ſuſpectus, libro 4. capite 37. teſtis eſt locupletiſſimus, aſſeritque à Vigilio confirmatum fuiſſe, & in ea damnatam hæreſim quam Theodora fouebat, & cuius ipſe Vigilius, dum Antipapam ageret & Theodoræ ſtipendiarium, ab Aduerſariis accuſabatur.

Poſt ſcriptam, & etiam typis datam reſponſionem ad exemplum Ioannis duodecimi Pontificum deterrimi, ad Sedem Apoſtolicam ætatis anno vix decimo octauo à Patre Alberico Romanæ ciuitatis Tyranno vi promoti, & ab Othone magno Imperatore, ac Synodo Romana, ea dignitate abdicati, oportuit ad deffenſionem tractatus de perpetua fide Euchariſtiæ, ſæculi decimi hiſtoriam Pontificiam, à Patre Coeffeteau contra Myſterium ini-

quitatis Mornæi propugnatam relegere : & occurrit obiectio de abdicatione Ioannis à Mornæo primum intorta aduersus Pontificiam dignitatem, deinde à Launoio instaurata ; ne conqueratur sibi perpetuam à Catholicis ad etherodoxos discessionem obiici, cum eademmet de re nedum à Baronio, inuictis, vt loquitur Coefetæus, argumentis pagina 94. Othonis & Synodi Romanæ facinus præter omne ius susceptum, confutante ; sed etiam à Coefetæo eam abdicationem improbante dissentiat, nec conueniat cum Authore tractatus de fide perpetua, qui pagina 397. non omnino excusat præposterum Othonis zelum.

Atque vt ex hac ipsa historia intelligat Launoius, Christum suæ Ecclesiæ melius consuluisse, quam iis, quæ suggerit, aut ab aliis perperam adhibita commendat, remediis ; frustra fecere, quibus imperator cum Synodo Romana vsus est: nam vt ex aliis authoribus refert idem Coeffeteau, vix Imperator Roma in Germaniam cum exercitu redierat, superstiti Ioanni suffecto Leone VIII. cum ab amicis Romam reuocatur depulsus Ioannes, æmulum fugat, Synodum habet, quæ prioris acta rescindit, nec solum censuris in suos iudices, sed etiam summa crudelitate in Cardinales, amputata vni manu, resciſſa alteri lingua sæuit. Sed Deus singulari miraculo voluit nos docere, à se, non ab hominibus, nec à Launoii prudentia remedia esse expectanda : nam cum impurissimus, quamuis legitimus Pontifex ad volutabrum rediisset, & cum amicarum vna sese oblectaret, diuino permissu, aut illius iussu, ita dire exceptus est à dæmone, vt octauo post plagas die vix anno vigesimo-septimo ætatis vitam corruptissimam finierit ; atque hac peste liberata est Ecclesia, efficaciori remedio, quam perperam & præter Canones, prætenta etiam à quibusdam Episcopis Synodi manifesta Donatistarum hæresi ad abdicationem. Ceterum quidquid sit malo Coeffetæo & Authori tractatus de perpetuâ Eucharistiæ fide quam Launoio hac de re assentiri. Vt nihil causetur Launoius ex sua epistola à me omissum, quod eius faueat opinioni, id est interpretationi trium scripturæ locorum quæ ad Petrum figurato sensu referat non litterali summam

authoritatem. Hoc denique meo silentio Theologiæ & Galliæ honori consultum volo.

Quid enim si exteris gentibus innotescerent hæ nostræ contentiones & ex vno aut altero nostrum de tota Gallia iudicaretur ? plane cum attenderent nos Theologicas quæstiones, ad conuitia atrocia, ad sarcasmos, ad amarulenta dicta reuocasse, dicerent Gallos omnes in furorem actos ; quandoquidem, qui omnium maximè sapere debuerant Theologi, aut qui hoc maxime nomine gloriantur, ita insaniunt, vt non de aliqua re sacra agere aut de veritate curare quæ modestiam se quærentibus suadeat ac penè inuitis ingerat, sed odij & scommatibus certare videantur. Itaque præstat me silentium vouere & seruare, quàm Theologiam hæreticis, Galliam extraneis ridendam propinare ; insipiens factus sum, sed tu me Launoi coegisti.

Et cum hac secunda responsione sublata sit, quam obtendere antea poteram, respondendi necessitas, experimento semel & iterum minime à te seruatæ dignitatis Theologicæ, si vltra progrederer ipse solus imitationis tui culpã ferrem & pœnas mererer : quare subiiciam tibi sapientissimi Dominici à Soto, ad tui similem Catharinum verba. Cæterum tui me semper habebis in Christo obsequentissimum : atque ita ad tua iussa paratiorem, quam tecum litigandi cupidum: *quod mihi per te vtinam fuisset semper liberum.* Nunc vero ita immotum insidet animo vt nulla in posterum causa aut vi ad tertiam concertationem prouocari aut adigi possim : nec dubito, Thoma Fortine, vt te, quem exordio compellaui, ad finem conueniam, quin meum consilium sis probaturus, & data huius responsionis venia si quid peccaui, perpetuum tibi morem geram quasi omnium mearum cum Launoio disceptationum iudici & sequestro cuius sententiæ stabo : atque inde meum quo semper flagraui pacis & silentij votum & studium agnosces, quod etiam iterum & tertio ac millies malim Launoij manibus & epistolis nunquam nisi cum morte desituris vapulare, quam tuo iniussa de illo conqueri & expostulare: si huic veræ quam voueo in te reuerentiæ vnquam defuerim, intestabilis sim omnibus sapientiæ & veritatis studiosis, quos

tiner ſummum te proſequar ſemper & colam.

Et ne verbis tenus, aut ſolis pollicitationibus, futuro & incerto euentu ſuſpenſis, hanc meam in te obſeruantiam, & de tuâ ſapientiâ æſtimationem teſter, ſed promiſſum exhibeam ex parte obſequium; præter omnia hactenus diſputata, tuo iudicio, & arbitrio permiſſa; duo aut tria ex longâ Launoij, quæ librum æquet epiſtola, aut prætermiſſa, aut breuiùs quàm res exigat perſtricta, ad tuum ſubſellium ſummo iure iudicanda voco, vbi paucis de quo expoſtulem ſubiecero. Duo ex Ioanne Maiori non infimi ordinis Theologo Launoius excerpſit, non admodum vt mihi videtur æqua & prorſus Scholæ noſtræ iniuria.

Primum habet ſuæ epiſtolæ cap. 3. ex illius Theologi Pariſienſis in lib. 2. ſent. diſt. 30. quæſt 4. anno 1510. editis commentariis, vbi ita ſtatuit, *de Doctoribus pudet loqui, multi eorum magis ſunt doctrinæ, aut dictis potiùs ſuorum Doctorum addicti, quàm ſanctiſſimæ SS. Patribus, pariter ac eruditiſſimis: dummodò manu teneant ſuos, non eſt eis curæ quid ſenſerit Auguſtinus, &c.* Et vt iſta ad noſtram ſcholam, fortè, præter mentem Maioris, & reuerà præter omne æquum trahat Launoius, ex eodem Theologo in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 38. aduocat iniquiſſimum hoc iudicium: *Thomiſtas omnes non ſupputo præter ſolum B. Thomam. Ratio: erant addicti iurare in verba Magiſtri.* Suas inuenere labra lactucas. Nec dubito, quin his verbis apud Maiorem repertis, exultarit Launoius, quaſi inuentâ pretioſâ margaritâ, & *ſicuti ſolent victores captâ prædâ, quando diuidunt ſpolia.* Mirum quantùm huiuſmodi acerbiora dicta eius palato ſapiant.

Eodemque, ni fallor, refert quod primo capite habet decretum Gregorij IX. ad Academiam Pariſienſem, quo cauet etiã cõminatione indignationis Sedis Apoſtolicæ, ne Philoſophorum gentilium libri in ſcholis prælegantur: quaſi iſtis cenſuris perſtringatur D. Thomas, quem in ſpeciem videri vult Launoius purgaſſe. Sed iis excuſationibus non eget qui nihil peccauit: quin potiùs ſummam conſecutus eſt laudem S. Doctor, quam cum mereri nequeat Launoius, prætexta nititur defenſione inumbrare, quæ culpam, ſi quæ foret, grauaret, vix vllâ

veniâ dignum. Cæterùm Ioannis Maioris verba, si vel ab ipso Autore, vel à relatore Launoio in D. Thomam, eiusque discipulos intorqueantur, *verè sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmata sunt contrà illum lingua eorum*: Neque enim hæc in D. Thomam eiusque Scholam, nisi per summam inscitiam, aut per parem improbitatem scribi potuerunt: cum iure sanctissimus præceptor Christi verba vsurpare possit, *doctrina mea non est mea*, sed eorum qui me docuerunt Augustini & SS. Patrum: à quibus totam sic hausit vt quidam recens scriptor in Augustino versatissimus, Thomam *Augustinum contractum dixerit*; & SS. Patrum compendium, ac perpetuum sacræ Scripturæ commentarium eius libros meritò appellaris: & si velit Maior aut Launoius non esse eius discipulis curæ, quid sentiat Augustinus; si quæ illis incuria accidat, aliunde nasci non potest, nisi quod credant mentem Augustini Diuum Thomam non latuisse multôque certiùs illo duce & interprete quàm proprio studio & labore se consecuturos.

Alterum quod ex eodem Theologo refert, totam Diui Thomæ scholam, vnius Theologi loco, & vnius suffragij vim habere censendam esse; iniquius est quàm vt probis & sapientibus placere possit, aut pluribus à me sit refellendum, nisi Launoius velit Petri â clausâ Valle calumniam instaurare, omnes D. Thomæ discipulos pecuino spiritu, & moreagi, suoque adhærere, & addici magistro, qua haud scio an quicquam magis virulentum excogitari possit. Et ne huc congeram quæ tota Apologia huiusmodi calumniæ, aut veriùs insaniæ portento (vt Launoii verbis vtar) depellendo & deportando scripsi, duo addam: primum, nos omnes in D. Thomam, eodem quo Demetrius Cynicus ex Seneca in prouidentiam erat, animo comparatos esse, vt quisque illorum qui Diuo Thoma Magistro gloriantur, exclamare possit, dum eius sensum sequor, *nihil cogor, nihil patior*, nec D. Thomæ seruio, sed assentio. Præterea quisquis illud præposterum vtriusque Ioannis Majoris, & Launoij iudicium probauerit, Thomistas omnes vno D. Thomæ nomine & suffragio accensendos esse, quasi

discipuli loco pecudum sint, aut mancipiorum, quibus hoc solùm nomine, quod cum Magistro sapientissimo conueniunt, sibi libertatem opinandi, aut inquirendi veri studium præripuerint: hic planè hospitem se in sapientiæ scholis demonstrabit. Quis enim nesciat, non vnum esse sapientiæ gradum? Præter supremum quo quis se ipso sapit, dari alterum, quo aliorum labore, & documentis nos infra Launoii, & Majoris sublimia ingenia positi, sapientiæ operemur? Sanè si regula horum Theoiogorum obtineat, nullo erit loco D. Thomas, nec audiendus erit de Philophicis', quia de his Aristoteli auscultat, nec de Theologicis, quia Augustino vbique adhæret: imo ipse Augustinus, nullo inter sapientes loco reponendus est, quia de rebus fidei vbique scripturæ & traditioni obsequitur: hæc vero haud scio, an Launoius, aut Major si superstes esset concoquere & concedere possint.

Cæterum vt alterum in hanc rem quod pollicitus sum adiungam, duo mihi à Deo collata beneficia, quasi summas misericordias in æternum cantabo, fidem & D. Thomæ doctrinam, mihi ad sensus meos, heu nimium! in insanias falsas procliues, cohibendos esse datas: quibus semotis & permisso opinandi arbitrio, nihil hactenus tutum repeti, aut quod meam à veritate conspicuâ, & olim, vt spero, mihi cum S. Doctore aperienda & fouenda peregrinationem, quasi viatico muniat, eiusque frequentibus molestiis fatigatum animum releuet, & soletur. Hactenus de primâ Launoij ex Majore censurâ.

Alteram ex eodem Theologo breuiùs perstringam ad calcem Epistolæ adnotatam; vbi enim omnium Theologiæ locorum me rudem, & ad illorum vsum ineptum deformauit, hæc addit verba, *Est tamen certus quidam locus, quo Dominicani & Franciscani vtebantur olim, cum de Conceptione Beatæ Mariæ disputabant. Hoc acceptum refero Ioanni Maiori in 2. senten. distin. 30. q 3. Tanta est*, inquit, *controuersia inter religiosos in hac quæstione, quod pro loco dialectico locum non inuentum ab Aristotele, nec à Philosophis introducunt locum ab iniuriis. Modestus Frater Baro*, addit Launoius, *locum hunc*

enumeratis à me locis ſuffecit. Neſcio an Maiori & Launoio lecti ſint Diui Thomæ diſcipulorum de ea quam adnotant, quæſtione tractatus : certè quorum hactenus copiam habui, nullum legi in quem locus Ariſtoteli ignotus aut à Philoſophis non inuentus inducatur ; quia nuperus eſt, & ſin à Launoio inuentus, certum eſt, eum magis quam Latinam Mineruam excoluiſſe : ad hunc eius locum cum natura, tum ſtudio ſicut Ouidius ad Poeſim comparatus eſt. Eum Poetam ferunt tanto ad componendos verſus impetu procliuem, vt nullis parentum monitis nec minis aut terroribus potuerit ab eâ arte ingratâ deduci, quæ Homerum Poetarum Principem coëgit mendicato viuere. Et dum inter verbera pollicebatur emendationem, quorum cauſa dabat pœnas, verſus edebat :

Heu tibi polliceor quod numquam verſificabor.

Quod forte de Ouidio Fabula eſt, in Launoium veriſſime cadit, dum alios caſtigat quaſi maledicos, dum prædicat ſe ab illa arte alieniſſimum, nec eâ vſum vmquam, aut vſurum, tum maxime conuitiatur. Id pluribus probarem, niſi eius Epiſtolarum, & operum ſeries ac lectio omni tuba vocalius id prædicaret, & omni ſenſuum & oculorum experimento compertius efficeret. Dum modeſtam quamcunque aduerſus ſe defenſionem conuitiis accenſet, cum id nominis eripit atrociſſimis quæ in inſontes congerit, & cauſam adeo præpoſteri iudicii quæro, hæ duæ occurrunt ; quod de elementis circumfertur, ea ſuis in locis repoſita vim innatæ leuitatis, aut grauitatis minimè ſentire : ita dico congenitum hunc morbum Launoium latere, & fallere, mortalium illi maxime obnoxium : ſuſpicor etiam tanto huius artis zelo æſtuare, vt non magis patiatur ſibi ſingularem ab aliis vſurpari, quàm virum zelotypum vxorem ab extraneo vitiari aut attrectari.

Tertium caput ſupereſt à te vir clariſſime dirimendum. Poſtquam ſibi Launoius nomen Theologi quaſi iure ſuo vindicauit, vix illius vſuram aut partem, iis etiam quos veluti Theologorum vertices communis fama prædicat, concedere pluries à me obſeruatum eſt &

euidentioribus quam vellem argumentis demonstratum. Sed huius præsumptæ opinionis non aliam comperi causam, quam quod affectatæ à se scientiæ nec rationem nec amplitudinem id est in quo sita sit, aut quo pertineat nondum sit assequutus.

Si eius mentem post longam & accuratam indaginem concessum sit mihi capere, crediderim illum ignorare Theologiam à fide natam, ad fidem referri, & ab illa vti filiam à matre, legatum & ministrum à Rege, uti custodiam à thesauro, ab vrbe arcem & præsidium, aut vt propius ad rem accedam, quasi rationem ab intelligentia, conclusionem à præmissis, scientiam à principiis indemonstrabilibus distingui oportere: fides quidem vna scriptura & traditione constat: si iis veluti metis quibus illam definit cohibet Launoius, contenta sit Theologia, nihil distabit à fide quamuis, diuersissimi sit ordinis, & multo longius excurrat & ad plura protendatur, ad fidem tamen à quâ prodiit reditura; quia quidquid Theologia proprio marte, seu ex scriptura & traditione seu ex aliarum scientiarum principiis comparare potest, totum impendit & comportat ad fidei lucem & defensionem, nempe illustrandis Religionis Christianæ arcanis, & aduersus quoscunque insectatores seu hæreticos, seu atheos propugnandis. Atque hinc elucet innota Launoio veræ Theologiæ ratio & præstantia, atque amplitudo, quæ vltra constitutas ab eo metas protendatur.

Notitiam Theologo conuenientem & necessariam duplicem, vnam natura, alteram vsu distinguendam pronuncio: prioris generis est quæ reuelatis fidei principiis connexa est conclusio, & inde ex vtraque, aut saltem ex vna præmissa fide certa, altera lumine rationis comperta, discursu necessario comparatur: vsu Theolocam notitiam voco, quæ vndecunque sit ad fidei mysteria explicanda & defendenda conducit. Theologiam iis virtutibus accenseo, quas architectonicas vocant, quæ nedum sibi vacent, sed etiam aliena curent & regant: in has virtutes duo solent operationum genera referri. Prioris Ordinis elicitæ sunt, quas à se ipsis proferunt,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [479] - 459
PUBLIC DOMAIN

secundi generis imperatæ dicuntur, quas aliis virtutibus præscribunt à se ad omnium vtilitatem referendas.

Vtroque operationum genere præstat nobilissima virtutum charitas, proprias & genuinas habet veluti, operæ pretium quo cœlum redimat, Deumque promereatur: præter has à se elicitas operationes multò plures præcipit toti virtutum quæ se muniunt satellitio, omnesque suo imperio inaurat & adoptat: neque enim operationibus Christianæ virtutis quarum Deus sit merces accensentur, tantum quas ipsa à se profundit charitas, sed ad eundem etiam gradum prouehuntur consortio & imperio charitatis, quæ ex infusis, imo quæ ex humanis virtutibus prodeunt, dummodo adsit charitatis imperium, cuius vi diuina, naturalium operationum pene lutum aut plumbum vertitur in aurum obrizum quo veluti iusto pretio Deus comparetur.

Eandem videtur ignorare Launoius inesse vim Theologiæ, vt nedum Christianæ sint, quas ipsa elicit aut deducit ex fidei regulis assertiones, sed eo etiam nomine dignissimas efficiat, quas scientiis humanis imperat & ab illis exhibitas ad fidei defensionem & lucem comportat. Neque enim negaturum puto Launoium libros Stromatum à Clemente Alexandrino, de Ciuitate Dei ab Augustino elucubratos, Apologias pro fide Christiana aduersus ethnicos à Tertulliano, ab Arnobio, à Lactancio scriptas, velut à summis Theologis prodiisse. Id vero quî fieri potuit, si Theologia finibus à Launoio constitutis, id est sola scriptura & traditione contineatur; cum enumeratis à me voluminibus non tam ex fide & scriptura veritatem, quam scripturam ipsam & fidem ex gentilium principiis & absurdis & omni argumentorum genere, quæ aliunde quam à fide & scriptura, cum thesis, non probationis locum habeat repetentur? Quis vero neget ista ad Theologiam pertinere? Huius ergo scientiæ vsum non ad Launoii Regulas, sed ad D. Thomæ exemplum metiendum statuo, vt ad Theologiam pertineant & quæ à fide repetuntur, & quæ ad illam defendendam & explicandum referuntur & conducunt.

Dimidiatam nobis subiicit Launoius Theologiam, hac postremâ parte in totum resciſſa, quia etiam nihil vnquam scripsit ad confirmanda fidei principia & mysteria; nec priorem partem integram seruat: hanc enim imminutam, & vix tertiatam exhibet suisque præiudicatis opinionibus corruptam. Quis tot mala recenseat truncatæ Theologiæ, quorum mihi promptius esset Launoium reuincere, quam ipsi vel cuiquam has meas accusationes, si prosequi vellem, idonea responsione refutare? Non dicam videri excludere ab ordine Theologicarum assertionum, quæ non immediatè; sed longius à fidei dictatis, vel quæ ab vna fide certa, ab altera ratione nota præmissa repetuntur. Sed hoc condono ad ista subtilissima cæcutienti: quis vero excuset in controuersia de primatu Petri, interpretationes Patrum, in verba, quibus ipse Christus spondet aut tradit Ecclesiæ regimen ad sensum moralem aut allegoricum institutas obtorto colle ad litteralem sensum trahere, & pro vnico & genuino velle nos habere? Adde vix aliam nosse, aut certè in vsu habere differendi rationem, quam quæ vniuersalissimis principiis insistit, nec propria cuiusque quæstionis & singularia adhibet: quod obseruatum à me est quadam Epistolarum huius partis, examine propositionum quæ Thesibus Patrum Theatinorum continebantur, instituto: neque enim expendi possunt nisi singularia principia fide reuelata de generatione verbi, de pœnis dænis dæmonum sigillatim ad trutinam & incudem reuocentur: de quibus tamen ne hilum quidem iis locis Launoius.

Sed quo abripior? de alienis sermonem instituo qui de meis silentium spopuodi. Ita est: Sed hinc velim agnoscas, vir clarissime, si litigandi cupiditate tenerer, illi sedandæ, nullam, ea, quam Launoi; lucubrationes & Epistolæ suppeditant vberiorem optari posse; vt si in posterum sileam, ne sibi imputet Launoius, quasi eo me adegerit terrore suorum argumentorum: sed tibi vni ascribat, cuius arbitrio standum & tacendum mihi indixi.

Sed homini perpetuum tacituro, hoc postremum verbum, forte ex garrulitate natum condonabis. Dolendam plane vicem Theologiæ, quod scientiarum prin-

cipem, Launoius quasi illotis manibus à te contrectatam, sibique vni, aut præ ceteris primo assertam, infra Philosophiæ, Artis Oratoriæ, Poetices, & Grammaticæ, de quarum Consultis, quod scripsit de Philosophis Hieronymus, vilia esse gloriæ mancipia, merito dixeris, illa detrahendi de omnibus libidine, infimum gradum deiecerit. Quid enim si de Theologis ex illo statuas & iudices & cum humanarum scientiarum cultoribus conferas? puderet nos sane adeo sancti instituti, nisi probè sciremus, nihil eius dignitati & innocentiæ detrahi vitio eorum, qui honestius illam desererent, quam profiteantur.

De Grammaticis aliquid nobis dictum est occasione Epistolarum Politiani. Quid de Oratoribus? Poterat Cicero cum Demosthene de eloquentia certare, illique verius palmam præripere quam inuidere: sed abhoc vitio ita abhorruit, vt in laudando Demosthene non solum nimius, sed penè in se iniquis videri possit. Nec dubitauit se illius studiosum profiteri, cuius poterat æmulum aut Magistrum agere: & Philippicis titulum orationum Demosthenis per summam modestiam inscripsit, quasi imitatus fuisset quem æquabat aut superabat. Eadem obseruantiâ fuere Virgilius in Homerum, & Hesiodium: Salustius in Thucididem; Terentius in Menandrum; Romani denique omnes in Græcos scriptores, quos imitandos susceperant. Quid de Poetarum Latinorum in Virgilium reuerentia dicam? quem Sylius Italicus, vt quendam Deum etiam sacrificiis coluit? & extra comparationem omnes sit euexere, vt penè religioni esset post Virgilium quemquam secundum recensere. Hinc modestia Statij ad finem Thebaidis apostrophe ad suum opus. *Nec tu diuinam Æneida tenta sed longe sequere & vestigia semper adora:* quem ex nostris imitatus Ronsardus vltimo hoc versu imperfectum opus Franciados clausit. *A genoux Franciade adore l'Eneide adore l'Iliade.*

Conueniebat plane Launoium, eadem adminus reuerentia prosequi perfectum opus D. Th. Summam Theologicam, quam hi prophani scriptores exhibebant, iis qui easdem quas profitebantur artes excoluerant, & ad summam

mam prouexerant gloriam: nec hac modestia & obseruantia quidquam suæ eruditionis opinioni detraxisset, sed prudentiæ maximum & immortale decus addidisset. Verum aliter illi visum, & maculandam potius sibi sumpsit quàm laudandam Theologiæ Summam: cuius ne quidem institutum cognouisse, hinc demonstrauit, quod omissa eo opere Cyrilli testimonia in argumentum arripuerit, tandem falsi suspecta, aut comperta illi fuisse: nec aduertit, si ea coniectatio aut diuinatio obtineat, Summam non fore cæterorum operum compendium, sed potius spongiam, qua in totum delerentur innumera & prope infinita quæ commentariis in sententias, Summa contra gentiles aliisque libris prosecutus est, & in Summa Theologica desiderantur. Quis inde hoc silentio damnata falsi, ausit non solum dicere, sed etiam cogitare aut suspicari. Nihil ergo ea Launoij argumentatione, quam nonnulli, velut illius Achillem comprobant, debilius aut vitiosius. Qua obseruatione visum est hanc exercitationem absoluere: qua epistola Launoij deleatur in totum.

FINIS.

Errata Exercitationis.

Pag. 369. l. 2. adde & earum. p. 370. l. 26. *lege* falſæ adulationis. p. 401. l. 26. *lege* cauſa. l. 27. *lege* aſſertæ. p. 405. l. 24. *lege* regiorum. l. 414. l. 25. *lege* quam meo. p. 425. l. 27. *dele* non. p. 429. l. 12 *lege* fidem. p. 422. l. 20. *lege* conſtringendum. l. 26. *lege* ego quidem. p. 443. l. 1. *adde* nec.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [484] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX RERVM ET AVCTORVM.

Primus numerus 1. *priorem Tomum* 2. *posteriorem significat.*

A

A Bissinos inter, Dominicani celebres conuentus habent, 2.94
Adrianus VI. opera Cajetani Pontifex renuntiatur, 2.255
Æneas Syluius contra Nicola. Burgundium falso citatus, 1.313.525
P. Alamandet à Theophilo corruptus, 2.324
Alanus B. Virg. cultor præcipuus vir sanctissimus, 2.10
Albertum Mag. fuisse vitiatum Theophili calumnia, 2.53
Falsò suppositi libri plures Alberto Mag. 2.56
Nihil ipsi additum aut vitiatum in materia Concep. *ibidem.*
Eiusdem sapidissimus Tractatus de Adhærendo Deo, 2.212
Albitij Cardinalis & Vrbani VIII. de Dominicanis dictum, 1.311
Alensi falso 2. 2. D. Thomæ tribuitur, 1.222
Alexander à solo Aelleppingi à Leucippo fingi volebat, 1.37
Almaini dotes ex Launoio. 1.149
Eiusdem cum Caietano concertatio, *ibid.*
D. Antonini Archiepiscopi commendatio, 2.261
Ad Præsulatum quasi ad cruciatum raptus, 2.264

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [485] - -
PUBLIC DOMAIN

Antiquam cellæ solitudinem optabat, 2. 263
Alphonsus à Castro falso citatus, 1. 27
Ioannem à Lausanna impense commendat. 2. 12
Castigatus ab Inquisitione quod Caietanum inter hæreticos reposuisset, 2. 22
Alpho. Ciaconius Ord. Præd. cæteris accuratius historiam Pontificum scripsit, 2. 314
Petrus Alua Franciscanus quantum conuenientiis indulgeat. 1. 67
Eius libri prohibiti à Sacra inquisitione, 1. 68
Multa in comendationem D. Francisci comminiscitur, 1. *ibid.*
Vult eius Regulam habere vim legis diuinæ, 1. 70
In hac Trinitate Iehouæ, Mariæ, Francisci, asserit nihil esse maius, nihil minus, *ibid.*
Alua suis commentis fidem omnem sibi abrogat, 1. 87
Conceptionis piæ sententiæ nocet relictis validioribus argumentis, 1. 88
Absurdum eiusdem argumentum ex comparatione conceptuum mentis & ventris, 1. 89
Eiusdem Paradoxum plures vltra sex millia Scriptorum docuisse piam opinionem, 1. 94
Plusquam sex millia authorum plures de Conceptione scripsisse libros, quam D. Thom. apices habeat, 23. Tomis, 1 98
Falso dicit suppositos à discipulis D. Thomæ libros, 1. 100
Male repetit originem Festi Conceptionis à reuelatione facta Helsino Abbati, 1. 108
Alua crassissime contra Grammaticæ leges peccat, 1. 111
Ignorat rudimenta Logicæ, & Syllogismorum terminos, *ibid.*
Aluæ iactatio suum librum tot elogia mereri quod habet litteras, 1. 115
Eiusdem in D. Thomam conuitium quem cum Seba rebelli confert, 1. 116
Altera calumnia 222. Articulos D. Thomæ sub pœnâ excommunicationis damnatos, 1. 117
Asserit D. Petri doctrinam aliquâ sui parte erroneam, & ab Vniuersitate Paris. damnatam, *ibid.*
Mendacij aperte conuincitur, cum dixit se latuisse

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [486] - -
PUBLIC DOMAIN

Breue Alexandri VII. 1. 175
D. Bonauenturam D. Thomæ præfert Alua ex falſa regula, 1. 179
Supinâ hallucinatione vocat D. Thomam de Auſtri, pro illuſtri proſapia, 1. 180
Aluæ, abſurda & impia in D. Thomam dicteria, 1. 184
Editionis Nodorum annum præuertiſſe conuincitur, &c. quibus de conſil. 1. 189
Scripturam falſat, & corrumpit, 1. 192
Sæpius mendacij & falſi conuictus, non reſipuit, 1. 93
Atrox eius calumnia in Familiam Dominicanam, 1. 209
Iudicium Salomonis, Authore P. Alua quot vitiis laboret, 1. 225
Conſulit Petrum à Valle-clausâ, vt falſationis cauſam peteret, 1 234
Craſſa Aluæ hallucinatio negantis dari Archiepiſcopatum Antiuarenſem, 2. 70
Negat perperam extare vrbem Montem luporum, *ibid.*
Aluæ inſcitia, obijcientis Bandello quod D. Raymundum Dominum vocet, 2. 72
Similis Preſbytero legenti quid vobis videtur de X. decimo, *ibid.*
Aluæ temeraria reſponſio ad locum D. Thom. ex Quodlib. 6. 6. 2. 74
Eiuſdem Aluæ multiplex contradictio, negat & aſſerit plura D. Thomæ, opera eſſe tribuenda, *ibid.*
Alua ſuis Argumentis plura eripit ſuo Inſtituto ornamenta, 2. 76
Aluaris in ſcribendo ſumma modeſtia, 2. 175
Anni ſæcularis Author quàm ſuum inſtitutum laudet, 1. 353
Antonius de Dominis veteres Concionatores ridet, 2. 10
Antonius Godeau inexhauſtum eloquentiæ, &c. ſapientiæ prompruarium, 2. 260
Pontific. ex Ord. Præd. encomia proſequitur, 2. 60
Antropomorphitarum hæreſis triplex ſtatus, 2. 29
Archimedes repertâ demonſtratione Mathematicâ, vix ſui compos, 1. 165
Armandi Borbonij de Conty Principis regiæ ſtirpis

commendatio, 1. 209
Articulorum D. Thom. Censura ab Vniuersitate Parisiensi retractata, 2. 60
Liber continens hanc Censuram prohibitus, 2. 61
D. Athanasij liber de sanguine, &c. nunquam à Dominicanis adulteratus, 2. 57
Quæ addita sunt, authorem habent Metaphrastem, *ibid.*
D. Augustinum plures Theologi parum honorificè habent, 1. 365
In D. Augustino Patres omnes collecti, 1. 365
Eius authoritati plures intercedunt, 1. 366
Male explicasse locum Apostoli (*vult omnes*) Molina, Petauius, &c. contendunt, 1. 367
Eius dogmata inconcussa & tutissima asserit Alexander VII. Breui Apostolico, 1. 438
Augustinus Galaminus Ord. Præd. Cardin. Pontificiâ sede dignissimus, 2. 257
Aurelianensem Virginem Petrus Banquerius Ordinis Præd. publice defendit, 2. 119

B

BAesa Dominicanos laudat, quòd sententiam Molinæ ad Pontificem detulerint, 2. 160
Scriptores Societatis pene Canonicis æquat, 1. 428
Impensius Societatem laudat, 1. 468
D. Bail expriuatâ opinione D. Thom. inducit suspendentem Prædestinationem ex scientia media, 2. 201
Bandellus Ord. Præd. contra Aluam defensus, 1. 198
Bannis sententia, in Eucharistiâ existentiam panis superesse, explicatur, 1. 35
Negat potuisse Alexand. IV. Hispaniarum Regi imperium concedere in Ethnicos, 1. 251
Constitutionem Societatis de correctione faciendâ, melius Suare explicat, 1. 414
Eius sententia de occupando aggressore diuersa à sententia Amici, 1. 416
Vindicatur à calumniis Carterij, 1. 472
Petrus Banquerius Ord. Præd. Aurelianensem Virginem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [488] - -
PUBLIC DOMAIN

publicis concionibus defendit, 2. 129
Franciſcus Bardus Societatis primus docet ſpecies Euchariſtiæ euanidas eſſe, 1. 33
Barletæ Ord. Præd. grauis calumnia à Theophilo importata, 2. 11
Baltha. Aluares Societatis à ſuis multa paſſus quòd alio genere orationis vteretur, 2. 125
Barnabitarum Regulas Leonard. Marinus Ord. Præd. inſtituit, 2. 124
Barclaius noui ſtyli felicitate celebris, 2. 316
Baronius Saliano ſuperior, 2. 214
Baronius contra Launoium deffenſus, 1. 165
Bartho. à Martyribus Ord. Præd. datur Præceptor Antonio Ludouici Infantis ex Luſitaniâ vnigenito, 2. 237
Quàm abhorreret à ſimulatione luculenta exempla, 2. 50
Bartholomęi à Marryribus vbique Apoſtolica libertas, 2 2 3
in Concilio Trident. Cardinales Eminentiſſimos reformatione egere dicit, *ibid.*
Quid Pio IV ædificia oſtendenti reſponderit, *ibid.*
Vt primum Romam videt, lapſus equo, ſedem Pontificum ſalutat, 1. 259
Bracharenſe Collegium Societati extruit, 2. 133
Bartholomæus à Martyribus quam detrectauerit Pontificatus onus, 2. 265
Bartho. à Martyribus hiſtoria Gallice ſcripta commendatur, 2. 296
Conuocato Concilio Trident. ſtatim itineri ſe accingit, 2. 299
Syluas, paſcua, &c. voluit egenis patere, 2. 300
Crucem manui impreſſam ſummo ſtudio occultauit, 2. 301
Bartholomæus perpetuam ſomno pugnam indixit, 2. 302
Dimidiam partem eorum quæ ad menſam miniſtrabantur, pauperibus tribuebat, *ibid.*
Bartholomæi tum Cœnobitæ, tum Pontificis virtutes, 2. 303
Summæ in parentem pietatis argumentum, 2. 304

E Visitationibus redux per plures hebdomadas solitudini & meditationibus vacabat, 2. 305
Bartholomæo à D. Carolo Borromeæo scripta Epistola, *ibid.*
D. Basilij de Demosthene Valentis culinæ præfecto lepidum dictum, 1. 111
In Bauaria cur Societatis mula Dominicanorum, pauca Cœnobia. 2. 248
Ludouicus Bauarus quantum Dominicanis infensus, 1. 250
Becanus de immunitatibus Caluinistarum scripsit, 1. 11
Begardorum error pugnaturos cum Anti-christo stigmatibus D. Francisci insigniendos, 1. 299
Bellarminus quam afferat causam institutionis Festi Conceptionis B. Virg. 1. 39
Censet commentaria in Epistolas canonicas esse verum opus. D. Tho. 2. 70
Primus Bellarmini Tomus iussu Sixti V. non operâ Dominican. in Indicem relatus, 2. 163
Bellarmini commendatio ex grauitate & modestia cum hostibus fidei, 2 169
Quorumdam sententia Bellarminum hæreticorum causam promouisse, ideoque in Hispania prohibitum, *ibid.*
Quid senserit Card. Perronius, *ibid.*
Hæreticus Bellarmini testamento magis quam Controuersiis conuictus, 2. 162
Liber de Gemitu Columbæ parum abfuit quin prohiberetur, *ibid.*
Contentio Bellarmini cum Grauina non excessit modestiæ metas, *ibid.*
Bellarminus quàm impense Societatem laudet, 1. 427
Respondit ipsi Grauina, *ibid.*
Plurimum fauet præmotioni physicæ, 1. 147
Pontificiorum collector male à M. de Dominis dictus, 1. 468
Bellarminus contra Launoium defenditur, 1. 135
Eiusdem sententiâ de 2. 2. D. Thomæ, 1. 220
Bellouacensem à D. Thom. 2. 2. mutuatum fuisse validum argumentum, 1. 239

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [490] - -
PUBLIC DOMAIN

Bellouacenſis quo tempore vixerit, 1. 219
Benedictus XI. Ord. Præd. maximæ ſanctitatis, & humilitatis vir, 2. 254
Matrem negat ſe agnoſcere niſi humili habitu ſe adeat, *ibid.*
Galliæ pacem à Bonifacio turbatam reſtituit, *ibid.*
D. Franciſci ſtigmatum feſtum inſtituit, 1. 298
D. Bernardinum non aliquis Dominicanus, ſed Michaël Curiæ Romanæ actor accuſauit, 2. 147
D. Bernardinum inter & Manfrednm priuata diſſenſio, *ibid.*
D. Bernardinum D. Vincentius Ferrerius commendat, 2. 148
Bernardus à Luxemburgo non male Catalogo hæreticorum adſcripſit Auicennam, &c. 2. 21
Bernæ Dominicanorum fabula à Capnione conficta, 2. 94
Beroldus Typohraphus Baſile. Fabulam Ioannæ Papiſſæ in Chronicon Martini Dominicani immiſit, 1. 301
Beſſarionis liberius dictum, 1. 439
Beza Anti-chriſtianum dicit D. Petrum vocari Eccleſiæ fundamentum, 1. 48
Bibliopolæ eruditi Manutij, Aſcenſij, Stephani, 2. 308
Bonartes myſterium Incarnationi euertit, 1. 405
Negat idem corpus Chriſti quod eſt in cælo, eſſe in altari, 1. 406
Bonartes libro concordiæ ſcientiæ cum fide myſteria euertit, 2. 207
D. Bonauenturæ ſingularis obſeruatio triplici Scripturæ ſenſui tres animæ facultates reſpondere, 2. 312
Borgia Societatis Carranſam ſummo ſtudio defendit, 1. 64
Bracharenſe Collegium parentem habet Bartholomæum à Martyribus, 2. 133
D. Brigittæ reuelatio de Conceptione Immaculata quam fidem faciat, 2. 92
Dubia & falſa inter eas extare aſſerit Larrea vt Sampſonis ſalutem incertam, &c. *ibid.*
Bromiardus author Summæ Prædicantium alius à Bromiardo coætaneo D. Thom. 1. 218
Bromiardus referens locum. D. Thom. ex 3. p. qu. 27.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [491] - -
PUBLIC DOMAIN

vitiatus est, 2. 73
Bucerus Cantabrigæ in Anglia Professor, 1. 65
Eius cadauer effossum & combustum, *ibid.*
Iudicio Caluini omnium hæreticorum doctissimus, 1. 66
Lutherum & Zuinglium conatus est conciliare, *ibid.*
Eius votum, Tolle Thomam, &c. *ibid.*
Nicolaus Burgundio, 1. 30
Falso accusatus contra Eugenium stetisse, 311. & 313
Bzouius à Nicolao Ianseno defensus, 2. 23.
Falso ipsi tribuitur Historiam Pauli Soare suis Annalibus inseruisse, 2. 24
Bzouio plures infensi, quod D. Hildegardis Prophetiam retulerit, 2. 106
Quæ de Scoti morte refert, graues habent Authores. 2. 107
Non male Fratricellos ex Franciscanis ortos asserit, *ibid.*
Defenditur quod sui Ordinis præclare gesta fuse scripserit, 2. 108

C

CAbala erroribus Platonicorum, & Rabinorum Fabulis compacta, 2. 177
Arcta illi cum Magiâ & Dæmonibus necessitudo, *ibid.*
Ob nimium Cabalæ studium Reuclinus male audit, *ibid.*
Cælestinus V. opera Latini Cardinal. Ord. Prædicat. Pontifex creatur. 2. 256
B Caetanus in instituendo nouo Ordine Dominicani consilio vtebatur, 2. 130
Caietanus Benedictinus scripsit D. Ignatium aliquando fuisse Benedictinum, 2. 103
Eiusdem cum Ioanne Rho contentiones, *ibid.*
Cum Leone Allatio pro imagine pugnat, *ibid.*
Caietanus Ordinis Præd. contra Launoium defenditur, 1. 141
Ab Almaino impugnatur, 1. 149

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [492] - -
PUBLIC DOMAIN

A pluribus Societ. laudatus, 1. 402
A sua Schola paululum aliquando deflexit, 1. 397
Laudatur à Card. Palauicino, 1. 402
Caietani nomen ab Alphonso à Castro inter hæreticos repositum iussu inquisitionis Hispanæ expunctum, 2. 22
Caietani commendatione Adrianus VI. in Pontificem electus, 2. 257
Caluinistarum immunitates tredecim, 1. 11
Caluinus impleuit votum caligulæ, 1. 365
Camberacensis Conuentus Ord. Præd. celebris authore D. Vincentio Ferrerio, 2. 28
Habuit 18. à Confessionibus Ducibus Sabaudiæ, &c. *ibid.*
Instructus fuit Bibliotheca optimâ, *ibid.*
Inde suffuratum fuisse Theophilum plurima grauis suspicio, *ibid.*
Camerarius Theophilo lacessitus respondet, 1. 326
Campanella Ord. Præd. inter doctissimos sui sæculi habitus, 1. 401
Impetu ingenij in conuersationibus eminebat, *ibid.*
Detentus carcere sine librorum subsidio scientias omnes perse didicit, *ibid.*
Vix parem habuit complexione scientiarum, 1. 402
De Campanella Palauicini iudicium, *ibid.*
P. Candido cum Giatino Theologo contentio falso improperatur, 2. 9
Vincentius Candidus sanctitate & eruditione illustris, 1. 33
Candidus defenditur contra Theophili calumniam in materia Conceptionis, 1. 326
Cani sententia posse errare Pontificem in quæstionibus Facti, 1. 290
Cano à Theophilo falsò citatus, 1. 325
Cani explicatio de Concione D. Stephani, 1. 334
Sumpta est ex Beda, Rabano, 1. 335
Probatur à Lorca, *ibid.*
Falso accusatur Cano conuitiatum fuisse D. Hieron. 1. 338
Eius sententia & moderatio de Miraculis à D. Gregorio, & Beda conscriptis, laudatur, 1. 343

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [493] - -
PUBLIC DOMAIN

Cani ſumma eloquentia, 1. 316
Eiuſdem ſententia de Matrimonio nutibus contracto defenditur contra Carterium, 1. 408
Cano quid ſenſerit de ſummo dolore Chriſti in Paſſione, 1. 408
Summe laudatur à Garcia Societatis, 1. 409
Cano ſiquid in Societatem peccauit, ab aliis Dominicanis compenſatum eſt, 2. 134
Capnio Fabulam confinxit de Dominicanis Bernæ combuſtis, 2. 94
Capiſuccus Magiſter S. Palatij vir omni laude dignus, 2. 343
Summâ cum ipſo humanitate egit Alexander VII. *ibid.*
Concionator eloquentiſſimus, 2. 345
Capiſuccorum Familia Eccleſiæ Cardinales, Legatos, exercituum præfectos habuit, *ibid.*
Capreoli de Aureolo dictum peccare intellectu quidquid ſit de affectu, 1. 240
Capreolus anima D. Thomæ, 1. 400
Eiuſdem ſententia de Viſione B. defenditur, *ibid.*
Capreolus Toſtato familiaris in Concilio Baſileenſi, 2. 149
Cum quolibet doctiſſimo & ſubtiliſſimo paria facere poteſt, 2. 209
Carbonello Franciſcano falsò aſſeritur Cathena Diui Thom. 1. 118
Eam. à D. Thoma deſumpſit, 1. 224
Carmelitis Calceatis leges ab Hugo. à S. Theodorico præſcribuntur, 2. 124
Maior D. Ludouici gloria quod Carmelitas in Europam deduxerit, quam ſi Orientem occupaſſet, 1. 420
Carmelitarum diſcalceatorum laudes, 1. 418
Ordinem Carmelitarum plurimum iuuerunt Dominicani, 2. 124
D. Caroli Borromæi Epiſtola ad Bartholomæum, 2. 305
Carolus Ionius Anagrammati Nierembergij reſpondit, 2. 114
Carolus V. Hiſtoriam Philip. Cominæi tanquam Breuiarium Imperatorium ſibi delegerat, 2. 89

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [494] - -
PUBLIC DOMAIN

Carolo V. Dominicanus absolutionem negat, nisi pacem ineat cum Francisco primo, 2. 128
Antonius Carracciolus notat plurima in Martyrologio quæ limam desiderent, 2. 266
Petr. Carrafa sæpius ad Dominicanos religionis profitendæ causâ accessit, 2. 130
Vincentij Carrafæ liber titulo *Camino del Cielo* absurdis scatet, 2. 182
Male Virginis cibum nectar, & ambrosiam dicit, 2. 183
Celebris vitæ sanctitate non librorum scriptione, *ibid.*
Carranzæ eruditio, fidei integritas, &c, 1. 63
Ab inquisitionibus Romanâ & Hispana multa passus, 1. 64.
Negatam facultatem Societati concessit construendæ domus, *ibid.*
Eius virtutes prædicabat Borgia Societatis, 1. 64.
Carranza Buceri cadauer comburi iussit, 1. 65
In Angliam vocatus ad religionem instaurandam, *ibid.*
Carranzæ opera PP. Societatis Toleti recepti, 2. 131
Philippi II. Hispaniæ Regis Præceptor, 2. 237
Carterius immeritò contra Mariales expostulat, 1. 450
Falsò asserit primum à Dominicanis pacem turbatam, 1. 456
Corrumpit duo loca ex Cano vt ipsum accuset, 1. 471
Carterij mala fides laudantis Petrum à Valle-clausa, & Petrum de Alua, 2. 191
Eiusdem Paradoxum à Thomistis triginta millia locorum D. Thom. corrupta, *ibid.*
Cartesius defendit accidentia Eucharistiæ esse solum specie tenùs, 1. 34
Carthusianorum institutum à Thomistis defensum, 1. 350
Eorum cum Dominicanis summa necessitudo, 1. 351
Ad eos plures ex Dominicanis transierunt, *ibid.*
Casalius Augustinianus celebris Scriptor vir paupertatis tenacissimus, 2. 308
Catechismus Romanus à Dominicanis scriptus, 1. 273
Ipsum Manutius latinitate donauit, *ibid.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [495] - -
PUBLIC DOMAIN

D. Catharina à Theophilo hæresis temere accusata, 1. 398
D. Catharinæ Senensis de Conceptione B. Virg. reuelatio quo sensu accipienda, 2. 92
Catharinus piam Concept. opinionem melius quam Scotus defendit, 1. 82
Catharini sententia quæ exoluit à debito non probatur Suari, Bellarmino, 1. 84
Chamierius hæreticorum doctissimus, 1. 148
Plura ex PP. loca non sincere citata notat falso à Bellarmino, 2. 162
Character Episcopalis qua ratione à Sacerdotali distinctus, 1. 410
De Charactere Episcopali sententia D. Thom. à pluribus Societatis defensa, *ibid.*
Choquetius merito scripsit in sententiam Coninch de immediata conuersione aquæ in vinum, 2. 40
D. Chrysost. temere à Vasque hæresis accusatus, 1. 340
Eiusdem sententia de B. Virg. miraculum poscente à D. Thoma benigne explicatur, 1. 341
Quæ eius sententia de Prædestinatione, *ibid.*
Christoph. Longolius Tullianâ eloquentiâ Oratores è sui temporis superat, 2. 315
Militari veste Romam accessit de eloquentia bellum indicturus, *ibid.*
Columbus benigne excipitur & iuuatur à Deza apud Reg. Hispan. 2. 229
Academiæ Salmanticensi consilium suum aperit, *ib.*
Reclamantibus cæteris, soli Dominicani Columbo fauent, *ibid.*
Noua Imperia Reges Hispaniæ debere Dezæ columbus testatur, 2. 230
Combefisius de Bicipiti Ecclesiæ capite quid senserit, 1. 36
An male D. Bernard. intellexerit scribentem de Conceptione B. Virg. 1. 39
Notatur quod aliqua in Baronio correxerit, 1. 266
Combefisij sententia posse errare Pontificem vt priuatum hominem explicatur & defenditur, 1. 292
Eruditio Combefisij commendatur, 1. 304

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [496] - -
PUBLIC DOMAIN

Sanctorum PP. dicta de dolore B. Virg. explicat, 1. 329
Falso accusatur tanquam D. Chrisost. iniurius, 1. 339
Plura D. Chrisost. è tenebris eruit, 1. 342
Combefisij historia Monothelitarum, 2. 109
Vnus tuto eligi posset ad nouam editionem PP. Græcor. *ibid.*
Combefisius de coniugio B. Virginis contra Suar. 2. 165
Commissarij S. Officij ex Dominicanis, 2. 335
Conceptionis B. Virg. sententiæ Dominic. obijcitur quibus non liceat respondere, 1. 37
Prohibuit Sixtus IV. ne D. Thom. sententia censura notaretur, 1. 38
Vasques quid sentiat de D. Bernardo in materia Conceptionis B. Virg. 1. 39
Plures in eam Constitutionem Sixti peccant, 1. *ibid.*
In eâ materiâ quomodo D. Bernard. Vasques intelligat, 1. 39
De Concep. B. Virg. Reuelationes Herluini, 1. *ibid.*
Quid statuerit Basileense Concilium, 1. 60
Quæstio de Conceptione appendix est alterius vtrum Incarnatio supponat peccatum, 1. 81
Conceptionem Immaculatam B. Virginis melius Catharinus quam Scotus defendit, 1. 82
Huius sententiæ progressus similis arti pingendi, 1. 83
Solus Catharinus compleuit dum absoluit à debito, 1. 84
Eam sententiam improbant Suares, Bellarminus, &c. *ibid.*
Piam esse sententiam Conceptionis Immaculatæ Dominicani tenent, 1. 93
Conceptionis piam opinionem esse de fide non probant institutio Festi Conceptionis, Indulgentiæ, &c. 1. 95
Nec decretum Concilij Tridentini, 1. 96
Huius festi institutio male repetitur à reuelatione factâ Herluino Abbati, 1. 107
Nihil in D. Thom. scribente de Concep. temeratum est à Dominicanis, 1. 234
D. Conceptione B. Virginis constans vbique D. Th. sententia, 1. 235

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [497] - -
PUBLIC DOMAIN

Conceptionis ſententia fraude Dominican. obijcitur, 1. 316
A Duce Lerma tentatum eſt vt Dominicani ſententiam mutarent, 1. 317
PP. Societatis parati D. Thom. ſententiam defendere, ſi diſcipuli ab ea deſciuiſſent, 1. 318
Toletus Societ. Concione de Concept. tractat quæ opinio magis cedat in honorem B. Virg. *ibid.*
In cenſuras latas Theophilus incidit, 1. 319
Non ſunt minus pij qui ſententiam de ſanctificatione PP. tenuerunt ex Aluaro Pelagio, *ibid.*
In hac re ſumma Card. Oregij moderatio, *ibid.*
Quo fine inſtitutum feſtum ex Bellarmino Perronio, 1. 330
De Conceptione ſententiam in gratiam Dominicanorum voluit Conciliabulum Piſanum definire, 2. 91
Nihil potuiſſe in D. Thom adulterari in materiâ Conceptionis B. Virginis demonſtratur, 2. 65
De Conceptione quæ ſit D. Thom. ſententia teſtimonio Suarez, Vaſquez, &c. 2. 66
In eandem rem inſignis falſatio Labbatæ, 2. 67
Corruptus etiam Magiſter Sententiarum, *ibid.*
Conceptionem B. Virginis quo ſenſu immunem D. Thom. dixerit, 2. 73
De Concep. B. Virg. reuelationes D. Brigitæ & D. Catharinæ quo ſenſu accipiendæ, 2. 92
Concilium Tridentinum ſuſpendit definitionem, donec conſtaret non aduerſari D. Thomæ, 1. 187
Concilia quam poteſtatem habeant in rebus facti, & iuris, 1. 265
In Concilio Lateranenſi D. Dominicus plures hæreſes profligauit, 1. 360
In Concilio Lugdunenſi I. Hugo Card. iura Pontificum defendit, 1. 361
In Lugdunenſi 2. ex Ord. Præd. 3. Card. 30. Epiſcopi ingens Theologorum numerus, *ibid.*
In eodem Petrus à Tarantaſia Card. Ord. Præd. Legatum Regis Tartarorum baptiſat, *ibid.*
Huic intereſt Albertus Magnus, & Græcos vincit, *ibid.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [498] - -
PUBLIC DOMAIN

In Viennenſi Dominicani Begardos, & Beguinos confutant, *ibid.*
In Conſtantienſi pro extinguendo ſchiſmate Dominicani laborarunt, *ibid.*
In Senenſi Leonard. Statius Magiſter Ord. Præd. præficitur Legatus, *ibid.*
In Baſilenſi Texerius, Nider, Turrecremata Domini contra Huſſitas pugnant, *ibid.*
In Florentino contra Græcos Dominicani diſputant, 1. 362
In Lateranenſi Cajetanus Leonem X. adiuuit, *ibid.*
In Tridentino ex Ord. Prædicat. Archiepiſc. 6. Epiſc. 17. Theologi 28. *ibid.*
Concilio Tridentino quam inſignes omni ſcientiarum genere Pontifices, & Theologi interfuerint, 2. 308
Coninck, ſententia de immediatâ conuerſione aquæ in vinum refellitur, 2. 41
Conradus Ord. Præd. D. Eliſabethæ à Confeſſionibus, 2. 239
Controuerſiarum ſcriptores, 2. 213
Copeſtein ex Ieſuita Dominicanus, 2. 18
Quibuſdam viſus eſt togam non ſenſa mutaſſe, 2. 19
Cornelius à Lapide ſolidiora deſiderat in Alcazare, 2. 24
Coſmas Morelles falſo accuſatus corrupiſſe D. Thom. in 4. 2. 73
Croeſſi filius ad defenſionem patris vocalis factus, 3
Curielem ſola interpretatio 1. 2. D. Thomæ immortalem fecit, 2. 210
Eiurauit ſcientiam mediam, 2. 418
Rogauit Pontificem ne quid in materiâ de gratiâ definiret, 1. 465
D. Cyrilli locus ex Theſauro à D. Thom. citatus expenditur, 1. 126
Plura ex D. Cyrillo Romanæ Sedis primatum probant, 1. 129

D

DElphinatum Princeps Vmbertus Ord. Præd. Primogenito Regis Galliæ conceſſit, 2. 245
Delrius ſuſpectum habuit Sauanarolam, 2. 89
Dubitatum eſt à multis an expediret eius Diſquiſitiones edi, 2. 163
Nihil in operibus Maluendæ contra Delrium reperitur, 2. 164
Delugo aſſerit non poſſe defendi Scotiſtarum opinionem de ſanguine Chriſti, 2. 35
Ex eius ſententia Deum poſſe in creaturam conuerti videtur, 404
Ad Anguſtias redactus quod negauerit mutuam cauſalitatem, 460
Eius ſubtilitas nemia à nonnullis improbatur, 461
Fatetur præmotionem in tuto poſitam admiſſa mutua cauſalitate, 460
Dermitius Thadeus quam acerbe in D. Thomam ſcripſerit, 1. 28
Dermitium Odericus ſæpius caſtigat, 1. 283
Multa affingit Dominicanis non bono animo, *ibid.*
Deza benigne Columbum excipit, 2. 229
Apparatum & commeatum à Rege Hiſp. Columbo obtinet, 2. 230
Vni Dezæ ex Columbo Reges Hiſp. Indias debent, *ibid.*
Ioannis Principis Reg. Hiſpan. filij præceptor, 2. 229
Dicaſtilli Societ. cum P. Valerij Capuc. concertatio, 1. 13
Eiuſdem ſententia quamlibet calumniam obſui defenſionem eſſe leuem culpam, *ibid.*
Calumnias in ſe ſparſas à Diſcaſtillo Valerius depellit, 1. 14
D. Dominicus Magiſterio & Doctoris laureâ donatus, 1. 360

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [500] - -
PUBLIC DOMAIN

Plures hęreſes proflagauit, 1.361
D. Dominicus ad Bulgaros Cumanos, iter meditatus, 2.226
In Affricam Tunetum, Martochium ſuos mittit, *ibid.*
D. Dominicus primus S. Palatij Magiſter, 2.336
Magiſterium ob merita D. Dominici ſuo Ordini collatum, 2.331
Dominicus de Monteluporum, 2.71
Dom à Soto Caroli V. Confeſſarius, 2.27
In Concilio Tridentino nemo frequentius de ſuâ ſententiâ rogatus, *ibid.*
Donatus à Concilio ſtemmate duabus manibus iunctis vnde flamma emicaret, *ibid.*
Epiſcopatum Segobienſem recuſat, 2.116
Dominicus à Roſario apud Angliæ Reges S. Pontificem pro Rege Hiſpaniæ negotia geſſit, 1.448
Dignitates omnes conſtanter recuſauit, 1.449
Dominici à Roſario commendatio, 2.241
Eius ſumma in ſuggerendis conſiliis libertas, *ibid.*
Extraneus apud Principes Luſitaniæ & Aulicos quantum gratiâ valuerit, 2.242
Archiepiſcopatum Goenſem recuſauit, *ibid.*
Dominic. à Roſario 3. Epiſcopatus, titulum Confeſſarij Reginæ Luſitaniæ recuſat, 2.117
P. Dufour egregiam ſui defenſionem ſcripſit, 1.308
Durandus ſæpius lapſus quod à D. Thoma defecerit, 1.61
Aduerſus ipſum nepos ſcribit ſedens aduerſus fratrem, &c. *ibid.*

E

EBroinus Pictauo. Epiſcopus primus plura habuit Sacerdotia, 2.249
Epiſcopatui Pictauienſi adiunxit Abbatiam S. Germani à Prato, *ibid.*
Eccleſia quam habeat poteſtatem definiendi in quæſtionibus Iuris & Facti, 1.264
Eccleſia definire poteſt qui libri canonici ſint, 2.142

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [501] - -
PUBLIC DOMAIN

Ecclesiæ temporis Apostolorum hanc facultatem Gerson concedit, 2. *ibid.*
Ecclesia fidelium qui viuunt, approbare potest libros Canonicos, 2. 143
Plures libros dubios Canonicis adiunxit, *ibid.*
Elisæus Masini à Bononia author libri *Sacro Arsenale*, 2. 5
Falso refertur iussisse eradi hanc vocem *Geometria*, *ibid.*
Epistolis & Orationibus conscribendis qui excelluerint, 2. 314
Erasmus res omnes sacras ridet & traducit, 1. 10
Plures superioris æui inquit non futuros elingues sæculo Ciceronis, 2 309
Culpat Senecam quod exactius vitia describat, 2. 164
Petrus Esquiuelius pro constituenda Societati Domo Cæsaraugustæ laborat, 2 131
Primam nobilitatem in Cœnobium conuocat & hortatur vt Societati domum construant, *ibid*
Ad publicum Ciuitatis conuentum accedit oraturus pro Societate, *ibid.*
Eucharistiæ accidentia specie tenus esse, falso tribuitur Candido, 1. 33
Defenditur à Gassendo Cartesio, &c. 1. 34
Prohiberur huius opinionis editio à Micha Mazarino, 1. 41
Eymericus falso accusatur confinxisse bullam in gratiam Dominicanorum de Sanguine Christi, 2. 77
Eymerici Directorium quantum valeat apud Quæsitores S. Officij, 2 78
Calumnia in Eymericum quasi confinxerit bullas circa controuersiam de Sanguine Christi, 2. 79
Iussu Gregorij XI. inquirit in errores Lullii, 2. 81
Falsum est bullam suppositisse contra Lullium, *ibid.*
A Francis. Penna commendatus, 2. 82
Si bullam suppositisset non fuisset passus Greg. XIII. edi, *ibid.*
Laudatur ab Oderico, 2. 83
Eymericus S. Pontificis Capellanus, 2. 138
Eymericus Placentinus in Goncil. Lug. Begardorum errores confutat, 1. 61

Fagnanus

F

FAgnanus recedit ab opinione Ritualis Romani, 1. 114
Farnabius marginalibus commentariis in Poëtas vtiliſſimus, 2 316
Faſolus immerito queritur Societatis ſententiam conuitiis peri, 2. 173
Fauſti Regienſis nomen aliquando in Martyrologio ſcriptum, 1. 267
Franciſc. Forerius Ord. Præd. concionandi methodum ex Proph. Iſaïa compoſuit, 2. 221
Primus fuit Secretarius Indicis, 2. 331
Ob eius præclara merita Officium Secretarii Indicis Dominicanis datum, *ibid.*
Foſcararius iuſſu Pontificis exercitia D. Ignatii recognoſcit, 2. 155
Ea plurimùm commendat, vt ex Scripturarum ſtudiis & longo rerum vſu nata, *ibid.*
D. Franciſcus quantum à Petro Alua laudetur, 1. 68
D. Franciſcus vni ex ſuis D. Thomæ doctrinam commendat, 1. 136 & 2. 93
D. Franciſci ſtigmata nunquam à Dominican. negata, 309
D. Franciſ. à Paulâ illuſtre de Sauanarola teſtimonium, 2. 90
D. Franciſcus Saleſius corpus ſuum Chirurgis teſtamento legauerat, 2. 102
Franciſci primi Galliarum Regis de Ord. Prædicat. elogium, 2. 223
D. Franciſci Boſquet Epiſc. Monſpelienſis Epiſtola de Dominican. ſtudio in conuertendis Iudæis, 2 2 9
Fratricelli hæretici qui fuerint, 2. 107

G

GAbriel Coſmanus author pacis inter Carolum V. & Franciſcum, 2. 117

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [503] - -
PUBLIC DOMAIN

Galatini opus desumptum à Raymundo de Martinis, 2. 151
Gassendi sententia accidentia Euchariſt. esse solum specie tenus, 1. 34
Georgius Dominicanus Archiepiscopus Antiuarensis, 2. 70
Gerson plurimum indoluit discessioni Dominican. ab Vniuersitate Parisiensi, 2. 61
Deflet iacturam spiritualem quod Dominicani à Concionibus cessassent, *ibid.*
Quod pro Dominicanorum reconciliatione laboraret quidam indigne ferebant, 2. 62
Facultatem approbandi libros Canonicos solum Ecclesiæ tribuit tempori Apostolorum, 2. 142
Geusiorum rebellio male in inquisitionem Dominica refertur, 1. 307
Godefredi de veste Christi è cælis missâ versus, 2. 20
Nihil habet eius opus inscriptum Pantheon reprehensione dignum, *ibid.*
Gondrani Oratorii Præpositi de humilitate præclarum monitum, 2. 258
Gothofredus à Bellouisu D. Ludouici Confessarius, 2. 239
Grabon Concilij Constantiensis censuræ paruit, 1. 63
Granados in explicanda Conceptionis sententia singularem init viam, 1 77
Existimat Deum debere semper conuenientiora eligere, *ibid.*
Granatensis Asceticorum scriptorum parens, 2. 211
Concionatorem absolutum Hispania vidit in Granatensi, 2 17
Dolebat quidã religiosus non fuisse sui instituti, 2. 212
Plures Episcopatus recusauit, 2. 117
Grauinæ cum Bellarmino contentio intra modestiæ Christianæ metas, 2. 162
Marcum de Dominis confutat, 1. 362
Eius sententia de infallibilitate Cleri Romani, 1. 426
Gemitui Columbæ Bellarmini respondet voce turturis, 1. 427
Consilium responsionis Grauinæ, *ibid.*
Gregorius Donatus defenditur, 1. 326
Grisaldus perperam Anachronismi accusatus, 2. 23

Grotius vir eruditissimus Poësi excellit, 2. 315
De Christo patiente, de lacrymis Petri Poëmatum author, *ibid.*
Epitaphium Richelii Grotio tribuitur; *ibid.*
P Bernardus Guiard contra Ianſenium ſcripſit, 1. 308
Guicciardinus author interdum moroſior, 1. 418
Guillelmus à Fano amoris Ord. Præd. impugnat. 2. 249
Guillelmus Pariſienſ. Epiſcopus de vnitate Beneficiorum controuerſiam iubet diſputari, *ibid.*
Ad hanc Controuerſiam 3 Dominicani vocati, *ibid.*
Guillel. Cortetus in Iaponiâ Martyr, 2 233
Guillelmus Parui iudicio Budæi & Eraſmi celeberrimus, & literatorum Mœcenas, 2. 39

H

Petri HAllois de Origene defenſo liber prohibitus, 1. 430
P. Harney erudite aduerſus Aluam ſcripſit, 1 117
Hæreſis calumnia nunquam ferenda, 1. 22
Hæretici Scripturæ ſenſum Anagogicum non capiunt, 2. 312
Literalem plurimum illuſtrarunt, *ibid.*
Henricus Kalteſein Bohemos triduanâ diſputatione in Concilio Baſil. conuincit, 2. 241
Henrici à Gerâ author hæreſis pauperum de Lugduno, 1. 295
Herluini Abbatis reuelationes de Concep. B. V. quæ? 1. 39
Hiacinthus Pandulphius Cardinalis Medices Confeſſarius & Theologus, 2. 7
Hieron. Sauanarola inſons probatus vindicta quam de 80. aduerſariis Deus ſumpſit, 2. 88
Prædixit Philippo Cominæo quæ obuentura eſſent, 2. 89
Perperam Delrius eum ſuſpectum habuit, *ibid.*
Eius vitam conſcripſit Picus Mirandulanus, *ibid.*
Ipſum vindicat Guicciardinus, 2. 90
Hiſtoriarum Scriptoris leges, 2. 196
Hiſtorici celebres tum ex Societate, tum alij 2. 313

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [505] - -
PUBLIC DOMAIN

Primas obtinet ex Iouio Philippus Callimacus, 2.314
Ex Lipsio historiæ modernæ Princeps Æmilius, *ibid.*
Hogostratus Capnionem Reuclinum impugnat, 2.151
Hugo Cardinal. leprâ potius quam purpurâ tectus vitam finire optasset, 2.116
Author Concordiæ Bibliorum, 2.223
Scripsit in vniuersam Scripturam, *ibid.*
Hugo à Sancto Theodorico leges præscribit Carmelitis calceatis, 2.124
Humberti ad Albertum M. Epistola quâ monet vt Episcopatum recusset, 2.118
Hurtadus Dominican. Episcopatum Toletanum recusat, 2.116
Thomas Hurtado egregie Theophilum confutat, 1.495
Notat hæresis Ætianæ, Lutheranæ, &c. 1.497
Controuersia Hurtadi cum Theophilo breuis complexio, *ibid.*

I

Ianinus refert primo sæculo omnes Societatis fere beatis accensendos, 1.29
Ianseuius à pluribus Thomistiis impugnatus, 1.308
Ianseuij Censuræ ne Dominicani intercederent rogati à PP. Societatis, 1.456
Ianseuismi victoria Dominicanis tribuenda, 1.307
P. Ianssens erudita Apologia Aluæ respondit, 1.173
Iaponum persecutio duorum Apostatarum consiliis accensa, 1.29
D. Ignatius quam impense laudatus, 1.337
D. Ignatium aliquando fuisse Benedictinorum discipulum quidam scripserunt, 2.103
Ori Quæsitor Parisiensis D. Ignatium ad suum tribunal delatum defendit, 2.130
Ipsius exercitia probat Mancius Dominican. 2.134
D. Ignatium à furore auditorum eripit Mathæus Ori, 2.154
Liber exercitiorum verum D. Ignatij opus non Garciæ Benedictini, 2.155

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [506] - -
PUBLIC DOMAIN

Iussu Pontificis exercitia recognoscit & probat Foscarius, *ibid.*
Ori testimonio D. Ignatius in Hispania sese tutatur, 2. 131
Apparitio in qua D. Ignatio Christus dixit vobis Romæ propitius ero à S. Congregatione reiecta, 2. 184
Innocentio III. seu Lothario male plura Opuscula D. Thomæ tribuuntur, 1. 227
Innocentius V. Pontifex Ord. Prædicat. 2. 253
A D. Malachia prænuntiatus nomine Concionatoris Galli, *ibid.*
Vir sanctitate, eruditione, pulchritudine laudandus, *ibid.*
Ioannæ Papiffæ fabula male ad Martinum Polonum Dominicanum authorem refertur, 1. 300
Nec primus fuit author Martinus Polonus Cisterciensis, *ibid.*
Ioannis à Lausanna Episcopi de Christo patiente comparatio explicatur & defenditur, 2. 12
Ipsum Alphonsus à Castro impense laudat, *ibid.*
Ioannes à Montesono doctrina & zelo in Apostol. Sed. insignis, 2. 59
Graues habuit cum Parisiensib. Doctoribus contentiones, 2. 59
Eiusdem propositiones tota Familia S. Iacobi defendit, 2. 60
Ioan. à Podio Magister General. Ord Præd. in Concilio Pisano constitutus Iudex Benedict. 13. Pontificatu abdicauit, 2. 246
Ioannes à Sancto Thoma par subtilitate & dexteritate in tractandis negotiis, 1. 447
Episcopatum recusauit, 2. 117
Ioannes à Sancto Thoma Confessarii Regis munus inuitus suscepit, 2. 240
Ioann. Curtius Ord. Præd. celeberrimus Concionator. 2. 238
Ioan. Dominici Ord. Præd. Schismatico Pontifici persuasit vt pacem Ecclesiæ redderet, 2. 246
In Concilio Constantiensi Ioan. Dominici Ord. Prædicat. nomine Gregorii cessit Pontificatu, 2. 246
Ioannes Annius Ord. Præd. omni genere scientiarum

ornatiſſimus, 2. 58
Ioan. Entrega Reg. Hiſp à Confeſſionibus hortatur ad expeditionem aduerſus Sarracenos, 2. 237
Ioan. Feri Concionatoris Moguntini opera à Tridentino prohibita, 2. 173
pro Fero Medinæ Apologia contra Domi. Soto etiam damnata, *ibid.*
Ioan. la Haye Franciſcanus male aſſerit plura D. Tho. mutuatum ab Alenſi, 1. 222
P. Ioan le Ieune cognomento *cæcus* inſignis Galliæ concionator, 2. 193
Quorumdam in ipſum liuor, quod Granatenſem & Roſarium commendaret, 2. *ibid.*
Ioan. Maria Braſickellenſis merito plures propoſitiones eâ proſcripſit, 2. 430
Ioan. Nider Ord. præd. exaſperatos Bohemos compeſcit, 2. 247.
perſuadet legationem 500. hominum ad Concilium, *ibid.*
Ioan. penna Dominic. contra Canum Societatem defendit, 2. 134
Ioan. porrens Ord. præd. Legatus in Angliam & Concilium Conſtantienſe, 2. 237
Ioan. Raguſinus Ord. præd. Concil. Baſileenſe aperit, primæ præeſt ſeſſioni, Bohemos confutat, 2. 247.
Ioan. Rho in Conſtantinum Caietanum è ſcripta, 2. 103
Ioan. Rho libri prohibitio, 2. 187
Ioan. Saliſburgenſis egregium opus de nugis Curialium, 2. 23
Ioan. Vincentinus Ord. prædicat. miraculis clarus traductus à Theophilo, 2 553
Laudatur maxime ab Oderico, 2. 86
Rogatus à Gregorio IX. vt conciliandis Florentinis & Senenſibus laboret, *ibid.*
Decem mortuos ſuſcitauit, 2. 97
A quibuſdam dum viueret, laceſſitus, 2. 88
Ioannis Vincentii de gratia ſanctificante ſententia, 1. 422
Iordanis II. Apophtegmatata & Feſtiuum ingenium, 1. 257

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [508] - -
PUBLIC DOMAIN

In monendo Frederico Imperatore libertas, 1. 258
Ioſephus de Voiſin Galatini opus Raymundo Martini authori reſtituit, 1. 215

L

LAcerda egregia in Tertullianum commentaria edidit, 2. 316
Labbata inſigni falſatione D. Vincentium Ferrerium corrupit, vt probaret piam Conceptionis ſententiam, 2. 67
Guillielmus Lamarenſis corruptorij author, 1. 221
Latinus Cardinal. Ord. Præd. Pontificatum recuſat, 2. 251
Latini Cardinalis opera Cæleſtinus V. Pontifex renuntiatur, 2. 256
Launoij dotes & indoles, 1. 119
Plura longâ traditione recepta impugnauit, aduentum D. Dionyſij, D. Magdalenæ in Gallias, &c. 1. 111
Præpoſtere explicat D. Thom. Opuſculum contra errores Græcorum, 1. 122
Locum D. Cyrilli male ſuppoſititium & falſum probat, 1. 125
Contradictionis & ignorantiæ in re Logicâ D. Tho. accuſat, 1. 130
Plura contra Romanæ Sedis primatum congerit, & refelluntur, 1. 135
Promouet Caluiniſtarum cauſam recenſendo Pontificum culpas, 1. 139
Multa congerit quæ nihil ſuæ cauſæ faueant aut noceant Pimatui Petri, 1. 145
Caietanum Bellarm. Baron. tanquam palpatores curiæ Romanę traducit, 1. 150
Contra Launoium de argumento negatiuo egit Ioan. Bap. Thiers, 1. 92
Laynes & Salmeron in Concilio Trident. 2. 120
Thom. Lemos miracula vera non conficta, 2. 96
Leonardus Marinus Barnabitis regulas præſcribit, 2. 114

Leonardus Ord. Præd. inter Martini electores ad Concilium dimittendum electus, 2.247
Idem in Concilio Papiensi præfuit Legatus Martini V. *ibid.*
Leonis Allatii cum Constantino Caietano pugna, 2.103
Lessij sententia de æquiuocationibus licitis, 2 46
Lessius rationem humanam fidei videtur sociam facere, 2.157
Non soli Dominicani sed tota Academia Louani. Lessio intercedit, *ibid.*
Reticentiis & æquiuocationibus nimis indulsit, 2 158
Parum Augustino addictus, *ibid.*
Litterarum humaniorum restauratio & progressus ex capta Constantinopoli, 2.308
Lorca explicationem Cani de concione D. Stephani defendit, 1.335
Lucianus de Mysteriis religionis ludit, 1. 10
Ludolphius ex Dominicano Carthusianus, 1. 351
Ludouicus Alcazar non admodum solida habet, 2. 24.
Procancellarij Verrij de illo iudicium, *ibid.*
Nec Cornelio à Lapide satis probatur, *ibid.*
De Ludouico Bauaro Dominicanis infenso, 2.248
D. Ludouicus Bertrandus Societatem nascentem commendat, 2.132
Ludouic. Syderei liber prohibitus, 2. 181
Ludouic. Viues parum aberat à sensu Erasmi, 2 152
Huius Annotationes in D. August. prohibitæ in Indice, 2.153
Lullius sæpius apud Greg XI. accusatus est hæresis, 2.81
Sparsit libros plusquam quingentis erroribus contaminatos ex Galterio, *ibid.*
Erro per Europam sæpius apud Dominicanos morabatur, 2. 85
Lullius accusationibus opportunus, 2. 37
Omnium scientiarum fundamenta labefactauit, *ibid.*
Contra Lullium Eymericus post 20. iudicum examen pronuntiat, *ibid.*
Linguæ Latinæ rudem quidam mercatorem faciunt, 2.138
Lutheranæ hæresis initia male Dominicanis tribuuntur, 2.306

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [510] - -
PUBLIC DOMAIN

Lutheri hæresim primi Dominicani impugnarunt, 1. 362
Lutherus ab Echio victus, hæc causa, inquit, non est propter Deum suscepta, &c. 1. 16
Ipsum cum Zuinglio conciliare Bucerus tentauit, 1. 66

M

MAffæi cum Osorio collatio, 2. 314
D. Magdalenæ beneficio Carolus II. exemptus carcere, 2. 94
Magister Sententiarum corruptus ad probandam piam de Conceptione sententiam, 2. 67
Magistri S. Palatij, 2. 336
In gratiam Turrecrematæ Magisterium S. Palatii iuribus auctum, 2. 341
Maldonatus Soti discipulus, 2. 17
Maldonatus à Scaligero perperam accusatus, 1. 138
Mallet de Viri illustribus S. Iacobi scripsit, 2. 60
Mancius Dominican. D. Ignatii exercitia approbat, 2. 135
Manutius Catechismum latinitate donauit, 1. 273
Mariales multo moderatior Theophilo, 1. 453
Pauca in eius operibus proscripta, 1. 454
Prouocatus à Baeza scripsit quæ minus Societati fauent, 1. 466
retundit calumniam Potzæ, 1. 469
Marcus de Dominis Apostata edidit historiam Pauli Soaue, 2. 24
Leonardi Marini dotes, author Catechismi Romani, 1. 15
R. P. Ioan. Baptist. De Marinis General. Præd. lacessitur à Theophilo, 1. 14
Eiusdem dotes, genus studia, 1. 15
Nullas in gratiam Iansenistarum litteras scripsit, 1. 32
Martinus Polonus alter Dominicanus, alter Cistercienſis, 1. 300
Cistercienſis author est fabulæ Ioan. Papissæ, 1. 301

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [511] - -
PUBLIC DOMAIN

Martyrologium Romanum sæpius emendatione eguit, 1. 266
In ipsum immissa olim nomina Luciferi Calaritani, & Fausti Regiensis hæreticorum, 1. 267
Mathæus Ori Dominic. D. Ignatium defendit, 2. 79
Mathæus Ori Exercitia D. Ignatij in latinum conuertit, 2. 105
Mathæus Parisius petulantis linguæ scriptor hæreticis præluſit, 2. 199
Maſcharenhas nihil à Dominicanis paſſus, 2. 174
Nepotem habuit Dominicanum, *ibid.*
Elias Maſſinus Quæſtorum S. Officii alter Cuiacius, 1. 277
Michaël Mazarinus opinionem quod accidentia Euchariſtiæ ſolum ſpecie tenus ſint, edi prohibet, 1. 41
Melchioris Moſticenſis Dominic. ingreſſu in Poloniam hæreticos prohibet, 2 220
Meandi Comediæ principis egregium dictum, 2. 6
B. Ioan. Mico Societatem vindicat à maleuolorum obtrectationibus, 2. 133
Miſſiones Dominicanorum ad Infideles, 2. 225
Ad Cumanos, Bulgaros properant, 2. 226
Vt ad Barbaras Gentes mitterentur commune omnium votum, *ibid.*
Tunethum, Marrochium à D. Dominico miſſi, Regem conuertunt, *ibid.*
Armeniam perſidem penetrant, Armeniæ Epiſcopi, 2. 217
Ad Sinas peruenerunt, vbi à Luſitanis reperti, *ibid.*
In Æthiopia Dominic. Conuentus frequentiſſimi, *ibid.*
In India 8. Prouinciæ Dominicanorum, quarum vna 29. Conuentus habet, & ſolius Limenſis Conuentus alumni 530. 2. 228
Occidentales Indias primi Benedictini ingreſſi ſunt, 2. 230
Indias Mexicanas Franciſcani primi penetrarunt, 2. 231
Iaponum D. Xauerius primus Apoſtolus, *ibid.*
In Congo Dominicani miſſi Prædicandi Euangelii cauſa, 2. 232

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [512] - -
PUBLIC DOMAIN

In expugnatione Goensi Dominicanus elatâ cruce militibus præibat, 2. 222
Americæ primus Pastor ex Ord. Præd. *ibid.*
Insula pacis ita nuncupata quod sola prædicatione Dominicanorum occupata, *ibid.*
In Peruano Regno Episcopi ex Ord. Prædicatorum, *ibid.*
In Iaponiam nouem Dominicani ingressi, *ibid.*
Imperator Monomotapa studio Dominicanorum conuersus, 2. 234
Ad Regem Armeniæ Bonauentura Paruus Ord. Præd. formulam fidei defert, *ibid.*
Ad Tartaros, & Æthiopas à Ioan. XXII. missi, *ibid.*
Dominicano. opera in Sina Regis Tartarorum conuersio, 2. 235
Molina D. Augustino parum defert, 1. 366
Contendit male explicasse illud Apostoli, *vult omnes*, 1. 367
Male scientiam mediam defendit, 1. 475
Molina posterioribus editionibus à suis castigatus, 2. 40
Scripsit aliquando suam de Gratia sententiam ignotam fuisse D. Augustino, *ibid.*
Molina gratiæ efficaciam non omnino seruat, 2. 159
Emendatione priuatâ publicam effugit, *ibid.*
Ait Molina se Authorem sententiæ quæ Augustinum latuisset, *ibid.*
Molinam non iniuriâ delatum ad Pontificem inquit Baeza, *ibid.*
Moniales Virgines Ord. Prædicatorum nobilissimæ, 2. 252
Ex Valesiâ Familiâ Principes virgines quatuor, *ibid.*
Quatuor etiam ex Borboniâ, *ibid.*
Monasterium Possiacum Ord. Prædicat. celeberrimum, 2. 252
Iulianæ Morell. Monialis Ord. Præd. commendatio, 2. 326
Linguas Hebraïcam, Chaldaïcam, Syriacam, Græcam, &c. callet, *ibid.*
Anno 12. Theses ex Philosophia propugnat, 2. 327

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [513] - -
PUBLIC DOMAIN

Multa erudite scripsit, 2. 328
Summa eius humilitas, & mundi contemptus, *ibid.*
Moysem Gerundensem Paulus Christianus Barcinone coram Rege vicit, 2. 116
Muretus post Ciceronem cæteris purius scripsit, teste Hensio, 2. 374

N

Ioannes à Neapoli maligne à Theophilo carpitur, 2. 399
Eusebij Nierembergij Anagrammati ex Alexandri nomine aliud repositum, 2. 114
Eiusdem liber de Vita D. Ignatii prohibitus, 2. 180
In eius gratiam Ludo. de Aro Romam scripsit, *ibid.*
Mendosus liber iudicio Lesanæ, 2. 181
P. Nicolai sæpius à Launoio lacessitus, 1. 137
Eiusdem annotatio de mente D. Thom. in materia Conceptionis B. Virg. 1. 279
P. Nicolai operâ Propositiones Iansenij ab Vniuersitate Parisiensi damnatæ, 1. 308
Nicolaus à Freauuilla Card. Ord. Præd. Philippo pulchro solemni pompa 3. filios equitum insignibus donanti Antistes adfuit, 2. 245
De Nicolao Burgundo, 1. 313
Eius innocentia defenditur, *ibid.*
Contra ipsum falso citatur Syluius, 1. 325
Nihil contra Eugenium molitus, 1. 314
Nicolaus Coëffetæus linguæ Gallicæ plurimum contulit, 2. 213
Delectus est à S. Pontifice vt Ant. de Dominis confutaret, *ibid.*
Angliæ Regi respondit, & suâ modestiâ etiam placuit, 2. 214
Nicolai Iansenij dictum, D. Paulum in Scholas D. Thom. ingressum, & quo sensu, 331
Nicolaus Iansenius Bzouii vindicias suscepit, 2. 243

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [514] - -
PUBLIC DOMAIN

Nicolao Roſello iniunctum à Clem. VI. vt inquireret contra aſſerentem ſanguinem Chriſti fuiſſe ſeparatum à diuinitate, 2. 80
Nicolai Triuet in libros de Ciuitate commentarius defenditur, 2. 24
Nidhardus certitudinem infaillibilem ponit, quæ nec ſit fidei, nec ſcientiæ, 2. 43
De P. Nidar dicta retractantur, 1. 514
P. Nolanus, 1. 308
Nouarini opus de Vitâ Mariæ in vtero S. Annæ prohibitum, 2. 181

O

Odericus ab Eymerico calumniam depellit de ſuppoſitiis Bullis, 2. 85
Commendat Ioann. Vincentinum Dominican. clarum miraculis, 2. 86
Fratricelles Pſeudominoritas vocat, 2. 107
Oleaſter antiquorum PP. authoritatem conſecutus eſt, 2. 223
Scripſit in totam Scripturam quæ alij euulgarunt, *ibid.*
Oleaſtri commentaria in Scripturam alius ſuo nomine euulgauit, 2. 66
Epiſcopatus recuſat, 2. 117
Ordo à mercede Captiuorum parentem habet D. Raymundum, 2 122
Ordinis Barnabitarum Regulas Leonard. Marinus inſtituit, 2 24
Carmelitarum diſcalceatorum Ordinem plurimum Dominican. iuuerunt, *ibid.*
Ordinem Matris Dei Paulinus Bernardinus iuuit, 1. 125
Ordinis ſeruorum B. Virg. Regulas Petrus Martyr examinauit iuſſu Innocentii IV. 2. 123
Ordinem Sylueſtrinorum Thimotheus Bothonus reformauit, 2. 114
Ordinis Theatinorum D. Parentem Dominicanus conſilio adiuuit, 2. 130

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [515] - -
PUBLIC DOMAIN

Orlandini Societatis Historici plura testimonia humanitatis Dominicanorum in suos, 2. 131
Osorij cum Maffæo collatio, 2. 314
P. Dominici Ottomani vindiciæ, 2. 350

P

PAgninus Hebraice ipsis Rabinis doctior, 2. 211
Lugdunum ab erroribus Lutheri seruauit, *ibid.*
Exequiæ tanquam omnium parenti persolutæ, *ibid.*
Paiua refert Tridentinum suspendisse definitionem ad expendendam D. Thomæ doctrinam, 1. 187
Paiua Andrada Lutheranos lacessit, & Chemnitium prouocat ad certamen, 1. 308
Palauicinus Canum commendat, 1. 292
Eiusdem opus Aureum vocat, *ibid.*
Paleologus incertum cuius fuerit ordinis, 1. 66
Resipuit, & multa scripsit alterius nomine euulgata, *ibid.*
Parmensis inquisitor defenditur, 1. 32
Paulus Æmilius historiæ modernæ princeps, 2. 314
Eundem sæpius Mariana imitatur, *ibid.*
Paul. Burgensis Iudæus lectione quæstionum D. Thom. de lege veteri ad fidem conuersus, 2. 217
Paulus Christianus Moysem Gerundensem Rabinorum doctissimum vicit, 2. 216
Rabinum Montastruc conuicit, 2. 218
Ioannis XXII. Bulla contra Pauperes de Lugduno, 1. 295
Pauperum de Lugduuo author, & historia, *ibid.*
Dermitius perperam hæreticos Pauperes de Lugduno excusat, *ibid.*
Franciscani plures studio paupertatis in errores lapsi, 1. 196
Quæ Bzouius refert de Pauperibus de Lugduno confirmantur, 1. 294
Peccati Originalis notio, 1. 75
Peccatum dupliciter sumitur pro actu & pro statu, 1. 74
Vtrumque reatum habet, quod voluntarium sit, *ibid.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [516] - -
PUBLIC DOMAIN

Voſuntarium eſt voluntate capitis, *ibid.*
Petrarcha Poëta licentius ſcripſit, 2.141
Politianus Epiſtolis ſcribendis vix parem habet, 2.315
Pennæ hiſtoriæ cenſura à Dominicanis recipitur, 1.464
Quæ Penna narrat traditione conſtant, 1.465
Pennæ magis quam credendum quam Ripaldæ, &c. 2.163
Pennæ hiſtoria quæ referuntur, etiam traditione publicâ nota ſunt, 2.169
Cardinalis Perronius accurate, primatum Petri defendit, 1.145
In duobus eius replicas capitibus refellendis annis 18. Bandellus laborauit, 1.163
Perronius quâ ratione dixerit Caluiniſtas ſubſcripturos ſententiæ Thomiſtarum, *ibid.*
Petronij vindicias Abbas Sancyranus ſuſcepit, *ibid.*
Infortunium Poſſiaci colloquii reparauit, 1.166
Petauius de Gratia cur non ſcripſerit, 2.172
Petrus Iammi vindicatur à calumnia multa inſeruiſſe operibus Alberti Magni, 2.57
P. Leonardus Henſen Author congeminatæ vocis turturis, 2.230
D. Petrus Martyr Commiſſarius Inquiſitionis, 2.331
Petrus à S. Romualdo parum beneuolus in Dominic. 2.196
perperam librum Euangelii æterni Dominicanis tribuit, 2.198
D. Petrum Martyrem falſo dicit improperaſſe ignorantiam Ciſtercienſibus, *ibid.*
poſt Scoti mortem ſcriptam falſo dicit Bzouium ſcribere prohibitum, 2.199
Petrus à Tarantaſia eruditione ſanctitate illuſtris, 2.253
Philiarchus à Theophilo corruptus, 1.28
Philiberti Marchini opus de bello Diuino prohibitũ, 2.182
Philippus Gallimachus primas inter hiſtoricos obtinet teſte Iouio, 2.314
Philippi Cominæi hiſtoria digna quæ ab omnibus Alexandris legatur ex Lipſio, 2.89
Hanc Carolus V. inſtar Breuiarij Imperat. habebat, *ibid.*
Commendat ſanctitatem Sauanarolæ, *ibid.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [517] - -
PUBLIC DOMAIN

Philippus Coſpeanus optimus è Concionatorum 2.17

Philippi II. Hiſpaniarum Regis præceptor Carranza, 2.237

D. Philippus Nerius ne libri Sauanarolæ prohibeantur Orat. 2.90

Picus ob Cabalæ ſtudium à quibuſdam accuſatus, 2.150

Religionem Dominicanorum vouit, eorum veſte ſepultus, *ibid.*

E Cabala pro fide argumenta deprompſit, 2.178

Pius V. exercitum in Galliam contra hæreticos mittit, 2.255

Eius precibus impetratum auxilium cæleſtium equitum pro Rege Galliæ, *ibid.*

300. militum audaciam oratione compeſcit, 2.272

Quâ conſtantiâ Quæſitoris munus obierit, *ibid.*

Epiſcopus inuitus creatur, 2.264

Cogitabat de abdicando Pontificatu exemplo Cæleſtini, 2.265

Pius V. paupertatis votiuæ ſtudioſiſſimus, 2.272

De Pij V. virtutibus, tum Cœnobitæ, tum Pontificis, 2.268

Fuſior Pij V. virtutum commendatio, 2.262

Ita iniurias beneficiis compenſabat, vt aliquando iuuaret Pium offendiſſe, 2.278

Suâ humanitate Sixtum Senenſem ad meliorem mentem reuocauit, 2.281

De rerum magnitudine quæ Pius V. breui tempore peregit, *ibid.*

Quid in expellendis impudicis mulieribus egerit, 2.284

Obſtinatiores defunctus conuertit, 2.285

Melitam multâ vi pecuniarum iuuat, 2.286

Pius V. in Pruſſiâ Religionem reſtituit, 2.287

Eiuſdem beneficia Poloniæ collata, 2.288

Philippus II. tria Pio V. accepta referebat, victoriam de Turcis, Regni hæredem, in summâ ſiccitate fluuium, *ibid.*

Societatis apud Iapones & Sinas confirmat priuilegia, 2.289

De Gallia optime meritus, 2.290

Caroli

Caroli IX. Regis Gall. in Pium V. gratus animus, 2.291
Pij V. elogium à Sixto positum, 2.293
Carmina Sirleti Card. in Pij cõmendationem, 2.294
Carranzam Pius V. Romam perduci iussit, & cum eo summo iure egit, 2.290
Palatium S. Officii extruxit, 2.331
Pij V. ante Pontificatum quanta libertas in dicenda sententia, 1 254
Expensas Conuiuii anniuersarii in Eleemosynam commurat, 1 255
Negat licere Mantuæ & Etruriæ ducum filios pueros Cardinales creari, *ibid.*
Zelum miratur Cardinalis S. Angeli, 1. 256
Pontifex Cardinales plurimum fecit qui suæ sententiæ obsistebant, 1.257
Nebulonem maledicum absoluit quod se vt priuatum hominem lacessisset, 1 261
Probabiliorem putat D. Thom. sententiam de voto solemni, & negat dispensationem, 1.281
Pius V. instaurator sacrorum numismatum, 1. 372
Eiusdem miracula & testes miraculorum, 1. 313
Quàm fuerit ab omni simulatione alienus, 2. 49
Oratores volebat ad se mitti qui sincere res perage-rent, *ibid.*
Noluit Marianum latronum anteſignanum per insi-dias ex simulata amicitiâ capi, *ibid.*
Leue mendacium in Nepote seuere castigauit, 2. 50
Canonisationem Pij culpâ Dominican. interruptam temere dictum à Theoph. 2. 95
Pius V. bonis venerationi, malis terrori esse dixit Ge-nebrardus, 2. 96
Pij preces plus sibi nocuisse quam Christianorum ar-ma testati Solimanus & Solinus, 2. 97
Admirationi fuit Elizabethæ Anglæ, Ioannæ Nauarræ, &c. *ib.*
Datum esse à Dæmone vt Catholicos falleret, dictum ab hæreticis, *ibid.*
Plura & ingentia Pij V. miracula, 2. 98
Pij V. imagines ex telâ & chartâ ab incẽdio seruatæ, *ib.*
Armandi Borbonij de Conti vxorem principem mi-raculo sanat, 2. 99
Quàm alienus ab Ambitu dignitatum; 2 119

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [519] - -
PUBLIC DOMAIN

Ronſardo gratias egit quod pro Religione ſcripſiſſet; 2. 126
Societati Baſilicam Vaticanam S. Petri concedit, 2. 135
Vix parem habuit in adminiſtrandâ Eccleſiâ, 2. 250
Oſtendit poſſe Imperium Turcarum vinci, *ibid.*
Plagium vi nominis aut vſu quid ſignificet, 1. 231
Poëtæ celebriores, tum è Societate, tum alij, 2. 315
Poëticæ laus: imaginationem excolit, 2. 141
Pontius Legionenſis prædeterminationes phyſicas defendit, 1. 418
I. Pontius de cognitione rerum in eſſentiâ vt causâ male quæſtionem nominis vocat, 1. 443
Poſſeuini de Scoto elogium eius libros eſſe abſque vllo erroris nævo, 1. 182
Potza damnatus Romanæ cenſuræ interceſſit, 1. 431
Imprudenter aſſerit D. Thom. vitiatum vbi agit de Conceptione B. Virg. 2. 64
Elucidarium Potzæ damnatum, 2. 66
Immerito à ſuis commendatur, 2. 184
Apologiæ in eius gratiam editæ, aut edendæ prohibentur, *ibid.*
Potzæ in inquiſitiones Hiſp. Rom. S. Pontificem contumacia, 2. 185
Præceptores Principum & Confeſſarii ex Dominicanis plures, 2. 235
Conuentus Camberacenſis 18. habuit Confeſſarios Ducum Sabaudiæ, 2. 237
Apud Philippum Bonum plurimùm gratia valuerunt Ioan. Sagnotius, Petr. Flori, *ibid.*
Hiſpaniarum Regum à Confeſſionibus vltra 47. *ibid.*
Regum Luſitaniæ Confeſſarii ex Ord. Præd. 14. *ibid.*
Regum Poloniæ viginti, *ibid.*
Regum Galliæ ſexdecim, *ibid.*
Ioan. Principis Regum Catholicorum hæredis præceptor Deza, *ibid.*
Antonii Ludo. Infantis ex Luſitania vnigeniti Barth. à Martyribus, *ibid.*
Henrici ſecundi Galliarum Regis Concionator, & Confeſſarius Ioan. Curtius, 2. 239
Regum Aragoniæ D. Raymundus Confeſſarius, *ibid.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [520] - -
PUBLIC DOMAIN

D. Ludouici Confessarius Gotofredus à Bello-visu, *ibid.*
Ludouici XII. Ioan. Clarea, 2. 240
Francisci Guillelmus Paruus Episcopus Trecensis, *ibid.*
Annæ Caroli VIII. vxoris Yuo Episcopus Redon. quem Britanni cultu priuato colunt, *ibid.*
Prædeterminatio Physica à D. Chrysostomo tradita, 1. 341
In tuto posita si admittatur mutua causalitas teste Delugo, 1. 460
Ipsi multum fauet Bellarminus, 1. 460
Prædicatorum Ordo. 1. 461
Pauciores habuit Apostatas quam alij Ordines, 1. 65
Et minus fuerunt Ecclesiæ infensi, 1. 66
Habuit Cardinal. 50. Archiepiscop 600. Episcoporum vix numerus iniri potest, 1. 243
Rosarium habet tanquam patrimonium ex Nauarro, 1. 244
Obsequiis in Ecclesiam & Pontifices nulli Ordini cedit, 1. 250
Quanta à Frederico II. & Ludouico Bauaro perpessus sit, *ibid.*
Habet pro insignibus *lucere & ardere*, 1. 252
Vocatur *Ordo veritatis* à Ludouico Bauaro, *ibid.*
Zelus & libertas in arguendis Magnatibus, 1 257
Prædicatorum Ordo vocatur à Baronio seminarium SS. 1. 315
Ab Alexand. IV. impense laudatus, 1. 358
præcipuas habet Ecclesiæ dotes, *ibid.*
Ipsius nullus Magist. General. nomen habuit Dominici, vt nullus Ecclesiæ pontifex Petri, 1. 359
Eius Constitutionum obseruantia loco miraculorum ad solemnem Canonisationem, 1. 363
Quibus inuentis pietatem Christiànam iuuerit, 1. 311
Primi Dominicani conciones quadragesimales instituerunt, *ibid.*
Concionatores veteres defenduntur, 2. 10
Concionandi artem reuocarunt Dominicani Granatensis, Lanuza, &c.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [521] - -
PUBLIC DOMAIN

Præd. Ordo paucas habet domos in Bauaria propter defensam sedem Apostol. contra Ludouic. Bauarum, 2. 26.
paucas item in Lotharingia quod Diuus Vincentius Ferrerius Regnum Aragon. Lotharingo non adiudicauerit, *ibid.*
Dominicani ex institutione suæ Scholæ ab æquiuocationibus & mendaciis alieni, 2. 46
Ætate Sabellii habuerunt mille quingentos Theologiæ Magistros, 2. 53
Nulli Ordini contigit felicior electio ad Magisterium cum D. Raymundus, Albertus M. Hugo à S. Charo concurrebant, 2. 54
Diuorum Ordinis prædicat. ingentia miracula, 2. 84
Conciliabulum pisanum Dominicanis promittebat, si à se starent, Sauanarolam inter Diuos se relaturum, 2. 91
Constantiæ & fidei in Sedem Apostol. egregium testimonium ex Conciliabulo pisano, *ibid.*
Conuentus plures habet inter Abyssinos, 2. 94
Dominicanorum à dignitatibus fuga confirmatur, 2. 116
Charitatis in alios plura exempla, 2. 192
Præd. Ordinis plura in Galliam officia, 2. 127
Non longe à nostra ætate ad Confessiones Regum admissi Dominicani, 2. 128
Eboræ concionandi ius Franc. Borgiæ Societatis Dominicani cesserunt, 2. 133
præd. Ord. cum Franciscanis amicitiæ plures causæ, 2. 139
Cum Franciscanis Legati ad Græcos Dominicani, *ibid.*
Vbique adsunt peste laborantibus, 2. 182
Ord. Prædicatorum Theologi celebres, 2. 209
Nullam habent causam inuidendi cæteris, *ibid.*
Ex Ordine Prædicatorum præceptor. Regum, *vide* V. præceptores,
Plures habuit ex primariâ nobilitate, 214.
Missiones, *vide* V. Missio.
Virgines Moniales, *vide* Verb. Moniales.
Summa integritate & Ecclesiæ, & principium saluti

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [522] - -
PUBLIC DOMAIN

consuluerunt Dominicani, 2. 239
Ord. præd singularia decora, 2. 244
Quorumdam odium in se concitauit, quod pro vnitate beneficiorum staret, 2 249
Pontificum ex Ordin. prædicat, sanctitas & sapientia, 2. 253
Ioannis XXII. sententiæ de Visione Beata Dominicani resistunt, 2. 307
In Concilio pisis coacto ex Ord Prædicat. ducenti octoginta, *ibid.*
In eodem duo Dominicani constituti iudices Benedictum à pontificatu abdicarunt, *ibid.*
Ord. præd. cum societate collatio, 2. 348
Linguarum Hebaicæ & Græcæ periti, 2. 211
Ex Ord. præd. scriptores Ascetici plures, 2. 212
Hæreses ad quas missus est, breui extinxit, 2. 214
De Iudæis à Dominicanis reportatæ victoriæ, 2. 216
Eorum Concionatores Romæ Dominicani, *ibid.*
Cum D. Raymundo 3 alij Dominic. constituti ad examinandos Iudæorum libros in Hispania, 2. 218
Iudæorum libros in Hispania examinant Dominicani, *ibid.*
Non immerito prædicatorum nomen ipsis concessum, 2. 220
Ord. Præd. casuum conscientiæ scriptores, *ibid.*
Concionum & apparatuum Scriptores, 2. 222
Ab an. 1500. ad an. 1600. quadringenta centum supra mille volumina ediderunt, *ibid.*
Plures è primaria prouinciarum nobilitate apud Dominican. 2. 224
Martyres trecenti ex Ord. præd. ante annum quadragesimum ab institutione, 2. 226
Vno tantum sæculo bis mille sexcenti pro fide occubuerunt, 2. 228
In India pagos diuitias, &c. recusarunt Dom. 2. 233
Dominicanorum in India sanctitas & animarum zelus, 2. 234
Ord. præd. Magistri S. palatii, 2. 336
Primus omnium eo munere functus est D. Dominicus, *ibid.*

Ex iis duo Diuorum Albo accenſentur D. Domin. & D. Vincentius, *ibid.*
7. Cardinales, 3. Archiepiſcopi, 12. Epiſcopi, &c. *ibid.*
prima Magiſterii origo ex zelo animarum repetita, 2.340
Magiſterium in gratiam Turrecrematæ multis iuribus auctum, 2.341

R

RAbardæi liber à Sancta Congregatione confixus, 2.192
Ioannes Raguſinus in Concilio Baſileenſi diebus octo cum Huſſitis diſputat, 1.310
Raymundo Martini Hebraïce nullus doctior, 2.211
Author operis quod Galatinus exſcripſit, 2.151
Contra Iudæos plura ſcripſit, 2.215
Huius *Pugionem fidei* D. de Voiſin authori reſtituit, *ibid.*
Rainerij pantheologia ad Conciones locupletiſſima, 2.221
Hanc Epiſcop. Vſenſis Nicol. Griſeius ſuâ commendatione celebrem fecit, *ibid.*
P. Reginaldus ab accuſatione de edito libello contra Conceptionem Immaculatam ſe purgat, 1.319
In eundem grauis Theophili calumnia, 2.325
Ipſi S. pontifex congratulatur prouincialis munus, *ibid.*
Hortatur D. Auguſt. & D. Thom. doctrinam pergat defendere, *ibid.*
Reuclinus Cabalam erroribus platonicorum reſperſam fatetur, 2.177
Ob nimium Cabalæ ſtudium à Genebrardo reprehenſus, 2.151
Eundem acerrime impugnat Iacob. Hogoſtratus, *ibid.*
Inter principes ſuos Beza Reuclinum repoſuit, *ibid.*
P. Nicolaus Richardius non negauit D. Xauerio titulum Apoſtoli Indiarum, 2.348

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [524] - -
PUBLIC DOMAIN

Eius felix ingenium; vnde vocatus Monstrum, *ibid.*
Richelij Cardinalis Epitaphium Grotio ascribitur, 2. 315
Ripalda obiectiones D. prosperi pro argumentis assumit, 2. 95
Rituale Romanum quam authoritatem habeat, 1. 273
Rodulphius Ord. præd. Magister à suis summo studio defensus, 2. 322
Ronsardo pius V. gratias egit quod Gallos carmine ad Religionem hortatus esset, 2. 126
Ronsardus, Cornelius, ex Gallis poëtæ præstant, 2. 315
Rosarium dixisse B. Virg. & Apostolos explicatur, 2. 19
Dominicanorum patrimonium est ex Nauarro, 1. 244.
Rosarij exercitatione Christiani apud Iapones confirmati martyrium subeunt, 2. 233
Spiritus Roterus post Conciones per 50. annos in hæreticos scripsit, 2. 213
Spiritus Roterus Ord. præd. insignis scriptor paucis notus, 2. 238
Ruis sententia Deum ad conuenientiora eligenda astringi; 2. 77
Ruuius malè à quibusdam habitus quod propensior esset in D. Thomam, 2. 175

S

SA propositiones plures prohibitæ, 1. 430.
Desumpsit plurima ex Vatablo, 2. 318
Sabellicus refert suâ ætate ex Ordine præd. 1500. Theologiæ Magistros floruisse, 2. 53
Sachinus Societatis scriptor Dominicanorum in suos beneficia refert, 2. 133
Saliani cum Baronio collatio, 2. 314
Salmeronis temeraria sententia præceptum Christi de Correctione fraterna esse pernicioſum, 1. 419
Sancyranus Abbas vindicias Perronij suscepit, 2. 163
Quid Cardinali Richelio ad hoc opus incitanti responderit, *ibid.*
Sanctius à Perta Ord. præd. contra Benedictum schis-

matis authorem inuectus est, 22. 47
De Sanguine Christi varia, 2. 34
Sit-ne vera pars humanitatis, *ibid.*
Triduo mortis vnitus mansit Personalitati Verbi, *ibid.*
In resurrectione totus fuit Corpori Christi restitutus, *ibid.*
Oppositam Franciscanorum sententiam absque nota defendi non posse, iudice Delugo, 2. 35
Sanguine Christi irrigatam terram à D. Magdal. collectam seruant Dominicani, 2. 37
Sauanarolæ D. Francis. à Paula prædixit quæ ad mortem vsque ipsi contigerunt, 2. 90
D. Philippi Nerij de Sauanarola illustre testimonium, *ibid.*
In Diuos se relaturum promittebat Conciliabulum Pisan. Dominicanis, si pro se starent, 2. 91
Summa eloquentia quâ Ciuitatem Florentinam conuertit, 2. 221
Scaliger linguæ Latinæ causas diligentius scrutatur, 2. 316
Scientiæ mediæ defensores quæ obiiciunt soluuntur, 1. 458
Eius fundamenta parum solida Molinæ reiecit, 1. 475
Petitione principij defenditur, 1. 476
Suis fundamentis & lege contradictoriarum destruitur, 1. 477
Scotistarum sententiam de sanguine Christi non posse defendi, 2. 35
Scotus in Theologiâ Philosophum egit, 1. 43
Plures ab ipso ex suâ familiâ defecerunt, quod pares essent ingenio, 1. 61
Plurimum conuenientiis indulget, 1. 67
Minus bene piam de Conceptione opinionem defendit, 1. 82
Eius modestia in asserenda Conceptione Immaculatâ, 1. 85
Scoti opera à 4. seculis rarius edita quam Commentarii D. Thom. in Paulum ab anno 1529. 1. 234
Scoti elogium ex Possevino, 1. 182
Scripturæ Sacræ interprete 2. 213

Sebastianus Salelles Societatis de Inquisitoribus Dominicanis iudicium, 2. 79
Secretarii Congregationis Indicis, 2. 338
Semipelagianos male pro hæreticis habitos indicat Sirmundus, 1. 367
Perinde Catholicos haberi ac ipsum August. Mariana, *ibid.*
Eorum obiectiones quas soluit Prosper pro argumentis Ripalda assumit, *ibid.*
Seraphini à Porrecta in sedem Apostolicam fides, 1. 250
Serronii Episcopi dotes & eruditio, 2. 6
Seruorum B. Virgin. Ordinem plurimum iuuit D. Petrus Martyr, 2. 123
Alexand. Sibilla contra Carterium defenditur, 1 478
Simon Martinus præter mentem Granatensis aliqua miscet, 2. 201
Sirleti Cardinal. morientis vox: *miserere mei Domine sicut vis & scis*, 1. 95
Eiusdem carmina in commendationem Pii V. 2. 294
Sixtus Senensis falso accusatur Eusebium Casarienscm habuisse pro Sancto, 1. 429
Minus Origeni tribuit quam Petrus Halloix tribuerit 1. 430
His qui Bibliothecas appararunt, præluxit, 2. 215
Genere hebræus ex Franciscano Dominicanus, 2. 280
Sixtus V. in Bibliothecâ Vaticanâ D. Thomam pingi voluit, &c. 1. 195
Smolenchi Dominicanorum vera historia, 1. 30
Societas à suis laudata, 1. 28
Quorumdam dictum primo sæculo omnes fore beatis accensendos, *ibid.*
Societatis Patres per vota simplicia Religiosi, 1. 287
De Societatis Iesu nomine quorumdam iudicium, 1. 293
Societas laudatur, 1. 364
Quorumdam Theologorum propositiones Augustino parum honorificæ, 1. 365
Quidam Theologus defendit alium Deum esse possibilem, 1. 407

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [527] - -
PUBLIC DOMAIN

Societ. constitutio de correctione fraterna melius à Banne quam Suare defensa, 1. 414
Quidam contra decreta scripserunt in materia Auxiliorum & Conceptionis, 2. 43
Eius Scholam magis æquiuocationibus fauere quam Dominicanorum varia exempla, 2. 46
Plurimorum sententia calumniari licitum eos qui sibi infensi sunt, *ibid.*
Mathæo Ori Dominicano plurimum debet, 2. 79
Vnde quorumdam in Bzouium liuor, 2. 105
Societatem iuuerunt & commendarunt Dominicani, 2. 126
Opera Carranzæ Toleti recepta, 2. 131
Cæsarauguſtæ studio Esquiuelii domicilium, *ibid.*
Viennæ Dominicanorum Cœnobio recipiuntur, 2. 132
Dilinguanæ Academiæ prima decora in Petrum à Soto Sacchinus refert, 2. 133
Societatem Ludouic. Granatensis pro concione prolixè commendat, 2. 134
Eandem contra Canum Ioann. Penna Ord. Prædic. defendit, *ibid.*
Societati Vaticanam S. Petri Basilicam Pius V. concessit, 2. 135
A quibusdam Theologis Arias Montanus, Valerius, lacessiti, 2. 174
Societati cum plurimis Academiis contentiones, 2. 175
An plures habuerit cum extraneis contentiones quam Dominicani, 2. 194
Societatis Theologorum libri sæpius confixi, quod nullius doctrinæ addicti sint, 2. 206
Societati an Dominicani inuidere debeant, 2. 208
Authore Pio V. in Polonia recipitur, 2. 288
Apud Iapones Pius V. priuilegia confirmat, 2. 289
Societatis Scriptores historici Maffæus, Orlandinus, & illis pār Strada, 2. 313
Cum extraneis Scriptoribus comparatio, *ibid.*
Ex Societate qui Epistolis & Orationibus scribendis excelluerint, 2. 314
An plures Longolio Tullianâ eloquẽtia pares sint, 2. 315

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [528] - -
PUBLIC DOMAIN

An Politianum ſuperent, *ibid.*
Ex Societate Poëtæ celebriores, *ibid.*
Pauci ex Societate de Theologia myſticâ ſcripſerunt, 2. 317
Interpretes Patrum Græcorum ex Societate, *ibid.*
Societatis cum Ord. Præd. collatio, 2. 348
Socratis de libro Heracliti ſententia, 1. 97
Sotus defenditur in quæſtione Montis Pietatis, 1. 274
Petri à Soto laudes, 1. 411
Eius defenſionem ſuſcepit Cardinal. Oſius, *ibid.*
Exceptus in Collegiis Societ. cum magno applauſu, *ibid.*
Sotus Caroli V. Confeſſarius, diſcipulos habuit Maldonatum & Toletum, 2. 27
Eiuſdem commentarium in Ariſt. Toletus in ſuis libris ſecutus, *ibid.*
Inſigni ſtemmate à Concilio Tridentino donatus, *ibid.*
Petrus Soto Epiſcopatum recuſat, 2. 116
Auctor eſt vt in Dilinguana Academia Societas recipiatur, 2. 133
Souſa Luſitanus elegans ſcriptor, 2. 303
Studio libertatis palatio ignem iniicit, *ibid.*
Spinam nihil in D. Thoma temeraſſe demonſtratur, 1. 235
Spinæ falſo tribuitur Præfatio in Tractatum Turrecrematæ de Conceptione, 2. 104
In Spinam Theoph. conuitia, 2. 105
Spondanus de Miſſionibus Dominicanorum ad Barbaras gentes plura refert, 2. 234
D. Stephani concio à Cano explicatur, 2. 334
Suari religioni eſt in Societ. prædiis gallinas ſoboleſcere, 1. 7
Eiuſdem ſententia de concurſu B. Virg. in Conceptione Chriſti, 2. 36
Suaris prudens & modeſta reſponſio, 2. 189
De concurſu actiuo B. Virg. ſententia an recte defendi poſſit, 2. 165
Sententiam Suaris de confeſſione per litteras Clemens VIII. iubet expungi, 2. 166
Iuſſus eſt Romam pergere vt ſe purgaret, 2. 167

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [529] - -
PUBLIC DOMAIN

Suaris sententia de Confessione per litteras iussis Pontificis expuncta, 1. 412
Correctionis fraternæ præceptum male explicat, 1. 442
Effusissimæ in ipsum Conimbricensium laudes, 1. 428
Male ipsi præferuntur Arriaga, Oruiedo, 1. 442
Surius accuratius vitæ SS. Ordin Prædicat. conscripsit, 1. 52
Eundem Pius V laudat & hortatur, *ibid.*
P. Sybilla contra Iansenium scripsit, 1. 308
Syluester primus in Lutherum scripsit, 2. 213
Syluestrinorum Ordinem Thimo. Bothonus reformauit, 2. 124

T

TApia Ord. Prædicat. doctrina & sanctitate celebris, 1. 48
Eiusdem pia fraus vt Episcopatum fugeret, 2. 117
Insultanti respondit suæ sententiæ vindices cum miraculis viuere desijsse, 2. 113
Disputationis æstu arreptus acutâ monitione castigatur, *ibid.*
Petrus à Tarantasia in Concil. Lugdunens. Legatum Regis Tartarorum baptisat, 1. 361
Toletus in materia Conceptio. quærit quænam duarum opinionum plus honoris Deiparæ tribuat, 1. 318
Admirationi est Bezæ: natione Hispanus pro Gallis stat. *ibid.*
Soti auditor ab eo plura desumpsit, 2. 27
Tetzel Ordin. Prædicat. indulgentias promulgat in Germaniâ, 1. 306
P. Thalonij Granatensis interpretis summa modestia, 2. 202
Thesis apud S. Honoratum ad disputandum proposita grauiter à Theophilo corrumpitur, 1. 324
PP. Theatini Dominicanis plurimum debere suis Annalibus referunt, 2. 130

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [530] - -
PUBLIC DOMAIN

Theatri Ieſuitici author non eſt ex Dominicanis, 2. 112
Nec impreſſum in Cænobio Mineruæ, *ibid.*
Thimoth. Bothonus Ordinem Syluestrinorum reformauit, 2. 124
Theophilactus Chryſoſtomi breuiator, 1. 127
Theophilus author libri de immunitate Cyriacorum, 1. 1
Natalibus, indole, ſtudio aſperior. 1. 6
Cur in carcerem iniectus, *ibid.*
Societatem læſiſſe libris editis multi putant, 1. 7
Scribit in Dominic. ſuorum librorum cenſuras vlturus, 1. 8
Non' diſſimilis Eraſmo, 1. 10.
Quarum iniuriarum memor, 1. 17
Inſignis falſatio vt Candidum accuſet, 1. 33
Cum Romæ degeret vix Nicolaum Ricardi audebat adire, 1. 249
Theophili liber Toloſæ decreto Senatus combuſtus, 1. 435
Librum edit de communione mortuis danda ex æmulatione in Patres S. Andreæ à Valle, 1. 483
Excutitur & impugnatur fusè, *ibid.*
Grauis eiuſdem lapſus conſenſus connubiales magis profuturos quam Euchariſtiam, 1. 492
Ridet reuelationes S. Gertrudis, 1. 503
Rſponſio laboraſſe anginâ, cuius communicatio mortuis profuit, *ibid.*
Varia eiuſdem paradoxa & lapſus, 1. 505
Eiuſdem Epiſtola vaniſſima, 1. 509
Martyrium charitatis paris facit virtutis cum martyrio ſanguinis, 1. 513
Ridet congregat. argumentum. 1. 515

Theophilus damnat decretum Congregationis de non communicando 6. Feria Paraſceues, 2. 9
Ex Bibliotheca Camberacenſi Dominican. plura ſubripuiſſe ſuſpicio. 2. 28
Librum ſcripſit in æquiuocationum defenſionem, 2. 46

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [531] - -
PUBLIC DOMAIN

Putauit sibi licitum carpere eos qui libros edi prohiberent, teste Diana, 2. 47
Grauissima Theophili calumnia de Dominicano Auenione confosso, 2. 111
Theophili cum Carterio dissidium de præmotione, 2. 119
Clementem VIII. grauat vt excuset Suarem, 2. 166
Prohibitionis suorum librorum causam inuertit, 2. 180
Theophilo in Pontifices nullus ex Dominican. similis, 2. 186
Insigni Temeritate Symbolum Apostolorum castigari posse ait, 2. 187
D. Hilarium D. Augustini discipulum Semipelagianum facit, 2. 188
Vitellescum Præpositum Societatis vocat carnem vitulinam, 2. 323
Theophili de amouendis Dominicanis ab officiis euertitur sententia, 2. 329
D. Theresia se Dominicam in Passione dicebat, 2. 124
D. Thomæ doctrinæ prima dos consensus cum Scriptura, 1. 43
Doctoris communis nomen assecutus: *ibid.*
Scientias omnes obsequio fidei subijcit, 1. 45
A Christo & Pontificibus eius doctrina commendata, 1. 46
Qua ratione interpretenda Pontificum encomia, 1. 47
Ante D. Thomam Philosophi hæreticorum Patriarchæ, 1. 53
Ex Philosophiâ ea selegit quæ res fidei illustrant, 1. 54.
Si quid contra D. Thom. definiretur nihil eius gloriæ deperiret, 1. 57
Eius discipulorum varia sors, 1. 61
Qui ab ipso defecerunt lapsi sunt in errores, 1. 62
D. Thomæ vindicantur sui libri, 1. 100
Defenditur contra Aluam, 1. 115
Asseritur ipsi Cathena aurea in Euang. 1. 118

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [532] - -
PUBLIC DOMAIN

Opuſculum contra errores Græcorum quo fine ſcripſerit, 1.122
Encomia Alexandri VII. de D. Thoma defenduntur, 1.173
D. Thomam ex Pio V. eſſe Chriſtianæ doctrinæ regulam explicatur, 1.178
Sine vllo prorſus errore ſcripſit ex Clemente VIII. 1.182
D. Thomæ doctrina commendatur à D. Franciſco, 1.186
Quo loco habitus ſit à Concilio Tridentino, 1.187
Alia eius encomia referuntur & propugnantur, 1.190
Confirmatam Chriſti ore D. Thomæ doctrinam demonſtratur, 1.195
D. Thomæ Summa Theologiæ aſſeritur, 1.113
Catenam auream legitimum ipſius opus eſſe probatur, 1.224
Opuſcula in Orat. Dominic. & Angeli ſalutationem, &c. D. Thomæ aſſeruntur. 1.227
Nihil in D. Thomæ ſcriptis à diſcipulis corruptum, 1.231
Quædam ipſe D. Thomas poſterioribus libris retractauit, 1.238
D. Thomam falſatum in materia Conceptionis falſo aſſeritur, 1.309
D. Thom. doctrina ad omne genus pugnæ opportuna, 1.330
De prædeſtinatione ſententia ex D. Paulo deſumpta, 1.332
Inter SS. Patres merito reponitur, 1.336
D. Thom. modeſtia in explicandis Sanctis Patribus, 1.341
Parciùs laudatur quam ab Authore Anni ſæcularis Societas, 1.353
Eidem contigit quod SS. PP. aliquos libros ſupponi, 1.354
Ariſtotelem Chriſtianum fecit, 1.390
Eiuſdem variæ propoſitiones de voto Religionis, de Zona torrida, &c. 1.377
Minus à Dominicanis laudatus, 1.428

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [533] - -
PUBLIC DOMAIN

D Thom. eius dogmata inconcussa & tutissima confirmantur ab Alexandro VII. 1. 438
Eius doctrinæ prima dos conducere ad fidem, 1. 441
Eius Schola Pytagoricæ similis quæ ad omnia instituit, 1. 447
In sententiam D. Thomæ de gratiâ omnino propensi Clemens 8. & Paulus 5. 1. 463
Minus à discipulis quam Theophilus à Velasque laudatur, 1. 524
Puritatem B. Virg. sub Deo esse maximam ex D. Anselmo explicat D. Thomas, 2. 42
D. Thom. inuerisimilia maluit credere quam dicentem mentiri, 2. 48
Commentaria in Mathæum, Apocalypsim, Epistolas Canonicas D. Thom. asseruntur, 2. 68
Nunquam D. Thom. scripsisse propitiatorium esse lapideum multis probatur, 2 69
D. Thom. quo sensu B. Virg. immunem à peccato originali dixerit, 2. 73
Commentaria in sententias ad Annibald. vindicantur, 2. 75
Christi commendatio *Bene scripsisti, &c.* defenditur, 2. 76
Quid de anima Traiani pœnis æternis exemptâ senserit, 2. 92
D. Thom. parcius à suis quam Vasques à Carterio laudatus, 2. 170
Theologi Societatis D. Thom. affecti quo loco à suis habiti, 2. 175
D. Thom. doctrinæ inexhausta copia, 2. 210
D. Thom. Summa contra Gentes in Hebraicum conuersa, 2. 216
Principem Iudęorum doctissimum disputatione conuertit, 2. 217
Lectione quæstionum de lege veteri Paul. Burgensis Iudæus ad fidem conuersus, *ibid.*
Thomas Anglus nullam Ecclesiæ definiendi potestatem, sed solam testandi tribuit, 2. 144
Tostatus familiaritate Capreoli delectatus, 2. 149
Thesibus ad disputandum propositis aliquot locis offendit, *ibid.*

Eundem

Eundem Turrecremata impugnauit, *ibid.*
Traditio triplex fidei diuina, Apostolica, Ecclesiastica perperam distinguitur, 2. 43
De Trajani anima pœnis æternis exempta quid senserit D. Thomas, 2. 92
P Turcus in materia Conceptionis libellum supplicem Innocentio obtulit, 1. 109
Quo tempore obiit alter contendentium Cardinalis à Ceuua diem clausit, *ibid.*
Turrecremata in Concilio Basileensi defensor fidei, & Eugenianus dictus est, 1. 194
Corrupisse locum D. Thomæ falso accusatur ab Alua, 1. 20
Turrecremata *defensoris fidei* nomen adeptus, 1. 310
B. Brigitæ reuelationes à Turrecremata probatæ, 1. 349
Sodalitatem instituit pro dotandis Virginibus, 2. 36
Tostati Theses impugnat, 2. 149
Turrecrematæ illustre facinus quo expulsi sunt ex Hispaniâ Iudæi, 2. 219
Timon Athenienſis prædiis septa detraxit vt omnibus paterent, 2. 300

V

VAdinghus gratulatus Dominicanis quod in Vaticano Thesaurum haberent D. Thom. catenam, 1. 224
Male Eymericum accusat supposuisse Bullam pro sententia Dominican. de sanguine Christi, 2. 37
Valdensis sententia de Ecclesia ad quam pertineat Canonicos libros discernere, 2. 142
Eundem Canus summâ modestiâ impugnat, 2. 143
Valdensis Ecclesiæ præsenti facultatem testandi solum tribuit, non definiendi, 2. 144
Ad testificationem Ecclesiæ vocat Laïcos & sæculares, *ibid.*
Valentiæ de choro Religiosorum sententia, 1. 411
Reprehensus quod corrupisset locum D. August. 2. 169
Valesij Principes parentes litterarum, 2. 32
Thom. de Valois à Ioan. 22. quod suæ sententiæ obsi-

Reret in carcerem iniectus, 2. 52
Ethimologia de Vulpe probatur ex Calepino, 2. 21
Commentarius in D. Augustin. non improbandus, 2. 24
A Tyrino & Spondano plurimùm commendatur, 2. 25
Causa fuit quod Ordo Prædicat. Ordo veritatis diceretur, 2. 26
Vaquerius ignotus aut fictitius, 2. 55
D. Valerij cum Discastillo pugna, 1. 13
Vasquis sententia de voto solemni, 1. 279
D. Chrysostomi sententiam de Visione Beatæ hæreticam contendit, 1. 340
De Reuelationibus B. Brigittæ sententia, 1. 349
D. August. parum reuerenter habet, 1. 369
Eiusdem de merito improbabilis sententia, 1. 414
Vasques male sua probat, felicius aliena impugnat, 1. 442
Perperam negat creaturas cognosci à Deo in essentia diuina vt causa, 1. 444
Impensius à Cartherio laudatur, 1. 270
Suarez æmulus & sæpius superior, 2. 121
Grauissimas Theologiæ difficultates in entia rationis resoluit, *ibid.*
A mente D. Augustin. in quæstionibus de Gratia & Prædestinatione longius recessit, 2. 172
Vatablus in scripturam breuitate vtilis, 2. 318
Ab eo Sa multa desumpsit, *ibid.*
Victoriâ nullus vnquam discipulos illustriores habuit, 2. 210
Vielmius qui D. Th. in SS. Patres reponit, defenditur, 1. 333
D. Petri à Vincentia libro edito grauis Theophili impostura, 1. 321
D. Vincentius Ferrerius viginti quinque millia Iudæorum ad fidem conuertit, 2. 216
Centum millia Christianorum, viginti Maurorum octo Iudæorum conuertit, 2. 244
Regnum Arragoniæ vni è pluribus contendentium adiudicauit, *ibid.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [536] - -
PUBLIC DOMAIN

Legatos ad ipsum mittit Synodus Constantiensis, ibid.
Vmbertus Dominicanus Delphinatium Princeps Galliæ principatum adiungit, 2. 249
Vniuersitatis Parisiensis decretum in commendationem D. Thom. non esse suppositium, certissimum argumentum, 2. 59
Voti solemnis & simplicis discrimen, 1. 280
Nihil in ea quæstione contra sententiam D. Thomæ definitum, ibid.
Voti solemnis dispensationem negat Pius V. 1. 187
Vrbani VIII. & Cardinalis Albitij de Dominic. dictum, 1. 311
Iaco. de Voragine Legendas SS. scripsit, 1. 340

X


Xantes Iudæorum Concionator D. Thom. Summam contra Gentes in Hebraïcam linguam conuertit, 2. 216

Y

YVo quem Britanni colunt Annæ Caroli VIII. vxoris confessarius, 2. 249

FINIS.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [537] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [538] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [539] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [540] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [541] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [542] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [543] - -


PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 856 738


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [544] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [545] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [546] - -

PUBLIC DOMAIN



Signatur: Leibn. Marg. 210:5, [547] - -
PUBLIC DOMAIN